Fo. 21.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0002-6

IOH. CHRISTOPHORI GATTERERI
APVD GOTTINGENSES HISTOR. PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETATVM
THEOTISCAR. REGIAE GOTTINGENSIS ET ALTORFINAE
SODALIS, ITEMQVE ACADEMIAE HISTORICAE
GOTTINGENSIS DIRECTORIS

ELEMENTA ARTIS DIPLOMATICAE VNIVERSALIS.

CVM TABVLIS XII. AERI INCISIS.

VOLVMEN PRIVS.



GOTTINGAE
APVD VIDVAM b. VANDENHOECKII
CIↃIↃCCLXV.

K.N.PR.F.
UNIVERS.
ZV HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek • Zentralgestellte Aufklärung •

PRAEFATIO.

Artis diplomaticae ſtudiis inde a puero fere deditum me eſſe et quaſi innutritum, multi apud nos ſciunt, et publice etiam tam edita a me ante hos decem annos *Hiſtoria Holzſchuheriana*, quam ſcripta biennio poſt oratione, vel commentatione potius *de artis diplomaticae difficultate*, aliiſque deinceps ſecutis leuidenſis ingenioli mei monimentis declaratum eſt.

Adornaui etiam, cum in meos ipſius vſus, tum eorum inprimis cauſſa, qui in diſcenda arte diplomatica ducem me inde a multis annis ſumere ſolent, *muſeum* aliquod

diplomaticum, in quo omnis generis diplomata tam autographa, quam aere vel penicillo etiam expressa, varia porro supellectilis scriptoriae specimina, papyri niloticae, aethiopicae, sinicae, malabaricae, turcicae cet. exemplaria, omnium aetatum ac nationum alphabeta pariter atque scripturas, item Chrismorum, signorum Cancellariorum ac Notariorum, Monogrammatum, Sigillorum, infinitum paene numerum, aliaque rei diplomaticae praesidia, ad ipsius disciplinae leges ordinemque dispositа, conseruo: qui quidem qualiscumque apparatus nouis in dies augmentis crescit, et nuperrime *Sphragidophylacio Heumanniano* (quod infra p. 269. laudaui) ditatus est. Ipsi denique Aulae Regiae, quae Hanouerae est, OPTIMATES, pro sua in literas literatosque benignitate summa, ex *Archiuo Regio* haud exiguum diplomatum autographorum, vetustiorum inprimis, numerum, aliquot abhinc annis, fidei meae commiserunt, eo quidem consilio, vt Auditores mei ex horum autographorum intuitu et lectione, tamquam ex fonte limpidissimo, puriorem diplomaticae rei notitiam haurire possent. Atque haec, quae hactenus dixi, non ex vanae alicuius gloriolae studio profecta sunt, a quo ego quidem longissime abesse volo, sed eum in finem sunt commemorata, vt, qui me non norunt, intelligant, me ad studia diplomatica non nudum, vt ita dicam, sed necessariis instructum praesidiis accessisse.

Iam dum in eo eram, vt, quae per tot annorum decursum partim in versatis a me diurna nocturnaque manu

manu chartis tam autographis, quam typorum ac sculpturae vel penicilli etiam ope expressis, partim in lectis a me, qui de re diplomatica exstant, libris observasse mihi videbar, ad artis formam aliquam redigerem; animaduertebam haud difficili negotio, Diplomatices fines latissime quidem patere, at nondum satis accurate designatos, multo minus cultos esse. Coepi itaque, ac initio quidem in Auditorum meorum dumtaxat vsum, *artis diplomaticae vniuersae primas* veluti *lineas* ducere: quas quum deinde per aliquot annos perpoliuissem, inprimisque egregiis illis obseruationibus, quas in opere immortali, gallica lingua haud ita pridem edi coepto et inscripto *Nouveau Traité de Diplomatique*, inesse deprehendebam, auxissem; exstiterunt inde haec *Elementa artis diplomaticae*, quae nunc AEQVI LECTORIS iudicio et vsui submittere non dubito.

Erunt in his elementis fortasse, quae a me vel primum animaduersa, vel clarius rectiusque, quam adhuc factum est, proposita fuerint; quae vero qualia sint, sigillatim nunc recensere, et inuidiae pleniissima res est, et vana, adde, inutilis etiam: nam qui rei diplomaticae formam, qualis adhuc fuit, cognitam habent, ipsi per se, in quo elementa mea a reliquis huius generis libris omnibus, maximis minimis, differant, videbunt; cum imperitis vero hominibus nihil mihi nunc negotii est, quippe qui de egregie huius disciplinae incrementis defectibusque iudicare non possunt.

Neque vero mea mihi ita placent, vt aliorum conatus in ſtudiis diplomaticis vel contemnam, vel librum meum pro perfecto iam omnibuſque partibus ſuis expleto artis diplomaticae ſyſtemate habeam. Dementia haec animum meum numquam occupauit; quid? quod elementa haec eo potiſſimum conſilio a me edita ſunt, vt, definitis iam agri diplomatici quaſi finibus, habeant alii, quod addant, tollant, emendent. Inprimis labor hic qualiſcumque deſtinatus eſt *Sodalibus Academiae Hiſtoricae*, quam ego ſuperiore anno Gottingae eam ob cauſſam inſtitui, vt, praeter reliquas diſciplinas hiſtoricas, ars quoque diplomatica vberius excolatur. Neque vana ſpe duci videor, ſi confidam, fore, vt in rem literarum publicam haud contemnenda in poſterum commoda a ſodalibus huius Academiae proficiſcantur: ſunt enim in illis magni iam nominis viri eruditi, et ſunt etiam, quod mihi quidem iucundum inprimis eſt, arti vero diplomaticae fructiferum etiam ac ſalutare erit, ſunt, inquam, ex Auditoribus meis, qui quoniam Principum nunc archiuis cancellariiſque praepoſiti ſunt, multum vtilitatis atque incrementi rei diplomaticae, de cuius ambitu ac defectibus ſaepe me differentem audierunt, afferre poterunt; nam velle eos id facere, ipſi haud ſemel promiſerunt.

In hoc fortaſſe excuſatius peccaſſe quibuſdam videbor, quod, quia breuitati vbique ſtudendum erat, cum cogitandi ſubtilitate orationis elegantiam cultumque non coniunxerim; ſed erunt, credo, plures, qui me reprehendant,

dant, quod *vocabulorum*, hucusque inauditorum et eorum quidem interdum minus latinorum, haud exiguum numerum in artem diplomaticam intulerim: quamquam ab aequis peritisque lectoribus, qui res ac notiones nouas nouis etiam verbis exprimendas esse cogitauerint, veniam in hoc etiam genere facile me impetraturum esse confido.

Subieci operi *Tabulas XII. aeneas*, quas non inutiles vel iniucundas fore puto iis, qui opera illa diplomatica, sumtuosa plerumque, ex quibus tabularum argumenta quaedam depromta sunt, consulere non possunt, cuiusmodi sunt MABILLONII opus, *Chronicon Gottwicense*, WALTHERI Lexicon diplomaticum, BARINGII clauis diplomatica, *Nouveau Traité de Diplomatique*, cet. vt taceam, tabularum argumenta multa me ex autographis etiam nondum publicatis hausisse. Id simul caui sedulo atque prouidi, ne tabularum aenearum iusto maior numerus opus nimis sumtuosum redderet.

Posterius huius operis *volumen*, quia maximam partem ad prelum iam paratum est, haud ita multo post, si DEO placuerit, in lucem publicam prodibit. Continetur illo, praeter Sectionem III. partis theoreticae, quae *de linguis formulisque diplomaticis* exponit, vniuersa *pars practica*, in qua partim *Archiologia*, siue Archiuorum doctrina, explicatur, partim *problemata*, quae ad diplo-

diplomata intelligenda, diiudicanda et applicanda inprimis faciunt, ad elaborandum rei diplomaticae ſtudioſis proponuntur.

Faxit DEVS O. M. vt conatus hi qualeſcumque ad illuſtrandam eius gloriam ſummam, et ad prouehenda reipublicae literariae commoda aliquid conferant! Dabam Gottingae d. III. Aprilis A. CIↃIↃCCLXV.

CONSPE-

CONSPECTVS.

Prolegomena.

Sectio I. De Arte Diplomatica Diplomatibusque generatim.

Definitio artis diplomaticae. §. 1. Diuisio. §. 2. Diplomatum etymologia et homonymia. §. 3. Definitio diplomatum. §. 4. Diplomatum sollemnia. §. 5. Diplomatum in tabulas, codicillos et chartas diuisio. §. 6. Diplomata ecclesiastica et saecularia, publica et priuata cet. §. 7. Diplomatum in acta et documenta diuisio. §. 8. Autographa et apographa. §. 9. Apographa authentica et vaga. §. 10. Diplomataria s. chartularia. §. 11. Diplomatum varia genera tabula repraesentata. §. 12. Restrictiores verbi diplomatis notiones. §. 13. Vocis diplomatis synonyma. §. 14.

Sectio II. Notitia literaria rei diplomaticae.

Diplomatum antiquitas. §. 15. Notitia litteraria artis diplomaticae. §. 16-19. Scripta, in quibus bella diplomatica exposita sunt. §. 20. Scripta praecipua, occasione 1) bellorum diplomaticorum particularium edita. §. 21. 22. Scripta occasione 2) belli diplomatici vniuersalis edita. §. 23.

Diplomaticae pars Theoretica.

Diplomaticae in theoreticam et practicam distributio. §. 24. Habitus diplomatum ex auctore Syntagmatis dictandi descriptus. §. 25. Criteriorum diplomaticorum in externa et interna parum commoda diuisio. §. 26. Artis diplomaticae tres scientiae principales, Graphica, Semiotica, et Ars formularia. §. 27.

Theoreticae Diplomaticae

Sectio I. Graphica.

Scriptores de Graphica. §. 28.

Cap. I. Instrumenta Scriptoria.

Charta. §. 29. De origine chartae nostratis linteae. §. 30. Atramentum. §. 31. Reliqua scriptoria supellex. §. 32.

Cap. II. Grammatologia, seu doctrina litterarum.

Litterarum origo et migrationes. §. 33. Varii scribendi modi. §. 34. Alphabetorum collectiones variae. §. 35. Litterarum latinarum genesis. §. 36. Litterarum ductus, apices, bases, resectiones. §. 37. Ductus litterarum multifariam distributi. §. 38. Litterae capitales et vnciales. §. 39. Capitales formae quadratae vel angulosae praeter morem. §. 40. Litterae maiusculae et minusculae et harum diuisio in minutas et cursiuas. §. 41. Minuscularum litterarum apud Romanos vsus. §. 42. Scriptura capitalis, vncialis, minuta et cursiua: item pura et mixta. §. 43. Litterae tenues, crassae: altiores: latiores: longiores, tam maiusculae, quam minusculae: aequales, inaequales. §. 44. Versuum, vocum ac litterarum distantia. §. 45. Litterae contiguae, innexae, insertae, et columnatae: vno verbo coarctatae seu monogrammaticae. §. 46. Scriptura elegans et rustica. §. 47. De accentibus. §. 48. De punctis litterae y et de accentibus litterae u. §. 49. De accentu acuto et puncto literae i. §. 50.

Cap. III. Stigmeologia, seu doctrina interpunctionum.

De punctis. §. 51. De punctis inscriptionum. §. 52. De punctis librorum MSS. §. 53. De punctis diplomatum. §. 54. De commate et de colo. §. 55.

Cap. IV. Brachygraphia, seu doctrina abbreuiaturarum.

De abbreuiaturis generatim. §. 56. Speciatim 1) de litteris coarctatis, inprimis de diphthongo AE s. ae, de vocula *et* ac de littera w. §. 57. 2) De abbreuiaturis proprie dictis. §. 58. Abbreuiaturarum epocha. §. 59. 3) De siglis. §. 60. Scriptores de siglis. §. 61. De siglis verbalibus. §. 62. De siglis ac notis numeralibus, et quidem (1) antiquioribus. §. 63. De Romanorum notis numeralibus. §. 64. Epochae numerorum romanorum. §. 65. (2) De notis numeralibus recentioribus s. arabicis, earumque origine. §. 66. Numerorum Arabicorum seu

seu Ziphrarum epochae. §. 67. 4) De Notis Tironis s. de Tachygraphia: ac quidem a) de illarum vsu vario ac definitione tam nominali quam genetica. §. 68. b) Diuisio notarum Tironis, itemque figurarum et signorum, ex quibus illae constant. §. 69. Origo et fata notarum Tironis. §. 70. Methodus inueniendi et explicandi Systematis notarum Tironis proposita. §. 71.

Cap. V. Linnaeismus Graphicus.

Quatuor regna Scripturarum, singulorumque regnorum classes, ordines, series. §. 72. De Scriptura romana speciatim: ac quidem 1) de scripturis dominantibus in quatuor regnis. §. 73. Epochae literarum latinarum longiorum. §. 74. De scripturae romanae seriebus ac partitionibus. §. 75. De scripturae romanae generibus et speciebus generatim. §. 76. Nomina generum et specierum, vnde sumenda sint? §. 77.

Regni artificialis Series I.

Scriptura Romana vetus: Partitio I. et II. parum diuersae. §. 78-94.

Regni artificialis Series II.

Scriptura Romano-Barbara s. Teutonica: Partitio I. Scriptura Langobardica. §. 95-113. Partitio II. Scriptura Wisigothica. §. 114-132. Partitio III. Scriptura Anglo-Saxonica. §. 133-151. Partitio IV. Scriptura Merouingica. §. 152-170. Partitio V. Scriptura Carolingica. §. 171-189. Partitio VI. Scriptura Capetingica. §. 190-208.

Regni artificialis Series III.

Scriptura Neogothica: Partitiones I. et II. parum diuersae. §. 209-221.

Regni artificialis Series IV.

Scriptura Romana renouata. §. 222.

Regni Librarii genera. §. 223.

Quomodo ſpecies in regno librario formandae ſint? §. 224.

Regni Notarialis genera. §. 225.

Quomodo ſpecies in regno notariali formandae ſint? §. 226.

Regni Priuati genera et ſpecies. §. 227.

Commodior methodus nominandorum generum propoſita. §. 228.

Theoreticae Diplomaticae

Sectio II. Semiotica.

De Semiotica eiuſque partibus generatim. §. 229.

Cap. I. Chriſmologia.

Definitio Chriſmologiae et Chriſmi. §. 230. Chriſmi figura varia. §. 231. Chriſmi epochae. §. 232. Chriſmi locus. §. 233. vſus. §. 234. ſignificatio. §. 235.

Cap. II. Semiotica Notarialis.

De Semiot. Notar. generatim: item de Notariis pauca. §. 236. De ſignis recognitionis in genere. §. 237. De figura ſignorum recognitionis. §. 238. Epochae ſignorum recognitionis. §. 239. Locus ſignorum recognitionis. §. 240. Vſus ſign. recog. §. 241. Significatio ſign. recogn. §. 242. De ſignis ſeu ſignetis notariorum recentiorum. §. 243.

Cap. III. Symbolica.

Definitio ſymbolicae et ſymbolorum inueſtiturae. §. 244. Auctoritas ſymbolorum inueſtiturae. §. 245. Antiquitas et duratio ſymb. inueſtit. §. 246.

§. 246. Diuisio symb. inuestit. in stata s. naturalia et arbitraria. §. 247. Aliae symbol. inuestit. diuisiones. §. 248. Index alphabeticus praecipuorum inuestiturae symbolorum. §. 249. Ritus quidam, in tradendis accipiendisque inuestiturae symb. obseruari soliti. §. 250. De custodia symbolorum inuestiturae. §. 251.

Cap. IV. Staurologia.

Definitio Staurologiae. §. 252. Signorum crucis antiquitas. §. 253. Signorum crucis figura. §. 254. Signorum crucis color. §. 255. Vsus. §. 256. Cruces librariae. §. 257. Crucium diplomaticarum antiquitas. §. 258. Crucium dipl. locus: 1) cruces in fronte diplomatum positae. §. 259. 2) Cruces, ante datum, in margine chirographorum, et in chartulariis collocatae. §. 260. 3) Cruces subscriptionibus additae. §. 261. Solum crucis signum subscriptionis loco habitum. §. 262. Causſae, cur signa crucis subscriptionum loco introducta sint? §. 263. Triplex cruces exarandi modus. §. 264. Locus crucium, subscriptionibus additarum. §. 265. Significatio crucium subscriptionibus additarum. §. 266. Cruces sphragisticae. §. 267. De iudicio crucis velut in transcursu agitur. §. 268.

Cap. V. Monogrammatologia siue Monogrammatica.

1) Monogrammatologia generalis.

Monogrammatologiae et Monogrammatum definitio. §. 269. Vocabuli Monogramma synonyma. §. 270. Monogrammatum definitio genetica. §. 271. Tabula, praecipuas monogrammatum diuisiones exhibens. §. 272. De monogrammatibus linearibus, eorumque in cruciformia, quadrata et circularia diuisione. §. 273. De monogr. literalibus, eorumque generibus. §. 274. Monogrammatum in nominalia, titularia, verbalia, et mixta distributio. §. 275. Monogrammatum in consummata seu plena et manca diuisio. §. 276. Monogrammatum diuisio in magna, media et parua. §. 277. Monogrammatum in nummaria, vexillaria, parietaria s. Rhabaniana, sphragistica, diplomatica, cet. diui-

sio. §. 278. Monogrammatum diplomaticorum origo. §. 279. An Carolus M. scribendi fuerit imperitus? §. 280. De formulis monogrammaticis in transcursu. §. 281. Monogrammata subscriptionum ac solemnium loco habita. §. 282. Causae introductorum Monogrammatum. §. 283. Triplex monogrammata exarandi modus. §. 284. An viri principes aliique homines monogrammata manu sua exarauerint? §. 285. Vestigia manus propriae in monogrammatibus conspicua. §. 286. Formularum commemorationis in duas classes distributio. §. 287. Locus monogrammatum diplomaticorum. §. 288. Quamdiu monogrammata et in quibus terris viguerint? §. 289. Monogrammatum regulae quaedam et cautiones generales. §. 290.

II) Monogrammatologia specialis.

De Monogrammatologia speciali in genere. §. 291. Recensus monogrammatum in Tab. nostra aenea VIII. exhibitorum. §. 292. De Merouingadum monogrammatibus. §. 293. De Imperatorum ac Regum Germanicorum monogrammatibus, et quidem 1) de quatuor illorum epochis. §. 294. 2) De illorum diuisione a) in nominalia, titularia et mixta. §. 295. b) In linearia et litteralia, cet. §. 296. c) In regia et imperialia. §. 297. 2) Enodatio singulorum monogrammatum tum regiorum, tum imperialium inde ab Ottone II. Imp. §. 298. De Imperatorum Constantinopolitanorum monogrammatibus. §. 299. De Regum Galliae monogrammatibus, et quidem 1) de illorum tribus epochis. §. 300. 2) De illorum diuisione a) in nominalia et titularia. §. 301. b) In linearia et literalia. §. 302. De Regum atque Imperatorum Italiae monogrammatibus. §. 303. De Regum Lotharingiae, Prouinciae et Burgundiae monogrammatibus. §. 304. De Regum Hispaniae monogrammatibus. §. 305. De monogrammatibus Principalibus. §. 306. De Comitum, Nobilium, Magistratuum et Notariorum monogrammatibus. §. 307. De Pontificum Rom. monogrammatibus. §. 308. De Episcoporum, Abbatum et Monasteriorum monogrammatibus. §. 309. De Monogrammatibus femininis. §. 310.

Cap.

Cap. VI. Sphragiſtica.

I) Sphragiſtica generalis.

Sigillorum et Sphragiſticae definitio. §. 311. Verbi ſigillum homonymia. §. 312. Vocabuli ſigillum ſynonyma. §. 313. De ſigillorum antiquitate et de populis, qui iis vſi fuerunt et ex parte nunc quoque vtuntur. §. 314. Sphragiſtica ars noua. §. 315. De typariis ſ. inſtrumentis ſignatoriis, eorumque cuſtodia. §. 316. De typariorum materia. §. 317. De typariorum variatione. §. 318. De ſigillorum auctoritate, eiuſque tribus epochis. §. 319. Sigilla confirmationis, ſubſcriptionis ac teſtium loco vſurpata. §. 320. De ſigillis ſpuriis. §. 321. De fide diplomatum, quorum ſigilla perierunt. §. 322. De iure ſigillorum. §. 323. De formulis ſphragiſticis. §. 324. Sigillorum diuiſiones, tabula quadam exhibitae. §. 325. De ſigillis monoſphragiſticis et amphiſphragiſticis. §. 326. De ſigillis maieſtaticis. §. 327. De contraſigillis. §. 328. De materia ſigillorum. §. 329. De bullis aureis. §. 330 De bullis argenteis. §. 331. De bullis plumbeis. §. 332. De bullis aeneis et ſtanneis. §. 333. De ſigillis cereis, eorumque in pura et mixta diuiſione. §. 334. De ſigillis cereis puris. §. 335. De ſigillis cereis mixtis. §. 336. De ſigillis cretaceis, farinaceis et malthinis. §. 337. De cera Hiſpanica in tranſcurſu. §. 338. De ſigillorum figura. §. 339. De ſigillis rotundis, eorumque in orbicularia, oualia et parabolica diuiſione. §. 340. De ſigillis quadratis, pentagonis, hexagonis, octogonis, item cauis ſ lanciformibus. §. 341. De ſigillorum quantitate. §. 342. De ſigillorum inſcriptionibus. §. 343. De inſcriptionibus ſigillorum literalibus. §. 344. De inſcriptionibus ſigillorum realibus. §. 345. De ſigillis impreſſis. §. 346. De ſigillis pendulis. §. 347. De ritibus in impreſſione vel appenſione ſigillorum obſeruatis. §. 348. Regulae quaedam ad diſcernenda ſigilla ſuppoſititia neceſſariae. §. 349.

II) Sphragiſtica ſpecialis.

De ſigillis Merouingadum et Carolidarum. §. 350. De Regum atque Imperatorum Italiae ſigillis. §. 351. De Imperatorum ac Regum Germanicorum

manicorum sigillis. §. 352. De Imperatorum Constantinopolitanorum sigillis. §. 353. De Regum Galliae Capetingicorum sigillis. §. 354. De Regum Angliae sigillis. §. 355. De Regum Scotiae et Hiberniae sigillis. §. 356. De veterum Regum Siciliae et Neapoleos, item Regum Sardiniae et Hispaniae sigillis. §. 357. De Regum Succiae sigillis. §. 358. De sigillis Regum Daniae. §. 359. De Regum Hungariae et Bohemiae sigillis. §. 360. De sigillis Russicorum Czarorum, Imperatorum Turcicorum, Regum Persicorum, Indicorum, cet. §. 361. De sigillis Principum, Comitum ac Nobilium generatim. §. 362. De Principum Langobardicorum et Normannicorum sigillis. §. 363. De sigillis Comitum Flandriae. §. 364. De sigillis Lotharingiae Ducum. §. 365. De sigillis Comitum Habsburgicorum. §. 366. De sigillis Nobilium. §. 367. De sigillis ciuitatum. §. 368. De sigillis iudiciorum, magistratuum, communitatum ac collegiorum cuiuscunque generis. §. 369. De sigillis Notariorum, Iudaeorum et Priuatorum. §. 370. De bullis ac sigillis Pontificum Romanorum. §. 371. De sigillis Cardinalium. §. 372. De sigillis Conciliorum ac Synodorum. §. 373. De sigillis Archiepiscoporum atque Episcoporum. §. 374. De sigillis Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, parochialium, item Praepositorum, Decanorum, Parochorum, Clericorum. §. 375. De sigillis Abbatum, Abbatissarum, Monasteriorum et Monachorum. §. 376. De sigillis Ordinum religiosorum ac militarium. §. 377. De sigillis Imperatricum ac Reginarum. §. 378. De sigillis Ducissarum ac Comitissarum. §. 379.

PROLE-



PROLEGOMENA.

SECTIO I.

DE

ARTE DIPLOMATICA DIPLOMATIBVSQVE GENERATIM

---

* DAN. EBERH. BARINGII clauis diplomatica. Hanou. 1737. 4. Edit. II. sic ab auctore recognita, emendata ac locupletata, vt nouum opus videri possit, ib. 1754. 4. mai.

** *Oratio mea* de artis diplomaticae difficultate, in vsum praelectionum publicarum edita, multisque obseruationibus locupletata. Norimb. 1757. 4.

§. 1.

Definitio artis diplomaticae.

Ars *diplomatica* s. *codicillaris*, item *tabellaria*, est scientia diplomatum intelligendorum, diiudicandorum aliisque rebus applicandorum. *Diplomata* quae dicantur, paullo inferius (§. 4.) inuestigandi commodior locus erit. Interea diplomatum notione, quam vsus loquendi suppeditat, contenti erimus.

§. 2.

Diuiſio artis diplomaticae.

Diplomatica in *vniuerſalem*, *particularem* & *ſingularem* diuidi poteſt. Diplomaticae vniuerſalis ſyſtema adhuc deſideratur. Nos, Deo auſpice, primas eius lineas in hoc libro ducere conabimur.

I) *Diplomaticae particularis* haec ſpecimina data ſunt:

P. DAN. PAPEBROCHII propylaeum antiquarium circa veri ac falſi diſcrimen in vetuſtis membranis. Praemiſſus eſt hic libellus Tomo II. *Actorum ſanctorum* menſis Aprilis, Antw. 1673. deinde recuſus in *Baringii* claue diplom. p. 229--325.

P. IOH. MABILLONII de re diplomatica L. VI. Pariſ. 1681. fol. Edit. II. ib. 1709. fol.

Eiuſd. Librorum de re diplomatica ſupplementum. Pariſ. 1704. fol.

IOH. NIC. HERTII diſſ. de fide diplomatum Germaniae Imperatorum & Regum. Gieſſ. 1699. 4. item in eius opuſc. T. I. P. II. p. 589--636, & in *Baringii* claue dipl. p. 325--369.

SCIP. MAFFEI Iſtoria diplomatica che ſerve d'introduzione dell' arte critica in tal materia. Mant. 1727. 4.

(GOTTFR. DE BESSEL, Abbatis Gottwicenſis) Chronici Gottwicenſis tomi prodromi P. I. & II. Tegernſee 1732. fol.

CHRISTIANI HENR. ECKHARDI introductio in rem diplomaticam, praecipue germanicam. Ien. 1742. 4. Edit. II. ib. 1753. 4.

IOH. HEVMANNI commentarii de re diplomatica Imperatorum ac Regum German. inde a Carolo M. Norimb. T. I. 1745. T. II. 1753. 4.

Eiuſd. Commentarii de re diplomatica Imperatricum & Reginarum Germaniae, accedunt appendices II. in quibus de diplomatibus nonnullis cum Auguſtarum & Reginarum Italiae, tum Imperatricum Conſtantinopol. diſſeritur. Norimb. 1749. 4.

IOH. FRID. IOACHIM. Einleitung zur teutſchen Diplomatik. Hal. 1748. 8. Edit. II. ibid. 1754. 8.

II.) *Diplomaticae ſingularis* exemplum eſt:

IOH. HEVMANNI & CHRISTOPH. GOTTLIEBII DE MVRR commentatio de re diplomatica Friderici II. Imp. Aug. Altorfii

Altorfii 1756. 4. & recusa in IOH. HEVMANNI exercitationum Iuris Vol. I. (Altorf. 1757. 4.), post pag. 104.

III.) *Diplomaticae vniuersalis systema* elaborandum bonis auspiciis susceperunt Galli duo, Ordini S. Benedicti, e congregatione S. Mauri, adscripti, qui quoniam rei diplomaticae peritissimi sunt, necessariisque subsidiis instructi, non sine summo desiderio exspectatur operis coepti continuatio & finis. Inscriptum autem est opus hoc egregium:

Nouveau Traité de Diplomatique, où l'on examine les fondemens de cet art, on établit des regles sur le discernement de titres & l'on expose historiquement les caractères des bulles pontificales des diplomes donnés en chaque siècle; avec des eclaircissemens sur un nombre considerable de points d'histoire, de chronologie, de critique & de discipline; & la refutation de diuerses accusations intentées contre beaucoup d'Archives celebres & sur tout contre celles des anciennes eglises par DEVX RELIGIEVX BENEDICTINS DE LA CONGREGATION DE S. MAVR. Paris T. I. 1750, T. II. 1755, T. III. 1757, T. IV. 1759. 4. mai.

Versio germanica, qua opus hoc prae ceteris dignum fuit, inscripta est: *Neues Lehrgebaeude der Diplomatik -- aus dem franzöesischen übersezt und mit Anmerkungen versehen von* IOH. CHRISTOPH ADELVNG, *Prof. an dem evangelisch-lutherischen Gymnasio zu Erfurt &c.* Erfurti T. I. 1759, Tom. II. 1761, Tom. III. 1763. 4.

§. 3.

Diplomatum etymologia & homonymia.

Diploma, vox graeca (δίπλωμα), proprie, si originem eius spectes, duplicatum quiddam significat: deinde libellum duorum foliorum, intus scriptum, foris vacuum siue purum. Romani veteres diploma duobus potissimum modis dixerunt. Primo enim, licet rarius, verbo huic eam tribuerunt notionem, quam nostra aetate eruditi homines illi tribuere solent, vt CICERO Famil. VI. 12: *Diploma statim non est datum*, item SVETONIVS in Calig. 38. & in Nerone 12. Frequentius tamen Romanis diplomata sunt libelli, siue codicilli, qui dabantur cursoribus, omninoque iis, qui itinera ob rem publicam susceperunt, vt li-

ceret iis, vti equis & vehiculis publicis: quam quidem significationem huic verbo attribuit CICERO ad Attic. X. 17. & in Pison. 90; PLINIVS X. 14, 54, 55, 121, 122; TACITVS Hist. IV. 54. Egregie quoque hunc locum illustrant, quae de *cursu clabulari*, *euectionibus*, *tractoriis*, *statiuis & canalibus publicis* in vtroque codice leguntur. Huius generis diploma romanum seruauit nobis BARONIVS Annal. eccles. T. III ad an. 314. num. 72.

* GESNERVS in nouo linguae romanae thesauro, s. v. *diploma*.

** IAC. REICHII diss. de diplomatibus & tractoriis, vulgo Post- und Kost-Zetteln, in acad. regiomontana A. 1678. habita, recusa Lips. 1744. 4.

§. 4.

Definitio diplomatum.

Qui de re diplomatica huc vsque scripserunt, diplomatum aut nullas, aut vitiosas vndique definitiones attulerunt, quod vtrumque quam sit scientia indignum, nemo non intelligit. Vt itaque scopulos, ad quos alios afflictos esse animaduertimus, ipsi, quantum in nobis situm est, fugiamus, pauca quaedam, antequam ad definienda diplomata accedamus, monenda videntur. Iam primum omnium satis constat, qui in definitione diplomatum non eos tantum, a quibus diplomata iure proficiscuntur, sed etiam eos, quibus dari solent, sigillatim commemorant, breuitatis atque adeo bonae methodi leges migrare. Deinde in eo simul peccant, quod, quum diplomatum dandorum ius solis rebuspublicis earumue rectoribus attribuant; iniurioси sunt in priuatos; quippe qui, quoniam donare, vendere, permutare, oppignerare &c. possunt, quidquid rerum suarum volunt, sine dubio formulis etiam scriptis hac in re vtendi potestatem habere debent, si modo id, quod agunt, legibus moribusque reipublicae, cuius ciues sunt, conuenienter agant. Sed in hoc etiam minus recte alios versari existimamus, quod diplomata literarum patentium genus esse volunt. Nisi enim omnia me fallunt, definitio, adiuncto hoc tamquam additamento, re definita angustior fit. Nam qui diplomata literas patentes vocant, excludunt primo ea diplomata, quae ad instar monimentorum saxis vel metallis, itemque tabellis ceratis, &c. inscripta sunt, vel formam libellorum, seu codicum, ex pluribus paginis tabulisue contextorum imitantur: deinde ea etiam, quae ita obsignata sunt, vt non patentibus, sed vere clausis literis annumerari debeant.

beant. Sunt denique eruditi homines, qui vt alia taceam, sigillorum mentionem in diplomatum definitione faciendam duxerunt. Sed hi non viderunt, esse quoque diplomata, quae per se ac sua natura sigillo omni careant, vitiosamque adeo definitionem recte existimari, quae sigilla notam diplomatum, qua semper agnoscantur, faciat. Quae omnia si rite perpendantur, facile apparebit, diplomatum naturam nondum pro rei dignitate satis explicatam esse. Fortasse haec, quam nunc proferre conamur, definitio noua rei diplomaticae peritis viris quodammodo satisfaciet. Definimus autem *diplomata esse descriptiones* s. formulas scriptas (*schriftliche Aufsaeze über*) *iurium & obligationum, vel rerum etiam in facto positarum, sollemnibus verbis ac ritibus conceptas.*

* B. ECKHARDVS in Introduct. in rem diplomat. p. 36. §. XV. hanc diplomatum definitionem attulit: *Diplomata mihi dicuntur litterae patentes Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, quibus varia iura & priuilegia, vel etiam res personis, ciuitatibus & collegiis tribuuntur*; de qua quidem definitione quid sentiendum sit, ex his, quae supra diximus, facile cognoscitur. Cel. IOACHIM *in der Einleitung zur teutschen Diplomatik*, C. II. §. I. diploma ita definiendum duxit: *Ueberhaupt wird unter dem Worte Diploma verstanden, eine offene geschriebene und besiegelte Vrkunde, worin eine gewisse Handlung aufgezeichnet ist*; quamquam eodem loco etiam ECKHARDI definitionem suam facere non dubitauit.

§. 5.

Diplomatum sollemnia.

Omnia quidem diplomata vel res in facto positas (res facti), vel iura & obligationes complectantur necesse est; sed non omnia scripta, quae res in facto positas, vel iura & obligationes complectuntur, diplomata sunt, nisi iis sollemnia quaedam accesserint (§. 4). Sollemnia haec, quae verbis ac ritibus certis, a lege vel consuetudine sumtis, continentur, pro temporum ac nationum pariter, atque ipsarum rerum diuersitate varia quidem sunt, ita tamen omnino comparata, vt omnes gentes, & barbarae etiam, in iis ipsis diplomatum robur, auctoritatem ac fidem summam inesse putauerint, & adhuc putent. Cuius generis exempla haec sunt: Tituli honorum ceteraeque formulae ac caerimoniae cancellariae, testes, propriae manus nota, symbola, chartae partitae, chirographicae & indentatae, sigilla &c. Sed caue, existimes, omnia

omnia haec & quae huiusmodi sunt sollemnia in vno eodemque diplomate simul adesse debere.

* BARNABAE BRISSONII de formulis & solemnibus populi romani L. VIII. Francof. 1592. 4.

IOH. GOTTL. HEINECCII orat. de Iurisprudentia veterum Romanorum formularia, ritibusque, quibus negotia ciuilia explicabant, solemnibus. Franequ. 1724.

CHRIST. VLR. GRVPEN obseruationes I) de forma conficiendi acta apud Romanos, II) de forma testamentorum iudicialium & priuatorum. Hanou. 1753. 4.

MARCVLPHI formulae 1) ex edit. *Hier. Bignon* Paris. 1613. 2) in *Steph. Baluzii* Capitularibus Regum Francorum, (Paris. 1677. fol. II. Voll.) T. II, 3) in Biblioth. PP. Colon. & Lugdun.

Formulae vetustae alsaticae, cum annotat. *Ioh. Geo. Eccardi*, in eius Legibus Francor. Salicis & Ripuarior. (Hannouerae 1720. fol.), pag. 232. sqq.

** De chartis partitis, chirographicis, indentatis &c, vid. *Nouveau Traité de diplomatique* T. I. p. 354. sqq.

§. 6.

Diplomatum in tabulas, codicillos & chartas diuisio.

Possunt diplomata I.) ratione formae externae in *Tabulas*, *Codicillos* & *Chartas* diuidi. *Tabulas* dico diplomata ea, quae, vt alia monimenta, publica praesertim, saxis, metallis &c. inscripta sunt: id quod Graecorum veterum institutis illustrari potest, qui nihil fere archiuis suis intulerunt, nisi quod antea saxis, metallisue mandauissent. *Codicilli* autem vocari possunt diplomata, quae ad modum libellorum sunt confecta. *Chartae* denique sunt omnia reliqua diplomata, quae neque monimentorum, neque libellorum formam prae se ferunt.

§. 7.

Diplomata ecclesiastica & saecularia: publica & priuata, cet.

Diplomata II.) respectu eorum, a quibus dari solent, in *diplomata sacra s. ecclesiastica*, & *ciuilia s. saecularia* dispesci possunt. Celebris vero inprimis III.) est diuisio diplomatum in *publica* & *priuata*, quorum

quorum illa publicas res, haec priuatas respiciunt. In publicis diplomatibus alia ad plures respublicas earumue rectores, alia ad vnam tantum rempublicam spectant. Prioris generis diplomata publica *Tractatus*, posterioris *Constitutiones*, breuitatis ac doctrinae caussa nobis appellare liceat. Tractatuum formae s. species sunt: *Foedera*, *instrumenta pacis*, *declarationes*, *notitiae*, *sanctiones pragmaticae*, cet. Constitutionum vero exempla esse possunt: *Leges*, *priuilegia*, *decreta*, *edicta*, *mandata*, *sententiae*, cet.

§. 8.

Diplomatum in acta & documenta diuisio.

Quum diplomata vel rerum in facto positarum, vel iurium & obligationum descriptiones sint (§. 4), possunt etiam IV.) in *Acta* & *Documenta* haud incommode diuidi. *Acta* scilicet sunt diplomata, in quibus res in facto positae describuntur: *Documenta* vero, quibus iurium & obligationum descriptiones continentur. Tam acta, quam documenta sunt 1) vel *sacra* s. *ecclesiastica*, vel *ciuilia* s. *saecularia*; 2) vel *publica*, eaque rursus mox *tractatus*, mox *constitutiones*, vel *priuata* (§. 7.).

§. 9.

Autographa & apographa.

Denique V.) diplomata in *Autographa* s. *Archetypa*, quae barbara aetas etiam *originalia* appellauit, & in *Apographa* s. *Exempla*, quae etiam *Copiae* s. *Transsumta* minus latine vocantur, diuidi solent. Autographorum plura interdum exemplaria exarantur, id quod in foederibus, pacis instrumentis, contractibus, chartis familiae erciscundae, cet. accidere solet. Eiusmodi autographa, quorum plura exemplaria scripta sunt, *chartae pariclae* s. *pariculae*, itemque interdum *chirographa*, *chartae partitae*, *indentatae*, cet. olim sunt vocata.

* IOH. GVIL. BERGER de autographis veterum. Vitemb. 1723. 4.
IOH. FRID. GHVLINGIVS de apographis veterum. Vitemb. 1723. 4.
IOH. ERN. FLOERCKE commentatio de exemplis, vulgo Copiis. Altorfii 1683.
Nouveau Traité de diplomatique T. I. p. 162 -- 233, itemque figillatim de chartis pariclis, partitis cet. p. 354. sqq.

§. 10.

§. 10.

Apographa authentica & vaga.

Apographorum duo potissimum genera sunt. Alia enim publica, alia priuata auctoritate conficiuntur. Illa *apographa authentica* s. *vidimata*, haec apographa *vaga* s. *incerta* appellari possunt. Apographis authenticis eadem fides, quae autographis ipsorum, tribuenda est; vaga autem apographa non repudianda quidem statim, altiore tamen indagine digna sunt.

§. 11.

Diplomataria s. Chartularia.

Antequam ab hoc loco discedamus, monendum paucis est, apographa non tantum separatim scripta reperiri, sed exstare etiam integra volumina, quibus apographa illata sunt; quas quidem apographorum collectiones *Instrumentalia volumina*, *Panchartas* s. *Pantochartas*, itemque *Chartularia*, *Antiquaria*, *Registraria*, *Regesta*, *Transsumta*, *Diplomataria*, *Bullaria*, *Libros copiales* cet. vocare solent. Eiusmodi chartulariorum vsus, testante MABILLONIO de re diplomatica L. III. C. V. §. II, ante saeculum X. vel nullus fuit, vel rarus admodum, quum antea *Libri censuales* s. *Polyptycha* eorum loco fuissent. In Germania vix reperies chartularia, quae ante finem saeculi XIII. fuerint scripta. Sunt autem chartularia neque eiusdem generis, neque eiusdem auctoritatis. Diuidere ea, vt apographa (§. 10) in *Chartularia authentica* & *vaga* s. *incerta* placet. Sunt enim chartularia, quae non tantum ex autographis descripta, sed etiam a notariis vel aliis personis publicis recognita & subsignata sunt. Haec quia sunt authentica, autographorum ipsorum fidem & auctoritatem habent. Sed sunt etiam chartularia, in quibus nullum publicae auctoritatis vestigium cernere licet, quaeque ob id ipsum altioris indaginis sunt. Chartularia haec incerta, nunc diplomata narrationibus historicis probandi causa intermixta exhibent, quae *chartularia historica* s. *mixta* appellari possunt; nunc ex solis diplomatibus constant, quibus *Chartulariorum merorum* s. *codicum diplomaticorum* nomen tribuendum videtur.

* IOH. WILH. WALDSCHMIDT diss. de probatione per diplomataria, *vom Beweis durch Copial-Bücher*, in acad. Marburg. 1726. habita, recusa in *Baringii* clauc diplom. p. 391--464.

§. 12.

§. 12.

Diplomatum varia genera, tabula repraesentata.

Quot quamque varia sint actorum & documentorum, vno verbo, diplomatum genera, ex hac tabula, quae luculentam eorum partem complectitur, iudicatu facile erit:

In diplomatibus describuntur (§. 4) vel

A.) *Res in facto positae*

I. nude & *sine additamentis*

1. ad *testificandas* res, quae factae sunt, qualia sunt Protocolla, Instrumenta notariorum, Testimonia cet.
2. ad *notificandas* res in facto positas, cuiusmodi sunt Literae patentes, Manifesta, cet.
3. ad *commemorandas* res gestas, quod fit in Relationibus, notoriis, *Berichten*, cet.

II. *cum additamentis*: additis scilicet

1. *precibus*, quales sunt Literae supplices, cet.
2. *probationibus*: vnde Deductiones, Pro Memoria cet.

B.) *Iura & obligationes*, quibus

I. *alii* obligantur

1. in *republica*
   a. *a suprema potestate.* Leges; priuilegia; concessiones regalium, dignitatum, munerum; mandata alia & constitutiones.
   b. *a magistratibus & officialibus.* Sententiae, decreta, rescripta, & aliae constitutiones.
2. in *familia*, vt Testamenta, cet.

II. *aliquis seipsum* obligat per *pacta & contractus*, quorsum pertinent

1. *Transactiones* { in iudiciis / coram arbitris } cum vel sine renuntiationibus cet.
2. *Alia pacta*, quae fiunt vel
   a. *sine respectu reipublicae*, & quidem
      ℵ. *sine* addita aliqua *conditione* necessaria, vel
         α. *ad fundanda iura*
            1) *realia*, quae
               a) describuntur in Inuentariis
               b) alienantur
                  ℵ.) *ex toto*, & quidem vel

α.) *sine respectu ad casum mortis*
(1) Donationibus & Traditionibus.
(2) Venditionibus.
(3) Permutationibus.
β.) *cum respectu ad casum mortis*
(a) *futurae*
(α) donationibus mortis caussa
(β) per pacta varia successionis, cuius generis sunt
(1) pacta dotalia, item vnio prolium.
(2) pacta familiae, inprimisque Fideicomissa.
(3) Ganerbinatus
(4) Contraternitates
(5) Vniones hereditariae.
(b) *consecutae*: hereditatis aditione, vel quieta, vel controuersa, quae quidem variis transactionibus, venditionibus, renuntiationibus cet. locum facere solet.
ב.) *ex parte*, pactis
(1) feudalibus. Literae feudales cum reuersalibus cet.
(2) emphyteuticis.
(3) locationis & conductionis.
(4) mutui. Syngraphae & apochae (*Schuldscheine und Quittungen*)
(5) pactis antichreticis (*Niessbrauchsvertraege*).
2) *personalia*, & quidem vel
a) *personarum singularum*
α) per locationem operarum.
β) per contractus depositi, mandati, societatis, cet.
b) *societatum*
α) *domesticarum*, quorsum pertinent
(1) Sponsalia.
(2) Pacta nuptialia.
(3) Adoptiones & arrogationes.

(4) E-

(4) Emancipationes.
(5) Tutelae pactitiae.
(6) Addictio in seruitutem.
(7) Manumissio.

β) *ciuilium*, quo referendi sunt contractus Collegiorum, Vniuersitatum, v. gr. Collegiorum opificum, cet.

β. *ad iura corroboranda*, quorsum pertinent
1) Varia *cambiorum* genera. Literae cambiales.
2) *Oppignerationes*, cum assignationibus pignoris vel hypothecae (*Pfand- Hypothec- Verschreibungen*).
3) Sponsiones (*Bürgschaften*).

γ. *ad iura abolenda*, per pacta singularia, quibus
1) *tollitur* vel
a) *obligatio* quaedam, quorsum pertinent
(1) Renuntiationes.
(2) Mutuus dissensus.
(3) Pacta de non petendo.
(4) Compensationes.
(5) Datio in solutum, cet.
b) *communio* quaedam, vt communio bonorum, quae bonorum diuisione tollitur, vnde Chartae diuisionis s. familiae erciscundae, cet.
2) *immutatur vel in alios transfertur* ius vel obligatio, cuius generis sunt
a) Nouationes.
b) Delegationes.
c) Cessiones, cet.

2. *addita conditione* quadam fortuita, quorsum pertinent
α. in genere omnes contractus aleae.
β. in specie assecurationes, cum earum formulis, *Polizza* dictis.

b. *respectu ad rempublicam habito*, quo referenda sunt
1) Pacta *inter rectorem reipublicae & ciues*
a) vel *omnes*, Capitulationes Caesareae, Recessus Imperii; Recessus conuentuum prouincialium, cet.
b) vel *quosdam*, Pacta inter imperantem & ordines

varios, v. gr. ordinem equestrem, sacrum, mercatorium, cet.

c) vel *singulos*, pacta inter imperantem & quemdam mercatorem, cet.

2) pacta *inter rectores diuersarum rerumpublicarum*, quorsum pertinent foedera, instrumenta pacis, conventiones limitum, pacta defensionis, sanctiones pragmaticae, cet.

* In tabulae huius rationibus institituta ill. PVTTERI in *der Juristischen Praxi* p. 69-- 192. quodammodo secutus sum.

§. 13.

Restrictiores verbi diplomatis notiones.

Sunt viri docti, qui diplomatis notionem ita restringunt, vt hoc verbo non nisi *diplomata medii aeui* comprehendant: deinde sunt etiam, qui acta publica, recentiora praesertim, *(die neuen oeffentlichen Staatsschriften)* a diplomatibus seiungenda putent. Ac neutra quidem notio, vt verum fatear, ab vsu loquendi, qui nunc est, abhorret. Sed nos tamen huic vocabulo potestatem ac vim latius patentem, hoc est, eam, quae ipsi rei conuenientior est, tribuimus, idque non sine rationibus idoneis feciſse nobis videmur; quamquam haud ignoramus, artis diplomaticae fines nondum in omnia diplomatum genera esse prolatos. Largimur etiam facile, recentiorum diplomatum tam! exploratam plerumque ac prouisam rationem esse, vt de illorum fide atque auctoritate vix vllus dubitandi locus diplomaticae rei peritis hominibus relinquatur.

§. 14.

Vocis Diplomatis Synonyma.

Diplomatis vox raro in ipsis diplomatibus occurrit. Est itaque operae pretium, cognoscere, quibus nominibus diplomata plerumque appellari soleant. Horum autem nominum praecipua haec sunt: *Praeceptum*, *auctoritas*, *priuilegium*, *pagina*, *charta*, *litera* seu *literae*, *apex*, *pancharta*, *sanctio pragmatica*, *instrumentum*, *testamentum*, *indiculus*, *placitum*, *notitia*, *bulla*, *sigillum*, cet. Nobiles illi noui operis diplomatici auctores (*) in explicanda diplomatum nomenclatura multum operae studiique consumserunt. Sunt autem hae *classes decem*,

ad

ad quas omnia diplomatum nomina reducebant, 1) *Literae*, 2) *Chartae*, 3) *Notitiae*, 4) *Acta iudicialia*, 5) *Leges*, 6) *Contractus*, 7) *Testamenta*, 8) *Breuia* seu *Breueta*, 9) *Acta*, 10) *Regiſtra*. Atque harum claſſium vnaquaeque in ſua porro *genera* & *ſpecies* diuiſa eſt.

(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. p. 233 -- 440.

SECTIO II.

NOTITIA LITERARIA REI DIPLOMATICAE.

§. 15.

Diplomatum antiquitas.

Diplomatum vſus tam antiquus eſſe videtur, quam literae ipſae. Ii certe populi, qui ſcribendi artem callebant, ſcribendis etiam diplomatibus operam dederunt, eaque ad poſteros quoque tranſmiſerunt, vt *Phoenices*, *Aegyptii*, *Chaldaei*, *Iudaei*, *Perſae*, *Sinenſes*, *Graeci* & *Romani*. Nationes autem *Germanorum*, & in his *Franco-Galli* diplomatum vſum a Romanis didicerunt. Temporis iniuriae, bella, incendia, cet. rei diplomaticae tam pernicioſa fuerunt, vt nullum in papyro aegyptiaca vel membrana ſcriptum diploma, quod ſaeculo V. poſt Chriſtum natum antiquius ſit, produci poſſit. Ac generatim hic monendum eſt, (*) diplomata papyracea & membranacea, quo propius a ſaeculo V. abſint, eo pauciora eſſe. Nam *ex ſaeculo quinto* vix decuriam vnam chartarum eiuſmodi, *e ſexto* duas circiter decurias, & *ex ſeptimo* vix aliquot centurias, tamquam tabulas de naufragio reliquas habemus. Eſt denique multum, ſi ſaeculum *octauum* mille nobis diplomata ſuppeditet. Vno verbo, quo remotior chartarum aetas a ſaeculo V. eſt, eo maior eorum numerus reperitur.

(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. p. 122.

§. 16.

Notitia literaria artis diplomaticae.

* IMMAN. WEBERI Epistola ad Ioh. Sam. Brunnerum de statu rei diplomaticae in Germania. Ienae 1698. 4.

SIMON. FRID. HAHNII Praefatio de instauratoribus artis diplomaticae: adiuncta eius Commentat. de diplomate fundationis Bergensis ad Albim Coenobii. Magdeb. 1710. 4.

IOH. PAVLLI FINCKE Conspectus Bibliothecae chronologico-diplomaticae. Hamb. 1740. 4.

DAN. EBERH. BARINGII Bibliotheca diplomatica, in eius claue diplomatica p. 1-152.

HENR. GOTTLIEB FRANCKE Compendiosa Bibliotheca diplomatica, adiecta *Ioh. Guil. Hoffmanni* & *Henrici Oberkamp* lucubrationibus de re diplomatica, a se editis (Lipsi 1758. 4.), p. 125 -- 176; itemque FRANCKII praefatio, his opusculis praemissa.

Diu admodum nulla peculiaris diplomatum ars atque disciplina fuit, quippe quae demum sub saeculi proxime elapsi finem inuenta, & nostra inprimis aetate magis magisque augeri excolique coepta est. Prima hominum doctorum opera inde a *saeculo XVI*, magis vero a saec. XVII. in *publicandis diplomatibus*, quae antea sibyllinis carminibus religiosius custodita, vel neglecta potius sunt, versabatur. Edendis vero in lucem diplomatibus, quorum separatim alia, alia coniunctim ac integris voluminibus comprehensa (*) prodierant, *controuersiae publicae* locum fecerunt. Diplomata enim libris eristicis probationum loco adiuncta sunt. In quibus quum caussarum illustrium patroni rei cardinem verti haud aegre cernerent; diplomatum, non vniuersorum quidem ab initio, sed prolatorum dumtaxat fidem & auctoritatem tollere studuerunt. Sic diplomata, quae ad dirimendas controuersias primum publicata sunt, nouas, vt fit, easque grauissimas disceptationes, quas duriusculo *bellorum diplomaticorum* nomine appellare moris est, procrearunt. Primo autem de singularibus quibusdam diplomatibus, deinde de re diplomatica vniuersa, & magno quidem vtrimque animorum aestu pugnatum est. Prioris generis controuersias *bella diplomatica particularia*, posterioris autem *bellum diplomaticum vniuersale* dicere solent. Atque hae quidem controuersiae non in hoc tantum orbi literato vtiles ac frugiferae fuerunt, & sunt nunc quoque, quod obseruationes multae singulares ad illustrandam rem diplomaticam a viris doctissimis in lucem sunt prolatae, sed

etiam

etiam quod ipsam nobis artem diplomaticam pepererunt. In primis bonae frugis plenissima sunt scripta 1) NIC. ZYLLESII, Syndici Abbatiae S. Maximini (circ. an. 1638), 2) BENIAMINI LEVBERI, I. V. Doct. ac Consiliarii Dresdensis, itemque Camerae Lusaticae Procuratoris († 1675), & 3) HERMANNI CONRINGII, Philos. & Medic. Doct. multorum Regum ac Principum Consiliarii ac Archiatri, itemque Prof. Phys. Medic. ac Polit. in Acad. Helmstad. (nat. 1606. Nordenae in Frisia Orientali, † 1681. Helmstadii).

(*) Praecipuas *Diplomatum collectiones* infra P. II. Sect. II. Cap. II. commemorabimus.

§. 17.

Sed DANIEL PAPEBROCHIVS, Iesuita Antwerpiensis (n. 1628. † 1714.), hanc sibi laudem quasi vindicare potest, quod primus omnium, in propylaeo suo antiquario, de re diplomatica ausus sit philosophari. Quum vero regulae, quas tradidit, auctoritatem diplomatum labefactarent magis, quam stabilirent, & *Iesuitarum sodalitas* prope vniuersa in bello illo diplomatico vniuersali id potissimum agere videretur, vt, diplomatum fide sublata, vetustiorum ordinum sacrorum, & *Benedictinorum* inprimis, iura & possessiones tollerentur, vel turbarentur certe; IOH. MABILLONIVS, Gallus, Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri decus immortale (n. 1632. † 1707.), rem diplomaticam in opere suo, quod de re diplomatica inscripserat, tam egregie tamque fortiter defendit, vt (*) PAPEBROCHIVS ipse, quam iniuriosus in rem diplomaticam fuerit, publice profiteri non dubitaret. Papebrochii facinus hoc egregium tantum abfuit, vt reliqui Iesuitae imitarentur, vel approbarent certe, vt hi potius bellum diplomaticum, cui componendo Mabillonii conatus sufficere poterant, renouarent. In primis BARTHOLOM. GERMONIVS, Iesuita Aurelianensis (n. 1662. † 1718.) pertinacissime contra Mabillonium pugnauit. Neque tamen altera ex parte defuerunt, qui Mabillonium defenderent: in quorum numero sunt 1) THEODORVS RVINARTVS, Rhemensis, familiae Benedictinae e Congregat. S. Mauri sodalis, & Mabillonii amicus singularis (n. 1657 † 1709.) 2) IVSTVS FONTANINIVS, Forosulensis, in Romano Archigymnasio publicus eloquentiae Professor († 1736), 3) DOMINICVS LAZZARINIVS, Professor linguae graecae & latinae Patauinus († 1734.)

(† 1734), vt alios taceam. Ab his viris, eruditione varia praestantibus, etsi Germonii impetus iterati grauissime repulsi erant, resque in eum iam locum deducta videbatur, vt dubitare amplius de diplomaticae rei fide & auctoritate nefas putaretur; tamen non solum IOH. WILH. HOFFMANNVS, Zittauiensis, Philos. & Iur. Doctor, & Histor. Prof. in Acad. Wittenb. ac denique Prof. Iuris & Regis Polon. Electoris Saxon. a consiliis aulicis (n. 1710. † 1739), manes diplomaticos turbauit: sed nuper etiam is, qui locum de Diplomatica in opere illo gallico, quod inscriptum est, *Encyclopédie ou Dictionaire raisonné des sciences, arts, metiers, manufactures par une societé des gens des lettres, mis en ordre & publié par M.* D'ALEMBERT) tractauerat, desperatam ac despectam ab omnibus fere Germonii caussam denuo defendendam suscepit. Atque illum quidem HENRICVS OBERKAMP, tunc Iuris Candidatus, nunc Principis Episcopi Bamberg. & Würzburg. Consiliarius intimus ac Cancellarius Bambergensis, in dissertatione quadam singulari, sub praesidio LEONH. GREBNERI, Iesuitae Bambergensis, refellit; huius vero crambe, nimium saepe recocta, quam insipida sit, Benedictini Galli in nouo opere diplomatico passim ostenderunt, & adhuc ostendere pergunt.

(*) DAN. PAPEBROCHII Epistola ad Mabillonium, quam lecto eius libro de re diplomatica scripsit, in qua *ignoscendi postulatio* continetur. Scripta est haec epistola A. 1683, edita deinde tam in MABILLONII Annal. Benedictin. T. I, quam in eiusd. Mabillonii supplemento libror. de re diplom. p. 5. sq.

§. 18.

In mediis his turbis ars diplomatica laetioribus in dies augmentis creuit. Nam primo IOH. NIC. HERTIVS, Consiliarius Hasso-Darmstadiensis, & Cancellarius ac Professor Iuris primarius Academiae Giessensis (n. 1652. † 1710.) Mabillonii inuenta ad rem diplomaticam Germaniae accommodauit. Deinde SCIPIO MAFFEI, Marchio Italus († 1755), non artam quidem diplomaticam, vt verum fatear, scripsit, eiusmodi tamen opus, quod rei diplomaticae multum vtilitatis praebet, in lucem protulit. Sed qui post eum in scenam prodierat, GODOFREDVS VON BESSEL, Abbas Gottwicensis in Austria († 1749), derelictum a Mabillonio locum de re diplomatica Imperatorum ac Regum Germanorum, a Conrado I. vsque ad Ottonem IV. summa industriae ac per-

perſpicuitatis laude tractauit. CHRISTIANVS HENR. ECKHARDVS, Quedlinburgenſis, I. V. Doct. Eloqu. & Poeſ. Prof. Ordinar. & Iur. extraordin. in Academia Ienenſi (n. 1716. † 1751.) primus eſt, qui iuſtum artis diplomaticae Imperatorum ac Regum Germanorum compendium edidit. Atque hi quidem viri omnes, quorum inſignia in rem diplomaticam merita hactenus laudaueram, non fere, niſi in vna diplomaticae artis parte explicanda, quae *critica* eſt, hoc eſt, quae regulas diplomatum verorum a falſis commentitiiſque internoſcendorum docet, verſati ſunt. IOH. HEVMANNVS, Muggendorfio-Baruthinus, Doctor & Profeſſor Iuris Altorfinus, ac tandem Principis Brandenburgico-Baruthini Conſiliarius intimus, Nobiliumque ordini adſcriptus (n. 1711 † 1760.), alium, hoc eſt, rectum guſtum arti diplomaticae intulit. Neque enim regulas tantum, quibus diplomata vera a falſis ſecernantur, tradidit, ſed oſtendit etiam, qua ratione diplomata locupletandis perficiendiſque aliis artibus ac diſciplinis accommodari debeant. Quibus meritis hoc etiam tamquam cumulum addidit, quod ampliſſimos rei diplomaticae fines deſignabat atque emetiebatur. Eodem fere tempore, quo Heumanni commentarii de re diplomatica in lucem prodierant, IOH. FRID. IOACHIM, Profeſſor Halenſis, meritorum laude clariſſimus, introductionem in rem diplomaticam Imperatorum ac Regum Germanorum edidit, in quo quidem libro idem fere conſilium, quod Eckhardus, ſequebatur, niſi quod eum lingua vernacula ſcripſerit. Sed omnibus his viris, egregiis licet ac meritiſſimis, palmam dubiam reddere, vel praeripere potius coeperunt duo illi GALLI, ORDINI S. BENEDICTI ADSCRIPTI, qui in perficiendo nouo opere diplomatico huc vſque verſati ſunt, & adhuc verſantur. Hi ſi Heumanni guſtum, de quo diximus, & deſignatos ab eo artis diplomaticae fines tenuerint: id quod eos facturos eſſe credimus, nondum enim vltimam laborum oram cernere licet; opus diplomaticum tandem aliquando exiſtet, quod & noſtra, & poſterorum aetas obſtupeſcat, neceſſe erit. Fragilitatem quidem rerum humanarum & huic operi fatalem eſſe poſſe, (*) CAROLI FRANCISCI TVSTINII ſiue TOVSTAIN (n. 1700 † 1754.) ſatis proh! dolor declaratum eſt; ſed continuatum ad hunc vſque diem opus, nihil ei, ac ne mortalitatem quidem, nocere poſſe, docuit. Congregatio S. Mauri non moritur.

(*) Elogium viri huius, & natalium, & meritorum laude nobiliſſimi exſtat in praefatione T. II. operis noui diplomatici (*Nouveau Traité de Diplo-*

plomatique), cui quidem operi scribendo ipse suam operam, dum viueret, laudabiliter dicauit.

§. 19.

Quinque adhuc virorum, de re diplomatica meritissimorum, mentionem faciundam ducimes, antequam ab hoc loco discedamus. Primus eorum est VALENTIN. FERDINANDVS, L. B. de GVDENVS, Iudicii Camerae Imperialis Wezlariensis Assessor († 1760) qui & syllogen, frugiferarum obseruationum plenissimam, & codicem diplomaticum, cui parem non vidimus, cum orbe literato communicauit. Alter vero est (*) DANIEL EBERH. BARINGIVS, Oberga-Hildesiensis, Regiae Bibliothecae, quae Hanouerae est, Custos (n. 1690. † 1753), qui claue sua diplomatica omnium artis nostrae cultorum gratiam in perpetuum sibi deuinxit. Tertius est IOH. LVDOLFVS WALTHERVS, Magnae Britanniae Regis in Archiuo Electorali a secretis († 1745), qui lexico suo diplomatico omnium tulit puncta, errandique in posterum facilitatem, enodantibus abbreuiaturas difficillimam reddidit. His denique adiungendi sunt IOH. MICH. HEINECCIVS, S. S. Theol. Doctor, sacri tribunalis in Ducatu Magdeburgico Consiliarius, Ecclesiarum Halens. & per Dioecesin Salanam Inspector, Pastor ad B. V. Mariae primarius, Gymnasii, quod ibidem est, Scholarcha senior & Regiae Societatis Berolin. Sodalis (n. Eisenbergae 1674. † 1722), & GOTTFRIDVS LEONARDVS BAVDISSIVS, Philos. & Iurium Doctor, Ducis Brunsuico-Luneburg. Consiliarius Aulicus & Collegii Carolini Brunsuic. Professor celeberrimus. Horum duumuirorum incomparabilium alter sigillorum, monogrammatum alter doctrinam ad artem non sine summa perspicacitatis industriaeque laude redegit.

(*) Legatur memoria eius, ab EBERH. IOH. BARINGIO, filio, tam erudito atque industrio parente dignissimo, praefationi editionis II. Clauis diplomaticae p. 53. sqq. subiecta.

§. 20.

Scripta, in quibus bella diplomatica exposita sunt.

Quoniam rei diplomaticae studiosi, vt iam supra (§. 16) dictum est, ex scriptis illis, quibus *bella*, quae vocant, *diplomatica* locum fecerunt,

cerunt, multas maximasque vtilitates capere possunt; non alienum hoc loco esse putamus, quae illorum praecipua sint, exponere. Atque horum quidem notitia, praeter alios, inprimis haurienda est

1. ex IOH. PETRI de LVDEWIG praefatione, tomo I. *Reliquiar. MSS.* praemissa, quod opusculum etiam de Latino in Italicum sermonem studio CASP. BERETTI conuersum est, & cum additamentis nonnullis editum sub titulo: *Istoria della guerra diplomatica*, Mediolani 1729. 4.
2. ex IOH. GODOFR. de MEIERN praefatione, tomo III. *Actorum pacis Westphalicae publicorum* adiuncta.
3. ex ERNESTI IOACH. de WESTPHALEN praefatione, tomo II. *rerum Germanicarum* praemissa.
4. ex b. BARINGII saepius iam laudata *claue diplomatica*, p. 12--17, & p. 26--53.

Quamquam multa, si dicendum, quod res est, praeclare ab his viris hanc in rem dictis addere licet; propterea quod non tantum de Imperatorum ac Regum Germanorum tabulis, id quod illi potissimum enarrant, sed de Regum etiam aliorum, atque Principum diplomatibus, ac de bullis Romanorum Pontificum vario marte ac minaci interdum genere pugnarum disceptatum est.

§. 21.

Scripta praecipua, occasione 1) bellorum diplomaticorum particularium edita.

Atque vt iam de ipsis libris, quibus scribendis *bella diplomatica* occasionem dederunt, dicamus; initium faciemus ab iis, quos *bella diplomatica particularia* procrearunt.

I. Controuersiae, quae *Archiepiscopo atque Electori Treuirensi cum Abbatia S. Maximini* fuerat, debentur haec scripta:
   1. Archiepiscopatus & Electoratus Treuirensis per refractarios Monachos Maximinianos aliosque turbati. Augustae Treuirorum. 1633. 4.
   2. NIC. ZILLESII defensio Abbatiae imperialis S. Maximini, qua respondetur libello contra praefatam Abbatiam anonymo Treuiris edito, 1638. iuxta muros Treuirenses fol.

II. In cauſſa *ciuitatis Magdeburgenſis* vel impugnanda, vel defenden-
da verſantur:

1. *Der Röm. Kaiſerl. vnd Königl. Majeſtäten Priuilegia protectoria, 2. Conceſſiones, 3. Confirmationes der vralten Stadt Magdeburg.* Magdeb. 1620. item 1640. 4.
2. *Gründlicher und hiſtorienmäßiger Diſcours über der Stadt Magdeburg gerühmten alten Priuilegien insbeſondere ſo wol, als auch von dem Sachſenſpiegel, 2. Weichbild, 3. Lehnrecht: durch Benjamin Leubern.* Dresden 1648. 4. & recuſ. a IOH. GODOFR. DE MEIERN inter additamenta (*Beylagen*) tomi III. *actorum pacis Weſtphal.*
3. IOH. BORCHOLTEN Conſilium enucleate addocens ciuitati Magdeburgenſi ſoli, excluſis Archiepiſcopatus Magdeb. ſubditis, ius nauigandi in flumine Albis competere. Magdeb. 1611. 4.
4. BENIAM. LEVBERI Diſquiſitio plenaria ſtapulae Saxonicae ab imperatoribus Carolo M., Ottone M., Friderico III. reliquiſque Caeſaribus A. A. conſtitutae aduerſus conſilium Borcholtinum, cet. Budiſſae 1658. 4, item Dreſd. 1661. 4.

III. Litis grauiſſimae ac diuturnae, quam *Lindauienſis Abbatia ciuitati Lindauienſi* intenderat, haec inſtrumenta ſunt:

1. DAN. HEIDERI (ciuitatis Lindau. Syndici) *Gründliche Ausführung der Reichs-Stadt Lindau, die ohnverſehens abgelöſte, vnd der Erzherzogin Claudiae*, pedente lite, *cedirte Reichs-Pfandſchaft betreffend.* Noribergae 1643. fol.
2. HENRICI WAGENRECK *Standhafte Rettung des Kloſters* contra Acta Lindauienſia. Embſii ad Rhen. 1646. 4.
3. HERM. CONRINGII Cenſura diplomatis, quod Ludouico Imperatori fert acceptum Coenobium Lindauienſe, qua ſimul res Imperii & Regni Francorum eccleſiaſticae & ciuiles, ſaeculi inprimis Carolingici, illuſtrantur. Helmſt. 1672. 4, & in *Conringii Operum* a GOEBELIO editor. T. II. num. VII. p. 567-698.
4. MAXIMIL. RASSLERI (Ieſuitae & Cancellarii Academiae Dillingenſis) iuſta defenſio Coenobii ex diplomate toties reiecto & conuicto partus adulterini. Conſtantiae 1691.
5. WILH. ERN. TENZELII Hiſtoricae vindiciae pro Hermanni Conringii cenſura. Lindau. 1700. fol.

6. MA-

6. MAXIMIL. RASSLERI Vindicatio contra vindicias historicas W. E. Tenzelii. Partes II. Campedonae 1711. fol.
7. IOH. REINH. WEGELINI Consulis Lindauiensis, nuper demum (1764) mortui, diss. de ciuitatis Lindauiensis praerogatiua antiquitatis prae illustri ad D. Virginem Coenobio, eiusdemque famosi diplomatis falsitate, contra iniqua Rasslerii nuperae vindicationis argumenta, denuo retecta & summatim excussa. Ienae 1712. 4.

§. 22.

Sed alia etiam diplomata, cum germanica, tum peregrina, locum controuersiis s. bellis diplomaticis fecerunt. HERM. CONRINGIVS in Censura diplomatis Lindauiensis p. 375 -- 396. ex libro GABR. NAVDAEI, inscripto: *Raisons peremtoires*, viginti bella diplomatica, extra Germaniam gesta, enarrauit. Nos alia, & inprimis germanica, quorum auctores a BARINGIO in claue diplom. p. 27--53. nominantur, breuiter summatimque, ac ordine quidem chronologico diplomatum, de quibus disceptatum est, commemorabimus. Huius scilicet generis bella procrearunt

1. *Iulii Caesaris*, *Neronis* aliorumque Augustorum *priuilegia* commentitia, quae *Domui Austriacae* concessa dicuntur. Vid. BARINGII Clau. dipl. p. 43.
2. *Dagoberti* Regis diploma, quo A. 646. *Coenobium Horreense* fundasse perhibetur. BARING. p. 41. sq.
3. *Dagoberti* Regis diploma, A. 706. *Erfurtensi Coenobio S. Petri* datum. BARING. p. 39. sq.
4. *Pipini* vel *Caroli M.* priuilegium *de Franconiae Ducatu* Episcopatui Würzburgensi concessum. BARING. p. 39.
5. *Caroli M.* multa ac varia diplomata, vt
   1) diploma pro *Coenobio Ottenburensi*, A. 769. BARING. p. 37. sq.
   2) diplomata duo *pro immunitatibus Campidunensium*, A. 773. & 777. BARING. p. 38.
   3) diplomata duo, vnum *de Bremensis*, alterum de *Verdensis Episcopatus institutione*, A. 788. BARING. p. 30, 31. sq.
   4) diploma, *Trutmanno* cuidam A. 789. datum. BARING. l. c.
   5) diploma *de Frisia consulari*, A. 802. BARING. p. 33.

6) diploma *de Scholis Episcopatus Osnabrugensis* A. 804. BARING. p. 27 -- 30.

7) diploma *de Coenobii Reichenauiensis iure in Vlmam*, A. 813. BARING. p. 36. sq.

8) diploma *pro Comitibus Gleichensibus*, A. 813. BARING. p. 42.

9) diploma *pro ciuitate Aquisgranensi*, A. 813, quod, etsi commentitium est, tamen a variis Imperatoribus Regibusque insequentibus confirmabatur. BARING. p. 42. sq.

6. *Ludouici Pii* diploma, quod *Paschali I. Rom. Pontifici* A. 817. concessisse fertur. BARING. p. 49. sq.

7. *Caroli Crassi* constitutio *de expeditione Romana*, quam A. 890. fecisse dicitur, etsi eum iam A. 888. mortuum esse constat. BARING p. 40. sq.

8. *Henrici Aucupis* diploma, *Abbati Herssfeldensi*, de bonis quibusdam permutatis A. 932. datum. BARING. p. 51. sqq.

9. *Ottonis M.* diploma *de exemtione Abbatiae Herssfeldensis*, A. 968. BARING. l. c.

10. *Ottonis M.* diploma *fundationis Bergensis ad Albim Coenobii.* BARING. p. 44. sq.

11. *Ottonis I. II. III.* cet. diplomata, *Monasteriis Stabulensi & Malmundariensi* concessa. BARING. p. 46.

12. *Ottonis III.* diploma *pro Monasterio Gandersheimensi*, A. 990. BARING. p. 47.

13. *Werneri*, *Episcopi Argentoratensis* diploma *de iure Episcopatus sui in Argentoratum*, A. 1005. BARING. p. 36.

14. *Henrici VI. Imp.* diploma *pro Episcopatu Paderbornensi.* BARING. p. 52. sq.

15. - - - diplomata varia *de formula Ducatus Brandenburgici*, A. 1195 & A. 1197. BARING. p. 41.

16. *Henrici VII. Regis Rom.* diploma *in gratiam Praepositi Hildesiensis*, A. 1226. concessum. BARING. p. 47. sq.

17. *Iohannis*, *Bohemiae Regis*, diploma, *obitum patris sui*, *Henrici VII. Imp.* respiciens, A. 1346. BARING. p. 50.

18. Foedus inter *Carolum Regem Galliae & Duces Saxoniae Fridericum & Wilhelmum*, A. 1444. initum. BARING. p. 44.

19. *Di-*

19. *Diplomata* varia de immunitate & exemtione *Abbatiae Fuldenſis.* BARING. p. 45. ſq.

20. Diplomata varia de immedietate *Monaſteriorum Wurtenbergicorum.* BARING. p. 33. ſq.

21. Diplomata, pro libertate & exemtione *Coenobiorum Ciſtercienſium in S. R. Imperio* allata. BARING. p. 32.

§. 23.

Scripta, occaſione 2) belli diplomatici vniuerſalis edita.

Reſtat, vt ſcripta commemoremus, quae *bellum diplomaticum vniuerſale* peperit; quorſum pertinent:

1. GODOFR. HENSCHENII Diatribe de tribus Dagobertis. Antwerpiae 1655. 4, item eius Commentarius praeuius ad vitam S. Sigeberti, Regis Auſtraſiae, T. I. Actor. SS. menſis Febr. p. 206 -- 227.

2. DAN. PAPEBROCHII Propylaeum antiquarium, cet. Antw. 1673. vid. ſupra §. 2.

3. IOH. MABILLONII de re diplomatica L. VI. Pariſ. 1681. fol. Edit. II. ib. 1709. fol.

4. DAN. PAPEBROCHII Epiſtola ad Mabillonium, quam lecto eius libro de re diplomatica ſcripſit, in qua *ignoſcendi poſtulatio* continetur: ſcripta 1683. vid. ſupra §. 17. not (*).

5. IOSEPHI PEREZ ſeu PERESII Diſſertationes eccleſiaſticae. Salmanticae 1688. 4.

6. GEO. HIKESII Inſtitutiones Grammaticae Anglo-Saxonicae & Moeſo-Gothicae. Oxon. 1689. 4.

7. IOH. HARDVINI Chronologiae ex numis antiquis reſtitutae proluſio de numis Herodiadum. Pariſ. 1693. 4, & in eius oper. ſelect. (Amſt. 1709. fol.), p. 328--355.

8. BARTHOLOM. GERMONII Diſceptatio de veteribus Regum Francorum diplomatibus, & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis, ad R. P. Ioh. Mabillonium. Pariſ. 1703. 12.

9. GEO. HICKESII Linguarum veterum ſeptentrionalium Theſaurus Grammatico-criticus & archaeologicus. Oxoniae 1703. 1705. fol.

10. IOH. MABILLONII Librorum de re diplomatica ſupplementum, in

in quo archetypa in his libris pro regulis proposita, ipsaeque regulae denuo confirmantur, nouisque speciminibus & argumentis allatis illustrantur. Paris. 1704. fol.

11. IVSTI FONTANINI Vindiciae antiquorum diplomatum aduersus Barthol. Germonii disceptationem de veteribus Regum Francorum diplomatibus cet. cum praefat. ad Pontif. Clementem XI. Romae 1705. 4.

12. BARTHOL. GERMONII Disceptatio II de veteribus Regum Francorum diplomatibus cet. ad Ioh. Mabillonium. Paris. 1706. 12.

13. THEODORI RVINARTI Ecclesia Parisiensis vindicata aduersus R. P. Barthol. Germonii duas disceptationes. Paris. 1706. 12.

14. DOMINICI LAZZARINI ex Nobilibus *de Murro* Epistola ad amicum Parisiensem pro vindiciis antiquorum diplomatum Iusti Fontanini. Rom. 1706, item in Nouis Reip. literariae an. 1707. mens. Iul. p. 220.

15. M. ANTONII GATTI Epistola ad Iac. Bernardum pro vindiciis antiquorum diplomatum Iusti Fontanini. Amst. 1707.

16. BARTHOL. GERMONII de veteribus Regum Francorum diplomatibus & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis disceptationes, aduersus Theodori Ruinarti & Iusti Fontanini vindicias, atque epistolas Dominici Lazzarini & M. Ant. Gatti. Paris. 1707 (al. 1704). 12.

17. DOM. LAZZARINI ex Nobilibus *de Murro* Epistola contra Germonii Tractatum de veteribus Regum Francorum diplomatibus cet. inserta Nouis literar. German. an. 1707. mens. Octobr. p. 337.

18. PETRI CONSTANT Vindiciae MSS. Codd. a R. P. Barthol. Germon impugnatorum, cet. Paris. 1707.

19. *Histoire des contestations sur la Diplomatique avec l'analyse de cet ouvrage composé par le R. P. Jean Mabillon* (auctore LVDOV. RAGVET, pro Germonio). Paris 1708. 12.

20 DOM. LAZZARINI Defensio in P. Barthol. Germonium, edita studio *Caietani Lombardi*. Venet. 1708. 8.

21. SCIPIONIS MARANTAE Messanensis Expostulatio in Barthol. Germonium pro antiquis diplomatibus & codicibus MSS. Messanae 1708. 8.

22. VEIZIER DE LA CROCE Vindiciae veterum scriptorum contra Ioh. Harduinum. Rotterd. 1708. 12.

23. BAR-

23. BARTHOL. GERMON de veteribus Haereticis Eccleſ. Codicum corruptoribus. Pariſ. 1713.

24. P. COVSTANT Vindiciae veterum Codicum confirmatae. 1715.

25. ELISABETH ELSTOB *The rudiments of Grammar for the Engliſh Saxon. Tongue*, id eſt, Rudimenta Grammatices linguae Anglo-Saxonicae; vna cum Apologia ſtudii antiquitatum ſeptentrionalium pro Hickeſio ſcripta. Lond. 1715. 4.

26. IOH. GVIL. HOFFMANNI programma de Lubrico artis diplomaticae. Witteb. 1737. 4.

27. R. P. LEONH. GREBNERI & HENR. OBERKAMPII diſſ. de ſincera ac ſecura artis praecipue diplomaticae, ac ſuo modo ſigillariae ac numiſmaticae criſi; itemque momentoſa quorumdam Imperatorum, aut potius Regum Germanicorum puta Chuonradi I. & Henrici Aucupis cura ac re diplomatica. Bambergae 1742. 4.

* HOFFMANNI & OBERKAMPII ſcripta coniunctim edita ſunt ſub titulo: IOH. GVIL. HOFFMANNI & HENR. OBERKAMP de re diplomatica lucubrationes: Edidit & praefatus eſt D. *Henr. Gottlieb Francke.* Lipſ. 1758. 4.

28. *Encyclopédie ou Dictionaire raiſonné des ſciences* cet. Hoc opus ſub verbo *Diplomatique*, principiis GERMONII fauere, ac iuſtam propterea reprehenſionem auctorum noui operis diplomatici (*Nouveau Traité de Diplomatique*) incurriſſe, iam ſupra (§. 17) dictum eſt.

DIPLOMATICAE PARS THEORICA.

§. 24.

Diplomaticae in theoricam & practicam diſtributio.

Ars diplomatica, quam ſupra (§. 1) diplomatum intelligendorum, diiudicandorum, aliiſque rebus applicandorum ſcientiam eſſe definiimus, in *duas partes* diſtribui poteſt, *theoricam* alteram, alteram *practicam*. Illa theoriam, haec praxin diplomaticam complectitur, hoc

est, illa tradit ea, quae eum oportet scire, qui ad diplomata intelligenda, diiudicanda aliisque rebus applicanda accedere studet: haec vero in exercitatione consistit, ostendens scilicet, quo modo in diplomatibus intelligendis, diiudicandis applicandisque versandum sit.

§. 25.

Habitus diplomatum, ex auctore syntagmatis dictandi descriptus.

Vt ea, quae de singulis diplomatum partibus dicenda erunt, melius ab his, qui in arte nostra minus exercitati sunt, intelligantur; placet huc transcribere verba, quibus (*) *auctor ἀνόνυμος syntagmatis dictandi*, qui saeculo XI. vel XII. vixit, omnem *diplomatum*, sollemniorum certe, *habitum* descripserat. Audiamus eum primo de *Pontificum Romanorum priuilegiis* loquentem.

„Quomodo fiunt priuilegia Paparum.

„Priuilegia Summorum sunt ecclesiae cuiuslibet concessiones Pon„tificum. Materia autem in priuilegiis huiusmodi est, vt dicat se Pon„tifex, vel rogatu cuiuslibet dignae personae, vel alia ratione quacum„que, illi ecclesiae illa seu illa pontificali concedere vel roborare aucto„ritate. Anathema sit in calce epistolae. Habent autem priuilegia pro„logos, sicut & ceterae epistolae, & monogramma in fine huiusmodi „B--E, quod est Bene valete. Signum autem in exordio priuilegii, vel „chrismon, vel crux dominica cum suprascripto signo erit, quod supra„scriptum signum interpretatur Christus. Chrismon autem eiusmodi ef„figiatur specie *. Vt plenius autem in hoc monogrammate *, & vt „Christi nomen appareat, tali mea effigiaretur sententia specie *. Con„sueuerunt praeterea in extremo margine priuilegii † quosdam insignire „orbiculos, Antistitis nomen, & pauca quaelibet diuina verba continen„tes in hunc modum.„

„Priuilegium

„Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili ac religio„so coenobii illius Abbati, cunctaeque sibi subditae congregationi sal. „in Domino perpetuam &c.„

„Hic

„Hic ponuntur (sunt verba MABILLONII) orbiculi Leonis, Gregorii „& Vrbani II. cuius tempore scriptus videtur codex.

„Materia quidem priuilegiorum & huiusmodi ordo est. Poterit autem „quisque verba sua, prout animo insederit, elongare, & quas voluerit ex„ornationes exhibere verborum.„

Post haec *priuilegia Regum* hunc in modum *auctor ille syntagmatis dictandi* describit:

„Priuilegia Regum.

„Praecepta vel mundiburdia magnatum & saecularium potestatum „sunt solum. Proprie autem Regum vel Principum Praecepta signum „certum non habent in exordiis, sed quod facere scriptoribus collibuerit, „vel crucem, vel chrismon, vel litteram quamlibet circumdatam serpen„tibus in hunc modum *, vel quodlibet aliud quod voluerit. Solet au„tem prima linea Praeceptorum longis & aequalibus litteris figurari. I„nitium autem Praeceptorum huiusmodi est. *In nomine sanctae & indi„uiduae Trinitatis. Heynricus gratia Dei Imperator Aug.* Post il„lum prologum introducitur quasi persona Imperatoris loquentis, red„dentisque causam, qua inductus illud voluerit praeceptum statuere, di„cens, regiae dignitati competere, vt talium virorum, a qualibus ipse „rogatus est, non debeant contemnere preces: vel quam voluerit facere „illius edendi praecepti vel mundiburdii inflam causam insinuans. Post „haec quod ipse loci illius homini sua auctoritate concedat vel roboret, „erit illud subinferendum. In fine vero praecepti illud erit iocandum, „vt quicumque contra illius praecepti decretionem fecerit, mille auri „optimi libras, vel quodlibet aliud pretium quod instituerit Imperator, „se persoluturum cognoscat, medietatem regiae camerae, & medieta„tem loco vel homini illi, cui illud praeceptum conscribitur. Post „haec quod Imperator propria manu subscripserit, & proprio signari „figillo iusserit, erit adiiciendum. Post completum praeceptum, „monogramma est ponendum, in quo nomen Imperatoris Augusti Dei „gratia habeatur connexum, vel alia quaelibet quae Imperatorem conde„cat *. Ex vtraque autem monogrammatis parte longioribus & aequa„libus litteris scriptum erit signum domini illius Imperatoris sereniſſimi „vel Augusti, vel aliud quodlibet huiusmodi. Post monogramma pro„lixioribus & paribus literis scribitur HEINRICVS vel A. CANCEL-

„LARIVS *vice G. Vercellensis Episcopi recognoui* istud factum. In vltima „cartae linea quoto anno a Domini Incarnatione, & quota Indictione, „& quo regni vel imperii illius Imperatoris anno, & quo loco, litteris „erit communibus conscribendum.„

(*) Vid. MABILLON, de re diplomatica L. VI. num. CCVII.

§. 26.

Criteriorum diplomaticorum in externa & interna parum commoda diuisio.

Iam sequitur, vt, quibus quasi fundamentis alii viri eruditi huc vsque vniuersam rei diplomaticae tractationem superstruxerint, videamus. Atque ea quidem, quae hanc in rem disputata ab aliis sunt, huc fere redeunt, in diplomatibus externam pariter atque internam faciem esse spectandam; *characteres* itaque siue *criteria* diplomatum duplicis generis esse, externa & interna: & ad *externa* quidem referri debere: 1) *materiam in qua*, & 2) *ex qua*, 3) *linguam* & *scripturam*, 4) *monogrammata*, ac 5) *sigilla*; ad *interna* autem pertinere, 1) *formulas initiales*, 2) *nomina auctorum*, 3) *titulos*, 4) ipsum *argumentum*, 5) *clausulas*, 6) *subscriptiones*, 7) *notas chronicas*, & 8) *loci designationes*. Deinde disputant etiam de vtriusque generis criteriorum praerogatiua, ita quidem, vt plerique omnes internis criteriis maiorem, quam externis, vim inesse dicant, aliis contra id vel negantibus, vel in dubium certe reuocantibus. Atque in horum quidem numero potissimum (*) *auctores operis noui diplomatici* commemorandi sunt, qui quoniam externis criteriis primas deferunt, in refellendo HEVMANNO, qui contrariam iis, eamque, nostra quidem sententia, veriorem sententiam defenderat, multum operae studiique posuerunt. Sed vt, qui meus hac de re sensus sit, aperte dicam, tota haec criteriorum diplomaticorum tractatio admodum incommoda esse mihi videtur. Namque malim in doctrina diplomatum ea, quae *autographorum* propria sunt, criteria, ab iis, quae *exempla* s. *apographa* (§. 9) cum autographis communia habent, seiungi. Qui exemplum diplomatis cuiusdam, vel calamo vel typis exscriptum, in manibus habent, de instrumentis scriptoriis, de scriptura ipsa, & de signis, quae diplomati praeter consuetam scripturam accesserunt, iudicare non possunt, sed de lingua diplomatis possunt. Male igitur, quantum ego quidem existimo, *lingua diplomatica* ad criteria externa refertur. Sed alia etiam difficultas criteriorum diuisionem,

ab

ab aliis propositam, premit. Numerantur in externis duo tantum genera signorum, *monogrammata* & *sigilla*, quae quidem haud exiguum inter signa diplomatica locum, at non omnem, occupant. Supersunt enim alia signorum genera, *chrismon* videlicet, *signa notariorum*, tam veterum s. *cancellariorum*, quam recentiorum, *cruces* varie formatae, *symbola inuestituae*, vno verbo, ea omnia, quae in diplomatibus praeter scripturam consuetam cernuntur.

(*) *Nouveau Traité de diplomatique* T. I. p. 441–446.

§. 27.

Artis Diplomaticae tres scientiae principales, Graphica, Semiotica & Ars Formularia.

Qua quidem re penitius considerata, nos primum *criteria autographorum* ab iis, quae autographa cum *exemplis* s. *apographis* communia habent, separanda esse, deinde illa, autographorum scilicet propria criteria, duabus scientiis peculiaribus comprehendi posse ac debere existimamus: quarum vnam *Graphicam*, alteram *Semioticam* appellare nobis liceat. Et *Graphica* quidem (*Schreibkunde*) non solum scriptoria instrumenta, vt chartam, atramentum, calamos, stilos cet. sed etiam ipsam scripturam, eiusque classes, ordines, genera & species explicat; *Semiotica* autem (*Zeichenkunde*), praeter monogrammata & sigilla, in quibus exponendis *Monogrammatologia* & *Sphragistica*, nobilissimae partes Semioticae, versantur, reliqua omnia, de quibus diximus, signa chrismon scilicet, signa cancellariorum & notariorum, signa crucis cet. primum colligit (dispersa enim adhuc per libros, immo in tabulariis etiam harum rerum materia est), deinde ad artis regulas exigit. Quod denique ad *criteria*, quae autographis cum apographis *communia* sunt, attinet, ea tam in linguis, quam in formulis diplomaticis, & in his quidem praecipue, posita esse, res ipsa loquitur; vnde noua rei diplomaticae disciplina ducitur, quae quoniam, vt diximus, in explicandis formulis diplomaticis tota fere est, *Artis Formulariae*, siue simpliciter *Formulariae*, nomen iure quodam suo sibi quasi vindicare potest. Quae quum ita sint, vt sunt, facile intelligitur, omnem theoriam diplomaticam tribus his disciplinis, *Graphica*, *Semiotica* & *Formularia* absolui: in quibus quidem singulis ordine percurrendis omnis opera nostra versabitur. A *Graphica* autem vt initium faciamus, rei ipsius natura postulat.

THEORICAE DIPLOMATICAE

SECTIO I.

GRAPHICA.

§. 28.

Scriptores de Graphica.

Antequam ad ipsam Graphicam explicandam accedamus, *scriptores*, qui hunc locum tractarunt, paucis commemorandi sunt. Huc vero pertinent, praeter eos, quos in *manuali meo Historiae Vniuersalis* P. I. p. 53. sqq. *laudaui:*

1. HERMANN. HVGO de prima scribendi origine & vniuersae rei literariae antiquitate, Antuerp. 1617 & 1630. Edit. auctior cura C. H. TROTZII, Traiecti 1738. 8.
2. THOMAE BANGII Coelum orientis & prisci mundi; editum quoque sub titulo: Exercitationes philologico-philosophicae de ortu & progressu literarum, Cracouiae 1691. 4.
3. BALTH. FRID. SALZMANNI Dissertationes V. de scriptionis antiquae varietate. Lipsi. 1666 -- 1670. 4.
4. CLAVDII SALMASII Epistola ad Serrauium de notis antiquitatis in MSS. Codicibus, in *Dan. Geo. Morhofii* polyhistore liter. (Lubecae 1708. item 1747. 4. mai.) L. I. C. VII. num. 9. seqq.
5. BVRC. GOTTHELF. STRVVII Diss. de criteriis Manuscriptorum, in eius collectaneis Manuscriptorum (Fasciculi X. seu T. I, item Tomi II. fasciculi VIII. Ien. 1713-1722. 8.) fasciculo I, itemque in *Baringii* claue dipl. p. 168--185.
6. CHRISTIANI GOTTL. SCHWARZII de ornamentis librorum veterum dissertationes III. cum figg. I & II. Lipsi. 1705 & 1706, III. Altorfi 1711. 4.

Ejusd. Diss. de ornamentis Codicum veterum, Alt. 1716. cum figg. 4.

Ejusd. Diss. de libris plicatilibus veterum. Alt. 1717. 4.

Ejusd. Diss. de varia suppellectile rei librariae veterum. Alt. 1725. 4.

Omnes

Omnes hae dissertationes, bonae frugis plenissimae coniunctim haud ita pridem editae sunt, sub titulo: CHRIST. GOTTL. SCHWARZII de ornamentis librorum veterum & varia rei librariae veterum supellectile dissertationum antiquariarum hexas; primum collegit & recensuit atque praefatione indicibusque necessariis instruxit *Ioh. Christian. Leuschnerus.* Lipsi. 1756. 4.

7. (IOH. GEO. WACHTERI) Naturae & scripturae concordia: commentatio de literis ac nummis primaeuis aliisque memorabilibus ortu literarum coniunctis, tabulis aeneis illustrata. Lipsi. & Havniae 1752. 4.

8. IOH. JACKSON'S *chronologische Alterthümer der aeltesten Koenigreiche vom Anfange der Welt durch fünf Jahrtausende*, cet. *aus dem Englischen übersezt von* CHRISTIAN ERNST *von* WINDHEIM (Norimb. 1756. 4. mai.), p. 756--853.

CAPVT I.

INSTRVMENTA SCRIPTORIA.

§. 29.

Charta.

Primum *Graphicae* munus est, de *instrumentis scriptoriis*, hoc est, iis rebus, quae ad scribendum necessariae sunt, (*Schreibgeraethschaften*) exponere (§. 27). Atque inter has quidem res principem locum tenet tum materia, cui inscripta sunt diplomata, tum liquor ille, quo in scribendo vti placuit. Quare de his rebus primum, deinde de reliqua supellectile scriptoria dicemus. Est autem varia materia, in qua diplomata scripta reperiuntur. Mortalium siue necessitas, siue curiositas omnia naturae regna peruagata est, vt inueniret, cui res notatu dignas, & in his diplomata etiam inscriberet.

I) *Ex regno minerali* metalla & saxa scribentibus materiam ab antiquissimis hinc temporibus (Hiob XIX. 24) suppeditarunt.

II) *Ex regno vegetabili* plantae & arbores variae, earumque tam cortex, lignum, medulla, quam folia, palmarum inprimis & oliuarum,

rum, multa chartarum genera rerum nouarum cupidis mortalibus praebuerunt. Referimus huc chartam corticeam, papyrum Aegypti, tabulas ligneas, chartam xylinam s. gossypinam (inde a saeculo X. seu XI, magis vero XIII, praesertim apud Graecos vsitatam), chartam bombycinam (ex moro papyrifera), chartam mixtam, foliaceam, ac denique linteam, ex linteis partim integris, partim contritis factam. III.) *Ex regno animali* 1) coria piscium, 2) serpentum exuuiae, 3) elephantorum tam intestina, quam dentes, vnde tabulae eburneae, 4) cera, apum opus, sigillis tabulisque ceratis adhibita, 5) ouium ac vitulorum caprarumque pelles, vnde membrana s. charta pergamena, scribendo inseruierunt, & magna ex parte nunc quoque inseruiunt. In his *papyrus Aegypti*, quam chartam κατ' ἐξοχήν ac simpliciter vocarunt, (inde a saeculo V, ad XI vsque), & *membrana s. charta pergamena* (inde a saeculo VI, magis vero VIII.) omnium vsitatissimae fuerunt; ita tamen, vt *Germania* & *Anglia* papyrum aegyptiacam in diplomatibus scribendis negligerent, & *Germania* quidem sola fere charta pergamena s. membranis ad annum vsque 1280. GVDENO teste (in praefat. Syllog. varior. diplomatarior.) contenta esset; donec saeculo XIII, vel XIV *chartae nostratis linteae* inuentio nouam scribentibus materiam subministraret. De *membranarum quantitate* Dom. de GVDENVS (l. c.) obseruauit, eas vsque ad saeculum XI. in latitudinem, inde vero in longitudinem extensas fuisse, ita quidem, vt in posteriori casu nullum spatium marginale fuerit relictum. Sed autographa me docuerunt, suis hanc quoque regulam exceptionibus obnoxiam esse.

* I. MELCH. GVILANDINI Papyrus, hoc est, commentarius in tria C. Plinii Maioris de papyro capita, cet. Venet. 1572. 4. item Madrit. 1667.

2. M. CHRISTIANI LINDNERI Diss. de charta. Lipsi. 1647.

3. EDVARDI BERNARDI Literatura, charta magna patente vulgata. Oxon. 1689.

4. IOH. PETRI de LVDEWIG commentatio de charta nostrate lintea (*vom Haderlumpen-Papier*), *in den Gelehrten Hallischen Anzeigen*, T. II. p. 55. sq.

5. SVEN BRING Dissertatio historica de chartis. Londini Gothorum P. I. 1746, P. II. 1748. 4.

6. *Nouveau Traité de diplomatique* T. I. p. 447 - 532.

§. 30.

§. 30.

De origine chartae noſtratis linteae.

Viri eruditi in *origine chartae noſtratis linteae* indaganda multum iam operae ſtudiique conſumſerunt. Fuerunt autem, qui hunc locum partim ſua ſponte tractandum ſuſciperent, partim praemiis etiam, cum a *ſocietate regia ſcientiarum*, quae *Gottingae* floret, tum nuperrime (*) ab ill. MEERMANNO, Syndico Roterodamenſi, hanc in rem publice propoſitis, excitati. Ac veſtigia quidem chartae noſtrae vulgaris quidam circa initia ſaeculi XIV ((**) A. 1303, (***) 1312, (****) 1339, (†) 1342, vel etiam (††) inter A. 1315 & 1330.), alii ante medium ſaeculum XIII. ((†††) A. 1239.), alii denique (*) iam ante ſaeculum XIII. videre viſi ſunt. Sed nullum prolatorum ab his viris, ceteroqui doctiſſimis, ſpeciminum ita comparatum eſt, vt animus veri cernendi cupidus in eo acquieſcere poſſit. Si mihi quidem, quid hac de re ſentiam, hic, tamquam in loco, aperte profiteri liceat; crediderim, rem ante inueſtigari coeptam eſſe, quam de ratione quadam ac *methodo* indagandae rei inter eruditos viros conuenerit. Haec vero methodus, quantum ego quidem exiſtimo, in eo conſiſtit, vt primum quaeratur: *quo tempore veſtium linearum, ac linamentorum omnino vſus* tam *vulgaris ac quotidianus* eſſe coeperit, vt laciniarum ac panniculorum vſu detritorum copiam ſatis magnam viliſſimo pretio ad inſtar algae proiectae nanciſci poſſent, qui chartas inde artificioſis manibus parare inſtituerint. Deinde non ſatis eſt, opinor, quaerere generatim, quando hoc in *Europa* vniuerſa factum ſit; ſed accuratius adhuc diſtinctiuſque determinanda ac definienda res eſt, ac quaerendum adeo, quando in hac, vel illa *Europae parte*, in *Germania*, vt hoc vtar, in *Gallia*, in *Hiſpania*, cet. linamentorum vſus fuerit vulgaris? Atque hae *quaeſtiones* praeuiae ſeu *praeliminares*, vt ita dicam, *Hiſtoricorum* ſunt. Sed *Chemicorum* etiam auxilio hac in re opus habemus. Nam ſi qua charta pro lintea venditatur, ne illam vel cum xylina, vel cum mixta quadam e goſſypio, vel lana, & lino charta confundas, artificiis chemicis eius fruſtum aliquod reſoluendum in particulas erit. Reliqua tandem omnis huius rei tractatio, mea quidem ſententia, ad ſola *Diplomaticorum* munera pertinet. Fuerunt quidem fateor, qui hac in re ad Codicum MSS. exempla prouocarent; ſed his, opinor, perarduum erit, demonſtrare, codices eiuſmodi eo ipſo

tempore esse scriptos, quod in iis determinatum est. Accidit enim nonnumquam, vt librarii, quum describerent codices, non tempus scriptionis suae, sed illud potius tempus annotarent, quo codices, quos describebant, ab antiquioribus librariis scripti fuerunt, hoc est, formulam chronologicam, quam codicibus adiunctam videbant, simul describerent ac retinerent. In loco tam difficili ac scopuloso non versantur Diplomatici, propterea quod diplomata omnia, si integra sunt, tempus scriptionis multifariam plerumque, distincte certe rectequc semper indicant. Diplomata itaque sola originibus chartae nostratis linteae indagandis idonea sunt. Quum vero diplomatum tam interna, quam externa quae vocant, & interna quidem seu formulae ipsae in primis (§. 26.), ad artis regulas prius exigenda sint, quam ad quidquam ex illis demonstrandum accesseris: ea autem diplomata, quae rei, de qua quaeritur, inuestigandae inseruiant, non fere sint, nisi chartae priuatorum, vel eorum certe, quorum formulae nondum ad artis regulas examinatae sunt; quid de vniuerso hoc inuestigandi labore iudicandum sit, facile intelligitur.

(*) Ill. MEERMANNI liberalitati ac sincero de republica literaria optime merendi studio varias commentationes, locum hunc illustrantes, debemus, quarum collectio opera ac studio IACOBI VAN VAASSEN, hoc titulo insignita, nuperime prodiit. *Obseruationes de origine chartae lineae*, Roterod. 1764. 8. min.

(**) Vid. Nouellas literarias Goettingenses (*Göttingische Anzeigen von gelehrten Sachen*) A. 1763. p. 401. sqq.

(***) Vide *ibid.*

(****) Vid. *Braunschweigische Anzeigen* A. 1745. num. 52.

(†) Vid. *Goettingische Anzeigen von gelehrten Sachen* A. 1755. p. 1302.

(††) Chartam indubitate linteam hactenus notis antiquiorem in medium ponit PAVLLVS DAN. LONGOLIVS. Cur. Regnit. 1762. 4. Inserta etiam haec commentatiuncula est *Ioh. Christoph. Martinii* Thesauro dissertationum, T. I. P. I. (Norimb. 1763. 8. mai.), p. 161. sqq.

(†††) Vid. *Goettingische Anzeigen von gelehrten Sachen* A. 1756. p. 49. & p. 225.

(*) Vid. *Goetting. Anzeigen* A. 1763. p. 401. sqq.

§. 31.

Atramentum.

Atramenti haec fere genera sunt: Nigrum (Ierem. XXXVI, 18), rubrum, eiusque tres species, cinnabaris, minium, purpura (sacrum encau-

encaustum), flauum, cuius species aureum est, album, eiusque species argenteum, porro caeruleum, viride, ac denique versicolor s. mixtum. Ex his atramenti generibus nigrum s. atramentum proprie dictum, semper fere, purpureum atque aureum raro, argenteum numquam, diplomatum literis pingendis adhibitum cernitur. Rubrum, viride ac caeruleum non nisi literis initialibus chartarum potissimum priuatarum scribendis, ac in his quoque rarissime, accommodata sunt.

* 1. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. p. 540 -- 549.
2. PETRVS MARIA CANEPARIVS de atramentis cuiuscunque generis, Roterod. 1718. 4.
3. IOH. IAC. QVANDT de atramento Hebraeorum, Regiomonti 1713. 4.
4. SAM. STRYCKII diss. de cera rubra & sacro encausto.
5. IOH. BEHM de encausto Imperatoribus olim sacro. Regiom. 1715. 4.

§. 32.

Reliqua scriptoria supellex.

Ad scriptoriam supellectilem, praeter chartam & atramentum, pertinent etiam regula, circinus, forfex, scalpellum, pumex, spongia, atramentarium, theca tam arenaria, quam scriptoria, stilus, calamus, penna, penicillus. Carbo, creta, cerussa, rubrica, pennae simul & atramenti loco vsurpari possunt.

* *Nouveau Traité de Diplomatique*, T. I. p. 533 -- 539.

CAPVT II.

GRAMMATOLOGIA, SEV DOCTRINA LITERARVM.

§. 33.

Literarum origo & migrationes.

Scriptura est vel *realis*, cuius species est *hieroglyphica* Aegyptiorum (vid. infra §. 72. sqq.), vel *literalis*. Ac de posteriori quidem omnis nostra

hoc loco futura est disputatio. Pertinent vero ad scripturam literalem 1) *Literae*, 2) *Interpunctiones*, ac 3) *Abbreuiaturae*: vnde tres Graphicae formae, ac veluti singulares disciplinae, 1) *Grammatologia*, 2) *Stigmeologia* ac 3) *Brachygraphia*, existunt. Ac in *Grammatologia* quidem, a qua initium faciemus, non inutilis quaestio de *origine & migratione literarum* est. Inuentorem autem literarum quoniam inter homines, qui ante diluuium vixerant, quaerere vix licet, quamquam res non adeo videatur absurda; inter gentes, post diluuium exortas, quis tanto beneficio vniuersum genus humanum sibi deuinxerit, circumspiciendum est. Reliquarum hac de re opinionum haec, quam nunc proponam, verisimillima mihi videtur, nisi literae, vt hoc iterum moneam, iam ante diluuium inuentae fuerint. Literarum scilicet figuras, vt SANCHONIATHON testatur, TAAVTVS s. THOYT, Graecorum *Hermes* & Latinorum *Mercurius*, Misoris s. Mizraimi filius, in Phoenice natus educatusque, inuenit. Quae si vera sunt, vt esse videntur, iure optimo *Phoenices* pro literarum inuentoribus & olim habiti sunt, & nunc quoque sunt habendi. Diuini autem inuenti huius tempus in annum vicesimum secundum a disperso genere humano incidit, qui quidem annus secundum Petauii systema annus 1629 ab orbe condito est. Taautus quum decem vel viginti circiter annis post, rerum suarum sedem e Phoenice in *Aegyptum* transtulisset, literas a se repertas cum Aegyptiis communicauit. Ex his terris literae sensim sensimque in *Syriam*, *Arabiam*, *Chaldaeam* & *Aethiopiam* migrarunt. *Moses* omni Aegyptiorum doctrina atque sapientia eruditus, sine dubio etiam scribendi artem in Aegypto didicit, suosque deinde gentiles fortasse docuit; nisi *Israelitae* eam artem antea iam ab ipsis Aegyptiis acceperant. Aegyptiorum colonias antiquissimis iam temporibus in *Indiam* vsque, ac in *Sinarum* regiones penetrasse constat. Ab his fortasse colonis literarum beneficium ad Indos & Sinenses propagatum est. Ex Asia literas *Pelasgi* in insulas maris Aegaei, in Atticam reliquamque *Graeciam* ac Peloponnesum intulerunt. Iidem *Pelasgi* eas *Tuscis*, Tusci *Latinis*, Latini denique *Romanis* tradiderunt. In *Galliam* literae a *Phocaeensibus* translatae creduntur. *Germanorum* populi, qui Imperii Romani prouincias certatim, a saeculo inde V. inuaserant, a victis victores & linguam & scribendi rationem asciuerunt: reliqua vero teutonicae nationis pars, quae in Germania remanserat, literas a Gallis & Italis, ac fortasse haud ita multo ante Caroli M. tempora acceperunt. Ex hac literarum migratione

tione pariter, atque ex antiquissimis, quae exstant inscriptionibus ceterisque rerum gestarum monimentis patet, omnium populorum literas, si originem spectes, eadem, aut simillima certe forma fuisse, totumque earum, quod nunc cernitur, discrimen partim tempori, partim populorum ingenio, gustui & id genus aliis caussis esse tribuendum. *Literae germanicae*, quibus nunc in vernacula vtimur, admodum recenti aeuo ex literis latinis formatae sunt, eoque maiori nobis sunt dedecori, & esse ab exteris quoque, Gallis praesertim, creduntur, quo certius constat, eas ex deformi illo atque insipido scripturae genere, quod *gothicum* falso, rectius fortasse *neogothicum*, vel scholasticum *potius*, appellatur, originem duxisse.

1. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. p. 558 - fin. & T. II. p. 1 - 145
2. IOH. IACKSON'S *Chronologische Alterthümer*, cet. vid. supra §. 28 num. 8.
3. BERNARDI de MONTFAVCON Palaeographia Graeca, siue de ortu & progressu literarum Graecarum, & de variis omnium saeculorum scriptionis Graecae generibus, & de notis variarum artium ac disciplinarum, additis figuris & schematibus ad fidem mauuscriptorum Codicum. Paris. 1708. fol.
4. *Diffesa dell' Alphabeto degli antichi Toscani, publicato nel 1737. dall' auttore del museo Etrusco, disapprovato dall' illustrissimo Sig. Marchese Scipione Maffei, nel T. V. delle sue Osservazioni litterarie, date in luce in Verona, con tavole e figure da Dn.* GORI, in 12. P. I. & II.
5. CLAVDII DAVSQVII liber de antiqui nouique Latii orthographia. Tornaci 1632. fol. Paris. 1677.
6. CLAVDII MOLINETI seu *du* MOLINET Historia literarum Romanarum. Paris. 1684. Gallice.
7. ERIC. IVL. BIOERNER de orthographia linguae Suio-Gothicae, tam Runica, quam vulgari, a corrupto medii aeui stilo vindicanda. Stockholm. 1742. 4. cum figg.

§. 34.

Varii scribendi modi.

In caussis, quae literarum earumdem diuersas figuras procrearunt, diuersa quoque populorum scribendi ratio numeranda est. Quum alii hinc, alii illinc versuum seu linearum initium fecissent; accidit, vt literarum, si non omnium, multarum tamen figura paullatim mutaretur:

id quod vel ex solius literae A mira varietate satis cognosci potest. HVGO in libro de prima scribendi origine C. VIII. *quatuor ac viginti modos* scribendi recensuit, ac tabula quadam peculiari illustrauit; sed is ipse negare non potest, non omnes hos modos vsu fuisse receptos. Quae vero vsitata erant & partim nunc quoque sunt scriptionum genera, tripartito distribui possunt. Vna earum est *scriptio orbicularis*, altera *perpendicularis*, tertia denique *horizontalis*. Ac in *orbem* quidem versus duxerunt populi septemtrionales. Referendae huc etiam sunt sigillorum, nummorum, gemmarum cet. inscriptiones, quae plerumque in orbem ductae sunt, & adhuc ducuntur. *Perpendicularis* autem scriptionis duo porro genera sunt; alii enim populi *a summo in imum*, idque vel *a dextra* siniſtrorsum, vel *a siniſtra* dextrorsum scripserunt. Illud nunc quoque faciunt Sinenses, Iaponenses ac Tartari, hoc Ingurenses. Eodem scribendi modo Graeci quoque veteres vsi sunt, vocaruntque id genus *Taepocon* (τὸ ἐπ' ὄρχον s. τὰ ἐπ' ὄρχον, item κιονηδὸν & πυργηδὸν. Alii contra *ab imo ad summum* versus duxerunt, quae quidem consuetudo adhuc apud incolas insularum Philippicarum valet. Sed *horizontalis* etiam scripturae duplex genus est, vnum scilicet eorum, qui *a dextra siniſtrorsum*, alterum eorum, qui *a siniſtra dextrorsum* scripserunt, & ex parte nunc quoque scribunt. Ac prius quidem scriptionis genus apud Phoenices, Aegyptios, Hebraeos, aliosque orientis populos, item apud Graecos ac Hetruscos veteres vsitatum fuit. Posterius vero, quod recentius quidem illo priori est, introductum tamen iam quingentis sexaginta amplius annis ante Christum natum; posterius e inquam, adoptarunt deinde Graeci, item Romani, a quibus id Galli, Germani ceteraeque Europae cultioris nationes acceperant. Sed fuit etiam *modus* aliquis scribendi, e duobus scriptionis horizontalis generibus quasi *mixtus*, βουστροφηδὸν a Graecis olim vocatus, propterea quod qui ita scribebant, aratores imitati sunt. Cum hoc scribendi modo cognationem habet ille, qui ex *transpositione* ac *conuersione* nunc versuum seu linearum, nunc vocabulorum, nunc literarum etiam singularum exiſtit, cuius generes exempla in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 628 -- 633 ex numis potissimum antiquis allata sunt.

* 1. PETRI HOLMII disquisitio de scriptura & variis rationibus siue ad dextram, siue ad siniſtram, siue desuper, vel quocumque alio modo scribendi. Lundi Scand. 1670. 8.

2. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. p. 602 - 607.

§. 35.

§. 35.

Alphabetorum collectiones variae.

Non curiosum magis, quam vtile est, quid? quod necessarium quodammodo, literarum singularum fata & mutationes nosse. Quum forma literarum non vno eodemque tempore, sed paullatim, sensimque ac fere sine sensu, vt fit in rebus, quae a consuetudine pendent, mutaretur; nemo est, qui non intelligat, eum, qui literarum fata satis cognita habeat atque perspecta, de fide atque aetate monimentorum publicorum, codicum ac diplomatum, si cetera paria sint, recte iudicare posse. Quare illi profecto operae feciſſe pretium existimandi sunt, qui *alphabeta* varia vndique locorum ac temporum conquisiuerunt. Possunt autem alphabetorum conditores in tres potissimum classes describi: quidam enim *alphabeta singularia*, hoc est, literas vnius tantum inscriptionis, vel codicis, vel diplomatis collegerunt; alii *alphabetis particularibus* huius vel illius linguae, vel certi cuiusdam temporis literas complexi sunt; alii denique, si non omnium, praecipuorum tamen populorum literas ab antiquissimis hinc temporibus ex omnis generis monimentis literalibus congesserunt, quae quidem *alphabeta vniuersalia* dici possunt. Sed in adornandis alphabetis particularibus atque vniuersalibus non vno modo eruditi viri sunt versati. Plerique *alphabeta chronologica* condiderunt, hoc est, ea, quibus notae chronicae vel saeculorum, vel singulorum etiam annorum adiunctae sunt. Hi itaque viri, vt hoc vtar, alphabetum aliquod saeculi V, VI, VII, cet. esse voluerunt. Id si fecerint, vt eorum, qui legere veteres scripturas cupiunt, studia adiuuentur, nihil fere habeo, quod contra dicam; sin eum in finem notas temporis adscripserint, vt eiusmodi alphabeta diiudicandis scripturis inseruiant, vehementer timeo, vt voti sui compotes fiant. Mutata quidem est, fateor, literarum singularum forma, sed non ita mutata est, vt epochae harum mutationum in epochas nostras ciuiles apte quadrent. Habent sua etiam literae saecula, sed haec saecula nunc breuiora sunt saeculis proprie dictis, nunc multo diuturniora: id quod vel ex hoc satis intelligitur, quod scribae ac librarii non omnes simul eodem tempore, sub finem scilicet alicuius saeculi, moriuntur, quos deinceps noua scribentium propago, velut miraculo quodam repente procreata, insequentis saeculi initio sequatur. Neque omnes ac singulae alphabeti cuiusdam literae eodem

dem temporis momento figuras induunt nouas, vel prorsus intereunt; sed vnius tantum alteriusque literae figura perit, vel mutatur, vel euanescit etiam ita, vt nunc breui, nunc longo interiecto tempore redeat. Atque hae quidem aliaeque difficultates, quibus alphabeta chronologica premuntur, alios sine dubio mouerunt, vt literarum singularum figuras in classes quasdam, classes autem porro in genera sua ac species distribuerent, atque adeo eas figuras iuxta se inuicem collocarent, quarum vna ex altera vel orta est, vel orta saltim esse videtur. Haec *alphabeta systematica* dici possunt. Sed omnium sane perfectissima sunt *alphabeta mixta*, hoc est, ea, in quibus literarum figurae ordine chronologico ac systematico simul disponuntur: quod quidem in literis diplomaticis fieri semper fere potest, sed in reliquis haud raro admodum lubrica atque impedita res est. Nam diplomatum aetas, si integra sint diplomata, satis determinata est: monimenta vero atque codices quo potissimum saeculo, vel anno scripti sint, anceps non numquam quaestio esse solet. Quae de alphabetis generatim huc vsque disputata sunt, singulari etiam modo ad *alphabeta latina* pertinent. Duo illi S. Benedicti sodales, qui in (*) nouo opere diplomatico scribendo versantur, omnibus alphabetorum architectis palmam reddiderunt dubiam, vel potius praeripuerunt. Nulla enim fere gens est, cuius literas non diligentissime explicarint. Id vnum dolemus, quod doctissimi hi atquelaboriosissimi viri IACKSONII systema nouum, idque acutissime excogitatum, de origine ac migratione literarum vel ignorauerint, vel certe non ad vsus suos conuerterint. CHRISTIANVS WILH. BÜTTNER, Collega meus honoratissimus, cuius eruditio tam varia est, quam natura ipsa, a multis hinc annis opus molitur, quod omnium omnino populorum linguas ac scripturas explicabit. Hoc opus, cuius prodromus breui fortasse in lucem publicam prodibit, ita comparatum est, vt satisfacere omnium eruditorum desideriis possit.

(*) Vid. Tab. VII - XXIII in *Nouveau Traité de Diplomatique*. Add. T. II. p. 125 -- 145.

§. 36.

Literarum latinarum geneſis.

Iam sequitur, vt verba quaedam, quorum in describendis diiudicandisque tam literis, quam scripturis multiplex vsus est, paucis explicemus. Ac initio quidem statim, quibus partibus singulae literae constent,

ſtent, videndum eſt: in quo quidem loco tractando latinarum tantum literarum rationem habebimus, ita tamen, vt ex earum oeconomia reliquarum omnium literarum geneſis facile intelligi poſſit. Ea vero tempora reſpicimus, quibus literae latinae elegantiſſime pictae ſunt; neque enim ignoramus, ſuam his literis etiam ruſticitatem primitus, immo poſtea quoque fuiſſe. Sumamus itaque literarum latinarum formam, qualis Auguſti aetate fuit, vel etiam qualis nunc eſt, tamquam regulam, ad quam reliquas formas exigamus. Literae ſcilicet latinae noſtra quidem aetate ex varia compoſitione *linearum*, *curuarum* pariter, atque *rectarum*, earumque tam *perpendicularium* & *horizontalium*, quam *diagonalium* oriuntur. Solum I ex vna tantum recta, eaque perpendiculari linea conſtat, quemadmodum C & O ex vna duntaxat curua, quae in C dimidii, in O vero integri circuli formam prae ſe fert, exiſtunt. Ad reliquas omnes literas efficiendas linearum concurſus requiritur. Concurrunt autem lineae

1. *rectae*, eaeque
   a. perpendiculares & horizontales, in literis E. F. H. L. T.
   b. perpendiculares & diagonales, in K. M. N. Y.
   c. diagonales & horizontales, in A. Z.
   d. ſolae diagonales duae, in V. & X.
2. *curuae*
   a. ſolae, in Q. S.
   b. curuae & rectae, eaeque perpendiculares tantum, in literis reliquis B. D. G, P. R.

§. 37.

Literarum ductus, apices, baſes, reſectiones.

Omnes lineae, quibus literarum pars aliqua exprimitur (§. 36), *literarum ductus* vocari poſſunt. In his ductibus *apices* etiam ac *baſes*, id eſt, linearum, rectarum inprimis, ex quibus literae conſtant, extrema duo, ſuperius & inferius, vel dextrum & ſiniſtrum, probe tenenda ſunt. *Apices* vel ſunt *reſecti*, vel *non reſecti*, id eſt, lineola quadam horizontali vel perpendiculari, eaque vel recta, vel curua, item rotundata, cet. praemuniti ſunt, vel minus. Apices non reſecti vel *obtuſi* ſunt, vel ſurgunt in *cuſpides*, vnam, vel plures; curuas, rectas; breuiores, longiores; obtuſas, acutas, cet. Idem quoque de *baſibus* literarum

terarum dicendum, quae itidem vel *resectae* sunt, vel *non resectae*: & hae quidem porro vel sunt *obtusae*, vel in *caudas*, vnam, vel plures; curuas, rectas; breuiores, longiores; obtusas, acutas, cet. desinunt. Ad hunc locum illustrandum pertinent ea, quae in *Tab. II.* exhibita sunt, vt 1) V apicibus resectis (hoc V. in tabula non exstat), 2) V apicibus lineola curua siue ad modum literae *s* cubantis resectis, 3) V apicibus non resectis, 4) V apicibus in cuspides duas breuiores surgentibus, seu apicibus bifidis (bifurcis, bicornibus), 5) D & S apice non resecto & in cuspidem longiorem ac sinistrorsum (dextrorsum) incurvatam surgente, 6) *b* apice in cuspidem admodum longam ac sinistrorsum obliquatam surgente, 7) V apicibus rotundatis. Deinde 1) A basibus resectis (haec litera non exstat in tab.), 2) A basibus resectis ad modum literae *s* cubantis, 3) A basibus non resectis, 4) A basibus bifidis, 5) A basibus caudatis, 6) A basibus ad modum clauae s. margaritae resectis, 7) *p* basi in caudam longiorem ac dextrorsum curuatam desinente, 8) A basibus rotundatis.

§. 38.

Ductus literarum multifariam distributi.

Literarum ductus (§. 37) sunt

1.) vel *primarii*, qui si lineae rectae sunt, mox *fulcra* s. *latera*, mox *crura*, mox *transuersae* (scil. lineae), mox *diagonales* dici possunt; sin curuae, earum rerum, quarum similitudinem habent, nominibus, geometricis praesertim, appellari posse existimamus. E. gr. litera A constat duobus cruribus, dextro & sinistro, & ex transuersa: litera B ex duobus fulcris s. lateribus composita est, quorum dextrum perpendiculare, sinistrum vero dupliciter & extrinsecus quidem curuatum, siue ex duobus hemicyclis (dimidiis circellis) coagmentatum est: H ex duobus fulcris & ex transuersa: N ex duobus fulcris & ex diagonali constat.

vel *secundarii*, quorsum pertinent

a.) *apices*, eorumque *resectiones*, cuspides, cet. }
b.) *bases*, earumque *resectiones*, caudae, cet. } vid. §. 37.

2.) vel *proportionati*

vel *non proportionati*, iique nunc *crassiores*, nunc *tenuiores*.

3.) vel *integri*

vel *mutili*, v. gr. A ſine tranſuerſa: A crure dextro decurtato: E tranſuerſis breuioribus. Vid. *Tab. II.*

4.) vel *cohaerentes* ſeu *continui*
vel *interrupti*, v. gr. A crure dextro interrupto: FRATER vox interruptis ductibus ſcripta. Vid. *Tab. II.*

5.) vel *ſimplices*
vel *duplices*, v. gr. H. D. Vid. *Tab. II.*
vel *triplices*.

6.) vel *nudi*
vel *veſtiti*, id eſt floribus, figuris animalium, hominum, cet. cincinnis, lineis criſpiſulcantibus (ſ. ad modum fulminis decidentis) ornati, vel onuſti potius ac deformati. E. gr. N ductibus intus floridis: I ad modum piſcis erecti formatum: *ſ* longius criſpatum: *t* longius lineis criſpiſulcantibus veſtitum ſiue traiectum. Vid. *Tab. II.*

7.) vel *vnicolores*,
vel *verſicolores*. E. gr. T verſicolor, auro, rubro ac viridi colore pictum. Vid. *Tab. II.*

8.) vel *directi*,
vel *obliqui*. V. gr. E tranſuerſis obliquis verſus ſiniſtram: A tranſuerſa obliquata ſiniſtrorſum. Vid. *Tab. II.*

9.) vel *firmi*,
vel *tremuli* ſeu *vacillantes*. V. gr. Verbum *nomine* literis tremulis ſ. vacillantibus iiſque longioribus ſcriptum. Vid. *Tab. II.*

10.) vel *recti*,
vel *curui*, v. gr. T & fulcro & tranſuerſa praeter morem curuis. Vid. *Tab. II.*

11.) vel *tenues*,
vel *craſſi*, cet.

§. 39.

Literae capitales & vnciales.

Literae, eo, quem §. 36. deſcripſimus, modo formatae, *capitales* proprio nomine dicuntur. His *vnciales* opponimus, quae a capitalibus non fere, niſi *duodecim* literarum peculiari forma differunt, quippe quae rotunda in vncialibus, quadrata vel angulata in capitalibus eſt.

Vnciales autem (*) *characteriſticae* ſunt: A, D, E, F, G, H, L, M, Q, T, U, Z. Vid. *Tab. I.* Nolumus enim eorum ſententiae eſſe, qui vel vnciales cum capitalibus confundunt, vel vncialium nomine eas intelligunt literas, quae vnciam, hoc eſt, duodecimam pedis partem altae ſunt.

(*) Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 335.

§. 40.

Capitales formae quadratae vel anguloſae praeter morem.

Ex literis *capitalibus* quaedam praeter conſuetudinem *quadratae*, vel *anguloſae* etiam, in antiquis monimentis inueniuntur, quales ſunt: B, C, D, G, O, P, Q, R, S. Vid. *Tab. I.*

§. 41.

Literae maiuſculae & minuſculae & harum diuiſio in minutas & curſiuas.

Literae capitales & vnciales vno *maiuſcularum* nomine comprehendi poſſunt, a quibus *minuſculae* non magnitudine tantum, verum etiam ductuum ſitu, nexu & forma diſcrepant. Minuſcularum aliae *ſolitariae* ſeu *minutae* ſunt, aliae *vnitae* ſeu *curſivae*. Illae cum hodiernis typographorum literis minuſculis conueniunt, hae ductibus nonnullis, coniunctionem ſ. vnionem adiuuantibus, diſtinctae ſunt, ac, ſitus ratione habita, in *initiales*, *medias* ſ. *intermedias* ac *finales*, diſpertiri poſſunt. Facilius hae diuiſiones ex hac tabula cognoſcentur:

Literae
- I. Maiuſculae
  - 1. capitales
  - 2. vnciales.
- II. Minuſculae
  - 1. ſolitariae ſ. minutae
  - 2. vnitae ſ. curſiuae
    - a. initiales
    - b. intermediae
    - c. finales.

} Vid. *Tab. I.*

§. 42.

§. 42.

Minuſcularum literarum apud Romanos vſus.

Plerique omnes eruditi *Romanos veteres* non niſi literis capitalibus, ſiue, vt falſo eas interdum appellant, vncialibus vſos fuiſſe tradunt. Sed eorum opinio, vel error potius, primo neceſſitate & multum & celeriter ſcribendi refellitur; quod quidem vtrumque Romanis abiudicare velle, idem eſt, ac Romanos non noſſe. Iam vero celeriter ſcribere, & maiuſculis tamen literis non tam ſcribere, quam pingere, inter eas res merito numerantur, quae vna conſiſtere nullo modo poſſunt. Romani itaque in rebus celeriter expediendis, ne cogitationum aut ſermonum rapiditas tarditate calami vel ſtili impediretur, prouidere ſtudentes, literas maiuſculas paullatim immutarunt, quoſdam videlicet earum ductus diminuendo, alios omittendo, cet. E. gr. ſcribendo *a* pro A, *b* vel ʒ pro B, *c* pro C, *d* ſiue d pro D, *e* pro E vnciali, cet. Atque hinc nouum ſcripturae genus, literae minutae, & ex his etiam vnitae ſeu curſiuae, ſenſim ſenſimque apud Romanos ortae ſunt. Sed literarum minuſcularum vſus Romanis etiam partim Graecorum & Orientis populorum exemplis, partim ex ipſo manu exaratorum librorum ac diplomatum vetuſtiſſimorum intuitu, quaſi vindicari poteſt. His tribus rationibus, quibus (*) nobiles illi ſyſtematis noui diplomatici auctores minuſcularum literarum apud Romanos vſum comprobare ſtuduerunt, nos aliam, eamque, vt nobis quidem videtur, maximi momenti, & indubitatam adeo, vſum nempe *notarum Tironis*, adiungimus, e quibus minuſculae Romanorum literae ſole clarius elucent.

(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 404. ſeqq.

§. 43.

Scriptura capitalis, vncialis, minuta & curſiua: item pura & mixta.

Ex his, quae hactenus dicta ſunt, *ſcripturae* ipſius diuiſio in *maiuſculam* & *minuſculam*, ſiue vt plenius loquamur, in *capitalem*, *vncialem*, *minutam*, & *vnitam* ſ. *curſiuam* facili negotio intelligi poteſt (§. 41). Scripturae, in quibus literae vnius tantum generis, e. gr. ſolae capitales, ſolae minutae, dominantur, admodum rarae, in diploma-

tibus praesertim, sunt: vsitatissimae autem illae, quae ex pluribus literarum generibus sunt compositae. Illae *scripturae*, si quando occurrunt, *purae*; hae *mixtae* appellari possunt.

§. 44.

Literae tenues, crassae: altiores: latiores: longiores, tam maiusculae, quam minusculae: aequales, inaequales.

Sunt literae, quarum omnes ductus contra proportionis regulas, tam tenues tamque subtiles sunt, vt fila vel virgulas, non literas, cernere putes: sed sunt etiam, quas ob ductus omnino ac vndique crassos cum cippis aut truncis haud inepte comparaueris. Illae *tenues* s. *macilentae*, hae *crassae* s. *pingues* appellari possunt ac debent. Pari modo aptae compositionis legibus aduersantur literae iusto *altiores*, aut *latiores*, in quibus vel altitudo, vel latitudo adeo dominatur, vt oculus offendatur inaequalitate. Sunt denique literae, quae in maxima ductuum suorum tenuitate in tantam tamen simul altitudinem ascendunt, vt scripturam eiusmodi literis constantem intuens, campum segetibus luxuriantibus insignem, vel aggerem palis vndique munitum, videre tibi videaris. Has literas *longiores*, cum auctore syntagmatis dictandi (§. 25), vocabimus, quas alii, magnitudinis tantum, non formae simul ratione habita, cum maiusculis confundunt. Longiorum aliae *maiusculae* sunt, aliae *minusculae*, cuius quidem diuisionis ratio non a magnitudine illarum, sed a forma, vt par est, repetitur. Vid. *Tab. I.* Ex quo colligitur scripturam ipsam vel *longiorem* esse (in vernacula *die Fractur*), vel *ordinariam*. Literae pari altitudine conspicuae, id est, *aequales*, scripturam ipsam aequalem ac visu iucundam reddunt: *inaequales* contra offendunt. Denique ratione situs etiam literae variant; sunt enim aliae *erectae*, aliae *inclinatae*, vel dextrorsum, vel sinistrorsum, aliae *cubantes*: item nunc *conuersae*, vel dextrorsum, vel sinistrorsum, nunc *inuersae*.

§. 45.

Versuum, vocum ac literarum distantia.

In scripturis etiam versuum (*der Zeilen*), & vocum, immo & singularum literarum *distantia* animaduertenda est. 1) *Versus* vel aequaliter

liter inuicem distant, vel minus: *ad regulam* ducuntur, vel *gibbosi* seu curui sunt. 2) *Voces* vel sunt *separatae*, vel *continuae*, id est, voces vel ab aliis, spatio quodam inter ipsas relicto, aut punctis etiam, virgulis, cet. seiunguntur: vel extrema antecedentis vocis litera cum primordiali vocis sequentis ita cohaeret, vt plures voces adesse, non statim appareat. 3) *Literae* denique ipsae vocabuli cuiusdam mox *arctiores* sunt, mox *ampliores*, mox *aequaliter distantes*.

§. 46.

Literae contiguae, innexae, insertae, & columnatae: vno verbo coarctatae seu monogrammaticae.

Possunt *literae* duae pluresue ita in angustum cogi, seu *coarctari*, vt vnius tantum literae speciem prae se ferant, aut vnius etiam literae spatio contentae sint; quo quidem scribendi compendio ipsi etiam *Romani veteres* vsi sunt, vbi spatii angustia literas seorsim positas non capiebat. Trifariam hoc factum esse alii volunt: sed nos quartum etiam compendii huiusmodi genus in scripturis vetustis animaduertimus, quod praetermittere nolumus. Primum genus est, vbi literae ita iuxta se inuicem collocatae sunt, vt ductu aliquo (e. gr. fulcro, crure cet.) communi utantur. Compendium hoc *contignationem*, ipsasque *literas contiguas* vocant. E. gr. Æ, END, MAX, MVR. Vid. *Tab. II.* Alterum genus existit, quando vna litera alterius ductui imponitur vel implicatur. E. gr. TS, DO, in *Tab. II.* Hoc *innexionem* seu *implexionem*, literasque ipsas *innexas* appellant. Tertium genus est, cum vna litera alterius spatio vacuo insita est. Hac *insertione* formantur literae, quas *insertas* dicunt. V. gr. PI, HOC, in *Tab. II.* Quartum denique genus, quod his tribus adiungendum ducimus, existit, quando plures literae ad perpendiculum seu instar columnae ita ponuntur, vt vna alteri seorsim subscribatur. V. gr. DILECTISSIMO in *Tab. II.* Occurrit hoc vocabulum in medio scripturae alicuius contextu apud MABILLON. de re diplom. p. 435. Compendiosam hanc scribendi rationem *columnationem*, & ipsas literas *columnatas*, brevitatis caussa, & apposite fortasse ad rem ipsam, appellari posse existimamus. Quatuor haec literarum genera vno *literarum monogrammaticarum* nomine comprehendi possunt, propterea quod monogrammata, quae vocant, ex illis

lis existunt. Sic vocabulum *Nota* literis monogrammaticis, ac sigillatim hic literis tam contiguis, quam columnatis, scriptum in *Tab. II.* reperitur.

§. 47.
Scriptura elegans & rustica: earum gradus.

Scripturarum elegantia 1) versuum apta distantia & directione 2) literarum aequalitate & apta compositione, ac 3) ductuum proportione, integritate, cohaerentia, simplicitate ac firmitate conficitur (§. 45, 44, 38). Ex quo, quae *scriptura rustica* & *deformis* sit, facile cognoscitur. *Gradatim* itaque scripturae vel ad elegantiam ascendere, vel descendere ad deformitatem possunt.

§. 48.
De accentibus.

Sed *accentus* etiam, quorum tria genera sunt, *acutus*, *grauis*, & qui ex compositione acuti & grauis ortus est, *circumflexus* (/ \ ^ seu ~), itemque *puncta*, vnum, vel plura, *virgulae*, *circelli*, integri vel dimidii, quae, tanquam signa, literis, praesertim *y*, *u*, & *i*, interdum imposita cernuntur, hoc loco commemoranda sunt. Ac de *accentuum* quidem antiquitate variae sunt ac discrepantes virorum doctorum sententiae. *Graecos* autem ducentis circiter annis ante Christum natum iam accentibus vsos esse, eosque vna cum interpunctionibus ab ARISTOPHANE, grammatico byzantino accepisse, haud incredibile est: apud *Romanos* certe, eos inde ab Augusti temporibus vsitatos fuisse, & monimenta publica, & (*) Grammatici veteres testantur: quamquam fatendum simul sit, librarios pariter, atque inscriptionum editores, illos in adhibendis, hos in describendis accentibus, admodum negligentes fuisse; quo quidem potissimum factum est, vt accentus in antiquis monimentis ac libris tam raro occurrant. Adhibiti autem sunt accentus variis de caussis, primo ad indicandam vocum quantitatem, & ad facilitatem pronuntiandi ac declamandi, tamquam notae musicae; deinde ad tollendam ambiguitatem in vocibus, quarum similitudo confusioni locum aperit, v. gr. vt casus obliqui a rectis (mensâ, id est, quasi mensâà), aduerbia ab adiectiuis discerni possent, item in litera initiali vocis *Manius*, (M' s. M), in vocibus;

vocibus: *enim iam tunc*, ne legatur *nimiam* &c.; tum ad compendiose scribendum, v. gr. *séra* pro serra, *séla* pro sella; *ásis* pro assis, item *omnẽ* pro omnem, *hãc* pro hanc. &c. In diplomatibus accentus rarissime apparent, neque fere aliter, nisi ad compendia scripturae indicanda & ad interpungendam orationem adhibita cernuntur.

(*) SVETON. de illustr. Grammat. c. 24. Add. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 479 - 481.

§. 49.

De punctis literae y & de accentibus literae u.

Similitudo literarum *y* & *u* caudati fecit, vt *y* inde a saeculo V. & VI. punctis, vno vel duobus superne notaretur. Puncta haec, literae y superscripta, saec. VIII & IX. facta sunt vsitatiora. Licet vero haec litera adhuc saeculo XV. punctis notata deprehendatur, constat tamen etiam, nullo non tempore reperiri scripturas, in quibus *y* punctis prorsus careat. Litera *u*, cui accentus acutus vnus, vel duo etiam impositi sunt, scripturam prodit, inde ab exeunte saeculo X. vsque ad initium saeculi XII. confectam (*). Saeculo XII. & XIII. *u* circello interdum notatum (ũ) in diplomatibus obseruauimus: sed originem ac durationem huius consuetudinis nondum certo definire audemus; licet credamus, in vernacula nostra scriptura, semicircellum literae u inde ortum esse.

(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 288. sq. & p. 295. sqq.

§. 50.

De accentu acuto & puncto literae i.

Postquam literae *u*, *m*, *n*, & *i*, forma tam simili exaratae sunt, vt vna harum literarum cum altera facile confundi posset; litera *i* accentu acuto superne notari coepta est (*í*), cuius consuetudinis initium plerique demum ad saec. XIII. & XIV. referunt, nos vero cum pauciſſimis aliis inde a fine saeculi X. repetendum existimamus; quamquam largiamur, hoc non nisi pedetentim, vt in consuetudinibus fieri solet, factum esse. Durauit hic mos vsque ad saec. XVI. sed notandum est simul, li-

teram *i* circa saeculum XIII. interdum etiam circello, ac saeculo XIV. puncto notatam fuisse; donec saeculo XVI. litera *i* non nisi puncto notari, coepta sit.

(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 482, coll. T. II. p. 209. sq.

CAPVT III.

STIGMEOLOGIA
SEV DOCTRINA INTERPVNCTIONVM.

(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 459 - 499.

§. 51.

De punctis.

De Grammatologia pro instituti ratione satis diximus. Iam sequitur, vt de *Stigmeologia* seu doctrina interpunctionum agamus (§. 33.) *Interpunctionum* vero tria potissimum genera sunt: *Punctum*, *comma* s. *incisum* & *colon*: quorum antiquissimum punctum est, quippe quod ARISTOPHANES, grammaticus byzantinus, qui ducentis annis ante salutarem Virginis diuinae partum florebat, inuenit. Punctum vero omnium interpunctionum vicem olim sustinuit, prout hoc vel alio situ ad literas collocatum erat. Placet discrimen hoc verbis (*) DONATI, qui A. Chr. 354. vixerat, declarare. „*Distinctio* (τελεία στιγμή, siue perfecta distinctio, id est, punctum nostrum) *est*, inquit, *vbi finitur plena sententia: huius punctum ad summam literam ponimus. Subdistinctio* (ὑποστιγμή, comma nostrum) *est, vbi non multum superest de sententia: huius punctum ad imam literam ponimus. Media* (μέση στιγμή s. colon nostrum) *est, vbi fere tantum de sententia superest, quantum iam diximus, cum tamen respirandum sit: huius punctum ad mediam literam* (**) *ponimus.* Sed librarii veteres ab hoc consueto puncti situ saepe recesserunt. Forma etiam puncti mirum quantum variauit. Mox vnum, mox duo, mox tria, vel quatuor etiam puncta, ad modum perpendiculi, vel trianguli, vel quadrati, posita deprehenduntur.

Sunt

Sunt puncta, quae rosularum, stellularum, cruciculàrum, rhomborum, fusorum, ramusculorum, foliorum, itemque literarum o, y, Δ, φ, ψ, formam habent. Lineae etiam tum transuersae, tum obliquae s. diagonales (- & /) punctorum loco adhibitae sunt. Nec raro denique puncta, cum virgulis s. commatibus coniuncta (; ⁝, ⁖ ⁘ cet.), pro punctis solis vsurpata cernuntur. Vid. *Tab. III.*

(*) Conferatur etiam *Cicero* de orat. L. III. c. 44.

(**) V. gr. CONCORDIA. PARVAE RES CRESCVNT. DISCORDIA MAXIMAE DILABVNTVR.

§. 52.

De punctis inscriptionum.

In monimentis publicis ac numis voces usque ad saec. V. separatim positae (§. 45), & singulae etiam, praeter finales, punctis plerumque inprimis post scripturae compendia s. abbreuiaturas interstinctae sunt. *Sigilla* Merouingica interpunctionibus carent. De Carolingicis idem fere dicendum est, nisi quod finis epigraphes & voces compendiose scriptae, punctis distinctae inueniantur; vt itaque in errore versetur HEINECCIVS, qui in libro de sigillis veter. p. 187, Carolidas vsum veterum interpunctionum restituisse, scribit. Sunt adeo sigilla, quae adhuc saeculo XI. & XII. omnem interpunctionem neglexerant: contra ea bullae Pontificum Romanorum sunt, in quibus vel singulae literae epigraphes punctis, vel ornamentis aliis, punctorum tamen loco positis, distinctae sunt: sciendum enim est, in sigillis etiam, vt in aliis scribendi generibus, punctorum formam mirum in modum differre (§. 51).

§. 53.

De punctis librorum MSS.

In libris manu exaratis neque *Graeci*, neque *Latini* veteres distinxerunt orationem, sed continua verborum serie sententiam perfecerunt: nisi quod nouam sententiam a nouo versu (στίχος) saepius auspicarentur. Huic distinguendi modo alii successerant. Sunt enim manu scripti libri, iique vetustissimi, in quibus sententiarum nouarum initium, vel litera quadam maiore & exstantiore, vel spatio quodam vacuo inter

voces relicto indicatum est. Voces in medio librorum manuscriptorum contextu saeculo demum VI. separatim scribi coeptae sunt, idque tam sensim ac paene sine sensu factum est, vt vel saeculo IX. reperiantur manu exarati libri, quorum voces sine vlla distinctione collocatae sunt. *Punctorum* autem vsus in libros manu scriptos iam ante saeculum VIII. introductus est. Fallitur ergo GODEFREDVS, *Abbas Gottwicensis*, qui in Chronico Gottwicensi p. 36. codices, saeculo VIII. antiquiores, omni interpunctione carere tradit.

§. 54.

De punctis diplomatum.

In diplomatibus vetustissimis omnes sententiae s. formulae continua vocum serie scriptae sunt: nulla hic separatio vocum est, nullum punctum; nisi quod primus versus, datum & subscriptio regia, itemque abbreuiaturae spatio quodam vacuo plerumque, notae autem chronicae punctis interdum, terminentur. Sub *Pipino* voces in medio diplomatum contextu primum spatiis vacuis distingui coeptae sunt, sed tam parce, vt adhuc A. 931. in scriptura longiori diplomatum separatio vocum singularum vix sentiatur, licet contextus ipse, id est, scriptura ordinaria s. minuscula voces separatim scriptas habeat. Sed inde ab A. 940. vocum separatio constans ac perpetua esse coepit. *Punctorum* vsus in diplomata serius, quam in libros manu exaratos introductus est. Sub merouingicis Regibus diplomata punctis carent, nisi quod notae chronicae, vti iam diximus, punctis interdum finiantur. Pipini diplomata inde ab A. 767. habent quidem puncta, sed pauciſſima. Neque plura fere in Carolidarum diplomatibus apparent: punctorum certe ratio neque constans fuit, neque vniformis. Ineunte saeculo X. puncta crebriora, quamquam sub formis admodum diuersis, esse coeperunt. Sed ignorauerunt, saecula haec vetustiora discrimen, quod hodie inter punctum, comma & colon facere solemus. Saeculo XII. interpunctio diplomatum, si virum beatum, Dom. de GVDENVS in Sylloges diplomat. praefat. n. 25. p. 15. audiamus, absona adhuc fuit; sed iniuriam saeculo huic infert vir hic, diplomaticae artis ceteroqui peritissimus. Accuratius enim diplomata hoc saeculo, quam antea, interpuncta esse, autographa multa testantur. Saeculo XIII. virgulae obliquae, instar commatum nostrorum

rum formatae, in locum punctorum substitutae sunt: sed puncta mox ad pristinam dignitatem peruenerunt, ita tamen, vt virgulae simul ad distinguendas sententias, quae nondum absolutae sunt, retinerentur.

§. 55.

De commate & de colo.

Comma etsi puncto recentius est, caue tamen putes, illud aeuo medio demum inuentum esse. Sunt enim libri, tam graeci, quam latini, iique iam saec. V. & VI. scripti, in quibus commata, mox sub hodierna, mox sub alia forma reperiuntur; quamquam illa plerumque, vt verum fateamur, punctorum vicem sustineant, id est, tam ad distinguendas sententias perfectas, quam subdistinctionum loco adhibita sint. Eiusdem commatis vsum paragrapho praecedenti diplomatibus etiam vindicauimus. B. WALTHERVS in Lexico diplomatico p. 455. quatuor *coli* formas antiquiores attulit, quarum primam ad saec. VIII, alteram ad an. 996, tertiam ad an. 1137, & vltimam denique ad an. 1195. retulerat, vid. *Tab. III.* Sed cola haec, tria posteriora certe, maiori iure punctis, vel etiam commatibus nostris annumerari posse credimus. Plura de interpunctionibus, tam de illis, quas hactenus explicauimus, quam de reliquis, v. gr. de *signo interrogandi*, *exclamandi*, *paragraphi*, item de *notis criticis* &c. dicuntur in HVGONIS libro de prima scribendi origine, ex edit. TROTZII, p. 270. sqq. in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 459. sqq. & in *Chronico Gottwicensi* p. 20. sqq., in quibus libris, vt & in WALTHERI Lexico diplomatico, & in *Tab. nostra III.* pleraeque interpunctionum & notarum criticarum formae aere vel ligno etiam exscriptae deprehenduntur. Vnum hoc addimus, hodiernam interpungendi rationem MANVTIIS deberi.

CAPVT IV.

BRACHYGRAPHIA.

SEV DOCTRINA ABBREVIATVRARVM.

* 1. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 499 - 622.
2. BARINGII clauis diplomat. post pag. 196. in Tabb. aeneis.

3. IOH.

3. IOH. LVDOLFI WALTHERI Lexicon diplomaticum. Gottingae 1745. fol. mai.

§. 56.

De abbreuiaturis generatim.

Brachygraphia, ad quam explicandam nunc progredimur, de *scripturae compendiis* s. *abbreuiaturis* exponit. Oriuntur autem abbreuiaturae ex literis

1. *coarctatis* (conf. §. 46.)
   a. per contignationem. *Literae contiguae*,
   b. per implexionem s. innexionem. *Literae innexae*,
   c. per insertionem. *Literae insertae*,
   d. per columnationem. *Literae columnatae*,

   } vnde monogrammata existunt.
2. *omissis*
   a. sine discrimine. *Abbreuiaturae proprie dictae.*
   b. ita vt initiales vel primae literae retineantur. *Siglae*, tam *verbales* quam *numerales*, ad quas posteriores quodam modo reliquae notae numerales referri possunt.
3. *coarctatis* & *omissis* simul. *Notae tironis.*

§. 57.

Speciatim 1) de literis coarctatis, inprimis de diphthongo Æ s. æ, de vocula &, *ac de litera* W.

Literarum coarctatarum quatuor genera iam supra (§. 46.) explicauimus. Sed addere nonnulla, quae hoc loco non aliena videntur, placet: ac primo quidem illud, coarctationem in scripturis tam maiusculis, quam minusculis, inde ab antiquissimis temporibus eo potissimum consilio adhibitam esse, vt vel angustius spatium longiorem sententiam capere posset. Deinde paucis de coarctatione diphthongi AE siue *ae*, vocalae et, & literae W exponendum est, propterea quod multi eruditi in definiendo huius coarctationis tempore varie errarunt. Diphthongi AE siue *ae* contignatio (Æ seu æ) antiquissima est, specimina vel in numis consularibus & imperialibus, atque in vetustis inscriptionibus, itemque in libris manuscriptis saeculorum IV. & V. cernere licet. In libris saeculo VII. scriptis diphthongus haec mox separatis literis (ae), mox coarctata

coarctata (æ), mox per vnicum *e*, cui cauda subiecta est ad hunc modum (ę), exprimitur. Figura ę pro *ae* in libris, saeculo X. & XI. exaratis vsitatissima est. In diplomatibus vetustioribus diphthongus *ae* coarctata in hunc modum Æ s. æ, non reperitur: e contrario ę (id est *e* cauda terminatum) pro *ae* sub finem saeculi X, immo adhuc ineunte saeculo XIII. vsurpatum est. E seu *e* simplex pro AE siue *ae* in diplomatibus per saecula XII, XIII, XIV, & XV. tam insolenter dominatum est, vt multi viri docti putarent, diphthongum coarctatam Æ seu æ tunc temporis e diplomatibus prorsus expulsam fuisse. Sed sunt diplomata, & sigilla praecipue, quae contrarium testantur. Rarissimus itaque, nec tamen prorsus nullus coarctatae diphthongi Æ siue æ vsus a saec. XII. vsque ad saec. XV. fuit. Vocula *et*, ad hunc modum & vel aliter etiam, non solum per se scripta, sed etiam tamquam pars aliarum vocum, e. gr. *&iam*, *videlic&*, *r&in&*, pro *etiam*, *videlicet*, *retinet* in antiquis diplomatibus occurrit, qui quidem coarctandi modus saeculo XII. desiit: vt itaque diplomata omnia, in quibus vocula et coarctata deprehenditur, saeculo XIII. antiquiora esse pateat. Quod denique ad literam V duplicatam (w seu w) attinet; MABILLONIVS in libro de re diplomat. p. 53. eam saeculo IX. cruribus separatis VV seu *vu*, ac saeculo XII demum cruribus iunctis (w), vel innexis etiam (w) reperiri. Sed coniunctio crurum (w) iam primo post Christum natum saeculo: innexio vero (w) inde a temporibus Ludouici Pii, id est, inde a saeculo IX. vsurpata deprehenditur: quae innectendi ratio insequenti tempore sensim sensimque vsitatior facta est.

§. 58.

2) *De abbreuiaturis proprie dictis.*

In *abbreuiaturis proprie dictis* literae quaedam, mox primordiales, mox mediae, mox finales, indiscriminatim omittuntur (§. 56), ita tamen, vt omissionis signum aliquod literis residuis adiungatur: quo quidem signo abbreuiaturae a siglis potissimum discerni possunt. Differunt autem *abbreuiaturarum signa* tam numero, quam forma: id quod ex sequenti tabula, si cum *Tab. II. aenea* comparetur, clarius patebit

Omissio

Omissionis signum in abbreuiaturis est

I. vel *simplex* seu *vnicum*, idque vel

1. *lineola*, quaedam, vel

a. *transuersa* seu *horizontalis*, tam recta, quam curua.

1) *recta*, cuius generis haec sunt exempla in Tab. II. aenea: *oma*, omnia, *oms*, omnes, *oio*, omnino, IHS, Iesus, *ihc*, iesus, *Xrc* & *Xrs*, Christus, *fps*, spiritus, *dcm*, dictum, *fres*, fratres, D, hoc est, Digesta, *ppls*, populus, PPM, perpetuum, *p*, hoc est, per seu par.

2) *curua* seu *circumflexus* nota, vt in vocabulis: *Kma*, Karissima, *kls*, kalendas, *diffia*, differentia, *d*, dit, *di*, dei, *qd*, quod, *p*, per seu par.

b. *perpendicularis*, eaque *curua*, ad modum literae *s* varie formatae, qualia sunt vocabula: *mito*, merito, *mris*, martyris, *eccle*, ecclesie seu ecclesiae.

2. *interpunctionis* signum aliquod, videlicet

a. punctum, vt *b.* pro bus, *q.* pro que, *Ca.* pro Caput.

b. *comma*, vt *ap*, pro apud, *d*, pro de.

c. *colon* seu duo puncta, vt *b:* pro bus, *q:* pro que, *q:d* pro quid.

d. *semicolon*, vt *q;* pro que, b; pro bus.

3. *litera* quaedam, eaque vel

a. ex ipso vocabulo abbreuiato sumta, ac quidem vel

1) *ordinaria*, vel

a) *initialis*, vt *g* pro igitur

b) *media*, vt $h^{a}c$ pro hac, $pat^{o}no$ pro patrono, $^{a}qliter$ pro qualiter, *qis* pro quis.

c) *finalis*, vt ^{a}pcc, peccata, ^{a}pp, papa, ^{a}q, qua, ^{a}qi, quasi ^{o}aux, auxilio.

2) *transposita*, e. gr. *c* conuersum ad hunc modum ɔ seu 9, vt *ɔstruxit*, constituxit, *9tinget*, continget.

b. *arbitraria*, v. gr. litera *c* longior, ad hunc vel similem modum

dum $\acute{e}$, quae litera interdum pro quolibet abbreuiaturae genere vſurpatur, vt *nom*, pro nomine, *dni*, pro domini.

4. *nota* quaedam *numeralis*, e. gr. *2*, *3*, *4*, *7*, *8*, ſeu 8 (nota inuerſa), item ∞ (cubans,) *9*, cuius rei haec ſunt exempla: $\overset{2}{nui}$, numeri, $\overset{2}{ſce}$, ſancte ſeu ſanctae, $\overset{2}{iuata}$, iurata, $\overset{2}{bg}$, burg; l^3, licet, b^3, bus, $\overset{3}{nri}$, noſtri, $\overset{3}{tam}$, tamen; $\overset{4}{gra}$, gratia; $\overset{7}{nr}$, noſter; $\overset{8}{omi}$, omni, $\overset{8}{ſci}$, ſancti, $\overset{\infty}{Fcm}$, Factum.

* Figura *9* ab initio vocabuli *con* ſeu *com*, in medio autem pariter, atque in fine *us* denotat, v. gr. *9ponit*, componit, do^9, dominus, h^9, huius, *c9moi*, cuiusmodi. Hoc ſignum etiam ad vocu-

lam *poſt* denotandam adhibitum eſt, vt $\overset{9}{p}$ ſeu $\overset{9}{pt}$.

5. *ductus* quidam *arbitrarius*, qualia ſunt vocabula: *not* pro notarius, *nrae* pro noſtrae, *n* pro non, *epc* pro epiſcopus, *Impr* pro Imperator, *pps* pro praepoſitus, *ee* pro eſſe, *Iohi* pro Iohanni, *miſcda* pro miſericordia, *nr* pro noſter, *hre* pro habere.

6. *vocula* & (*et*), vt *nra* pro noſtra

II. vel *multiplex*, ac quidem

1. *duplex*, vt $\overset{a}{9}$, contra, $\overline{9ia}$, communia, $\overset{a}{not}\varrho$, notatis, *nou'it*ϱ, noueritis, $\overline{ſ'rex^t}$ pro ſurrexit, $\overline{tep9}$, tempus, $\overline{ſpalr^3}$ pro ſpecialiter, $\overline{ɔſtois}$, conſtitutionis, $\overline{t'in9}$, terminus, $\overline{tcq_3}$ pro tuncque, *exn'b9* pro exiſtentibus, ppt^s pro propter, $\overline{p'ſen^a}$, praeſentia, $\overline{F'i^a}$, Feria, $\overline{hm'lit^s}$, humiliter.

2. *triplex*, vt $\overset{ai}{tnqliti}$ pro tranquilitati, $\overset{i}{9ſ'uatx}$ pro conſeruatrix, $\overset{i9}{utq}$ pro vtriuſque, $\overline{vq^a}$ pro vnquam, $\overline{9t}$ pro communiter, $\overset{oo}{qmlʒ}$ pro quomodolibet.

* Voculae tres *prae*, *pro* & *per* seu *par* semper fere sola litera *p* significantur: sed hoc tamen obseruato discrimine, vt signum abbreuiationis ad voculam *prae* denotandam τ̃ *p* super imponatur, in vocula *pro* caudae huius literae *p* praefigatur, ac denique in vocula *per* siue *par* caudam literae p mediam transeat. Vide postrema quinque signa abbreuiaturarum in *Tab. aenea II.*

§. 59.

Abbreuiaturarum epochae.

Abbreuiaturarum vsus *Romanis* veteribus cum *Graecis*, communis ac fere idem fuit. Habent etiam *Hebraei*, Rabbini inprimis, sua scripturae compendia. Sed de his iam non est disputandi locus. De libris Latinorum *manuscriptis* generatim tenendum est, eos, quo antiquiores sint, eo paucioribus abbreuiaturis impeditos esse. Augetur vero sensim earum numerus inde a saeculo VII, ita vt saeculo XI. vix vllus versus reperiatur, in quo non plures abbreuiaturae occurrant, lectionemque reddant difficiliorem. Durauit haec compendiose scribendi ratio vsque ad incunabula artis typographicae, adeo vt etiam in primos libros typis exscriptos multae abbreuiaturae irrepserint. Eodem fere modo abbreuiaturarum vsus in *diplomatibus* ab exiguis initiis ad maiora incrementa ascendit, nisi quod acta publica, inprimis iudicialia, ipsis saeculis V. & VI. abbreuiaturarum plenissima sint. His solis exceptis, de reliquis omnibus diplomatibus, sicut de MSS. codicibus, haec tamquam regula generalis tenenda est, diplomata, quo antiquiora sint, eo pauciores abbreuiaturas habere. Itaque sub Merouingicis ac Carolingicis Regibus atque Imperatoribus abbreuiaturarum numerus exiguus, ab saec. X. & XI maior, & maximus denique a temporibus saeculi XIII fuit. Quae quidem caussa praecipua est, cur diplomata posteriorum temporum plerumque difficiliora explicatu sint, quam prioris aeui. Sed *forma* etiam abreuiaturarum pro diuersitate temporis variauit. Pro lineolis transuersis, quae in codicibus manuscriptis dominantur, in diplomatibus alia plerumque signorum genera occurrunt, qualia sunt

1. sub *Merouingicis* Regibus
   a. partim *circumflexus* nota
   b. partim litera c, id est *c* longius

   } vtraque vario situ, ad modum perpendiculi, vel lineae horizontalis, vel diagonalis.

2. sub

2. sub *Carolidis*
   a. ad modum voculae *&* - - - -
   b. - - notae numeralis *3* vel etiam *ȝ* } vario itidem situ
   c. - - literae *s* cursiuae - - - }
3. *saec. XIII.*
   a. in Germania sub imagine notae numeralis 2.
   b. in Gallia vt nota *circumflexus*, vel etiam ad hunc modum 7.

Atque haec signa, lineolarum transuersarum, in MSS. potissimum occurrentium, vicem sustinuerunt: sed praeter ea, alia quoque signa tam in diplomatibus, quam in MSS. vsurpata deprehenduntur, de quibus paragrapho praecedenti pro instituti nostri ratione satis diximus. Quia haec scripturae compendia & lectionem difficilem reddunt, & eruditos etiam viros, eos praesertim, qui hac in re non satis exercitati fuerant, in (*) grauissimos ridiculosque errores induxerunt; rei diplomaticae studiosi bene prudenterque agunt, si aenigmata haec, quam primum fieri possit, enodare discant. Gaudemus, nationem nostram hac in parte libro instructam esse, qualem exteri non habent, WALTHERI Lexico diplomatico. Tirones etiam BARINGII claue diplomatica, ab initio certe, contenti esse possunt.

(*) Vide *orat. meam* de difficultate artis diplom. p. 26. sqq. not. 45.

§. 60.

3) *De siglis.*

Antequam de siglis ipsis exponamus, rem totam hac tabula explicare placet. *Siglae* sunt vel
1. *verbales.* sunt
   a. vel
      1) simplices
      2) compositae, quarum species sunt etiam
         α. geminae
         β. tergeminae.
   b. vel
      1) ordinariae
      2) transpositae
         α. inuersae
         β. conuersae.

c. vel publicae & priuatae
d. vel
1) inſcriptionum
2) librorum manuſcriptorum
3) diplomatum.

2. *numerales*, cum reliquis notis numeralibus, quae ſunt partim
a. antiquiores
1) orientalium populorum
2) Graecorum
3) Romanorum
b. recentiores ſ. arabicae.

§. 61.

Scriptores de ſiglis.

De ſiglis expoſuerunt

1. SCIP. MAFFEI in Graecorum ſiglis lapidariis collectis & explicatis (editore *Iul. Caeſ. Becellio*). Veron. 1746. 8.
2. EDVARDVS CORSINI in notis Graecorum, ſ. vocum & numerorum compendiis, quae in aereis atque marmoreis Graecorum tabulis obſeruantur, cet. Florent. 1749. fol.
3. M. VALERIVS PROBVS, Grammaticus, in libello de notis Romanorum interpraetandis. Libellus hic ſaepe editus eſt, v. gr. *Dionyſ. Gothofredo* in collectione, quae inſcripta eſt: Auctores Latinae linguae in vnum redacti corpus (1585. 4.) p. 1451-1479: item ſeorſim cum notis *Henr. Ernſtii*, Sorae 1647. 4.
4. MAGNO in notis Iuris collectis, in *Gothofredi* laudata collectione p. 1482-1496.
5. PETRVS DIACONVS in libello de notis literarum more romano, ad Conradum I. Imperatorem, *ibid.* p. 1497-1527. In eadem *Gothofredi* collectione p. 1527-1546, exſtat quoque *Notarum & literarum ſingularium dictionumque contractius & per compendium tam in antiquis inſcriptionibus quam in nummis ſcriptarum explicatio.*
6. ERN. SALOM. CYPRIANVS in diſſ. de ſiglis, Helmſt. 1700. 4.
7. IOH. NICOLAI in tractatu de ſiglis veterum, Lugd. Bat. 1703. 4.

§. 62.

§. 62.

De ſiglis verbalibus.

Sigla ſ. *ſiglum* eſt compendium ſcripturae, integram vocem aliquam, vel ſyllabam etiam, vna vel pluribus literis initialibus exprimens. E. gr. S. P. D. hoc eſt, ſalutem plurimam dicit, CRAS. pro Craſſus. Cicero ſiglas appellauit *literas ſingulas*: alii veterum *ſingularias* eas vocarunt. Vſus ſiglarum iam antiquiſſimis temporibus, & adeo multis ſaeculis ante Chriſtum natum obtinuit. Graeci eas ſine dubio ab orientis populis, & Romani a Graecis acceperunt. Sunt autem duo potiſſimum genera ſiglarum, quorum vnum *verbalium*, alterum *numeralium* nomine appellabimus. *Siglae verbales* voces quaſcumque, *numerales* numeros tantum exprimunt. Illae in *ſimplices* & *compoſitas*, itemque in *ordinarias* & *tranſpoſitas* diſpertiri poſſunt. Siglae *ſimplices* ſingulis literis ſingulas voces declarant, in *compoſitis* vero duarum vel plurium literarum concurſu ad ſignificandam vocem vnicam opus eſt. v. gr. A Aulus, & media aetate Albertus &c. CAES. AVG. Caeſar Auguſtus, NON. AP. Nonis Aprilis &c. Compoſitarum ſpecies facimus etiam *geminas* & *tergeminas*, quarum vſus eſt in exprimendo numero vel duali vel plurali. V. gr. Ann. pro Annis, COSS. Conſules. CAESS. AVGG. Caeſares Auguſti duo, CAESSS. AVGGG. Caeſares Auguſti tres, Imppp. pro Imperatores tres, VV.SS. viri ſacerdotes duo, VVV. ddd. viri deuoti tres, DDD. NNN. FFF. hoc eſt, domini noſtri fratres tres. *Tranſpoſitae ſiglae* ſunt vel *inuerſae*, vel *conuerſae*, cuiuſmodi hae ſunt: M. Marca, Ɔ. Caia, Ɔꓶ. Caia liberta, ƆLK Conlibertae Kariſſimae. Siglorum ambiguitates & aenigmata multos viros, incautos pariter, atque circumſpectos, & olim, & noſtra aetate in mille errores induxerunt. Quare non eſt mirandum, Imperatorem, (*) Iuſtinianum eorum vſum lege peculiari prohibuiſſe, & falſitatis adeo poenam aduerſus eos conſtituiſſe, qui in poſterum legum codices per ſiglarum obſcurirates auſi fuerint conſcribere. Neque tamen vllum eſt ſcripturae genus, ſiue publicum, ſiue priuatum, in quod haec aenigmata non irrepſerint. Poſſunt igitur ſiglae etiam pro vſus diuerſitate in *publicas* & *priuatas*, itemque in *ſiglas inſcriptionum* (v. gr. ſigillorum), *librorum manuſcriptorum* & *diplomatum* diſtingui. *Siglae Diplomaticae* indicandis praecipue nominibus propriis adhibitae ſunt, quae conſuetudo potiſſimum a ſaecu-

lo IX. vsque ad saeculum XVI. durabat, ac varie errandi locum incautis aperiebat, siquidem siglae hae (**) ab editoribus pariter, atque ab ipsis notariis saepe omissae sunt, & ab illis (editoribus videlicet) etiam idque haud raro, perperam explicatae.

(*) *Cod.* l. 1. tit. 17. de veteri iure enucleando; item ibid. l. 2. §. 22.
(**) Vid. exempla in *orat. mea* de difficultate artis diplomat. p. 25. not. 44.

§. 63.

De siglis ac notis numeralibus, & quidem (1) antiquioribus.

De *origine numerorum* magna sententiarum dissensione certatum est, & adhuc certatur, quae quidem dissensio argumento esse potest, eorum inuentorem prorsus incognitum esse. Id tamen nemini potest esse dubium, primos iam homines in numerandis computandisque rebus fuisse occupatos. Deinde quoniam vix fieri potest, vt quis diu admodum rerum multarum numeros diuersos memoria teneat; verisimillimum est, primis statim temporibus signa quaedam excogitata fuisse, quae numeris perpetuandis quodammodo inseruire possent. Historiae certe testantur, varia paullatim signorum numeralium genera exstitisse, cuiusmodi sunt lapilli, grana cet. quorum situ, magnitudine, colore cet. diuersum numerorum valorem exprimere populi nonnulli studuerunt. Quum deinde artes coli ab hominibus coeptae essent, quaedam nationes varia quoque artis opera, & in his etiam funiculos, versicolores plerumque, quibus noduli innectebantur, ad numeros significandos adhibuerunt. Atque hi computandi modi nunc quoque populis quibusdam placent. Fuerunt denique populi, qui per digitos etiam computabant; quae quidem computandi ratio quoniam facillima omnium ac naturae genioque hominum, rudium praesertim, conuenientissima est, sine dubio etiam omnium antiquissima ac prima fuit. Atque ex hoc fonte (*) quidam viri eruditi primas numerorum notas scriptas deriuant, quippe quas *signa naturalia* siue *hieroglyphica*, quae a *digitorum* forma essent desumta, primitus fuisse putant. Si quis cogitet, scripturam realem literali multo antiquiorem esse, nihil fere, opinor habebit, quod contra hanc sententiam dicat. Id saltem pro certo affirmauerim, *Romanorum numerorum* notas omnes, ac centenarii etiam & millenarii (C. & M.) figuras, quae siglae quidem vocum Centum & Mille esse videntur, at non sunt, signa naturalia

turalia esse, quorum figurae ad similitudinem digitorum, per quos numerabant, effictae sint. Reliquae nationes numeros itidem sine dubio iisdem, vel similibus certe signis hieroglyphicis expresserunt, quae vero post inuentam scripturam literalem repudiata sensim sensimque a plerisque populis sunt, ita quidem, vt in eorum locum partim *figlae*, hoc est literae primores verborum numeralium, partim *literae Alphabeti* succesſerint. *Graecos* inprimis ab initio naturalibus signis numeros denotasse, ex iis notis, quibus *Attici* quatuor numeros priores (I. II. III. IIII.) significarunt, tamquam ex certis repudiatae consuetudinis antiquae vestigiis, satis dilucide cognoscimus. Quae quum ita sint, tria omnino notarum numeralium genera constitui posse existimamus: 1) *signa naturalia* s. *hieroglyphica*, 2) *figlae* & 3) *literae Alphabeti*. Sed possunt etiam notae numerales in *antiquiores*, quales sunt 1) *orientalium populorum*, 2) *Graecorum*, 3) *Romanorum* cet. & in *recentiores*, quae etiam *arabicae*, item *Ziphrae* vocantur, diuidi. Ac de notis numeralibus orientalium populorum iam nihil attinet dicere: *Graecorum* autem ratio numerandi, cuius vsus aliquis in re diplomatica est, paucis explicanda videtur. Graeci nempe, repudiatis numerorum omnium (praeter I. II. III. IIII. in Atticorum numerandi ratione) signis naturalibus, numeros partim figlis, partim literis Alphabeti denotabant. Siglis numeralibus *Attici* potissimum vsi sunt, orientis populos, a quibus literas suas Graeci omnes acceperant, sine dubio imitati. *Atticorum figlae numerales* hae sunt:

I valet 1. tanquam figla vocis ἴσα pro μία, id est, vnum, seu potius nota hieroglyphica digiti vnius.
Π. - - 5. figla vocis πέντε, quinque.
Δ. - -10. figla vocis Δέκα, decem.
H. - -100. ——— HEKATON s. ἑκατον, centum,
X. - -1000. ——— Χίλιοι, mille.
M. - -10,000 ——— Μύρια, decies mille.

In altera numerandi ratione Graeci literas alphabeti sui pro signis naturalibus sigliſque substituerunt, idque duplici modo. Numerarunt enim partim secundum simplicem literarum suarum ordinem, ita vt litera α significaret 1, β. 2, γ. 3. &c. vsque ad vltimam literam alphabeti ω, qua numerus 24 indicabatur, id quod ex numeratione librorum Homericorum cognoscitur: partim diuisis totius alphabeti literis in tres ordines,

nes, quorum primus ab α vsque ad ι, vnitates; alter ab ι vsque ad ϙ numeros denarios; ac tertius denique ab ϙ vsque ad ϡ centenarios complectebatur: ita tamen, vt cuivis ordini character quidam peculiaris quasi intercalaretur. Primo videlicet ordini ἐπίσημον, seu vt etiam dicitur, ἐπίσημον Fᾶυ, hunc in modum ϛ pro sex; secundo autem hic character Ϳ seu ϟ, κόππα dictus pro 90.; ac tertio denique signum ϡ, *sanpi* appellatum, (quia ex antiquo sigma conuerso, & ex litera π, huic sigma in medio adiuncta, formatum est), pro 900. inserebatur. Numeros millenarios Graeci in hac posteriori numerandi ratione literis iisdem quidem alphabeti, sed ita denotarunt, vt literis, discriminis caussa, lineolam quamdam, accentui acuto similem, subscriberent, ad hunc modum α͵ pro 1000. β͵ pro 2000. γ͵ pro 3000. &c. Pluribus de Graecorum numerandi ratione hoc loco exponenda duximus, partim quia illa ad melius cognoscendos Romanorum numeros multum facit, partim quia Graecorum notae numerales etiam in codices latinos veteres atque in ipsa quoque diplomata irrepserunt. Occurrunt autem Graecorum numeri praecipue in *literis*, quas vocant, *formatis*, quarum vsus saeculo XI terminatur. Deinde inprimis ἐπίσημον Fᾶυ, formatum fere vt κόππα Ϳ, seu vt litera vncialis *G*, in codicibus non magis, quam in diplomatibus cuiuscumque generis inde ab an 444. vsque ad exitum saeculi VIII pro numero senario seu pro VI vsurpatum deprehenditur. Haec nota numeralis Ϳ͵ occurrit etiam in scripturis post saeculum VIII exaratis, in quibus vero non amplius numerum senarium, sed quinarium denotat: nisi quod illa (**) in Germania praesertim, vel adhuc saec. XIV & XV interdum nota numeri senarii fuerit. Atque ita omnes eruditi, & noui etiam systematis diplomatici auctores, huiusque hanc notam pro Graecorum ἐπίσήμω Fᾶυ habuerunt: nos vero illam nihil aliud, nisi Latinorum numerum senarium VI, id est, duas literas numerales V. & I, ductibus ad gustum temporum antiquiorum coniunctis (ꟻ), esse, pro certo affirmare audemus.

(*) Vid. HEVMANNI Conspectus reipubl. liter. p. 33. sq. inprimisque (*Io. Geo. Wachteri*) Naturae & scripturae concordia, Sect. V. p. 309. sqq.

(**) Exempla habet WALTHERI Lexicon diplomaticum p. 458. Vid. etiam *Tab. nostra aenea III*.

§. 64.

§. 64.

De Romanorum notis numeralibus.

Romanorum notae numerales septem (I. V. X. L. C. D. M.) si alios audias, qui earum recentiores tantum figuras respiciunt, totidem literae Alphabeti Romani sunt; sed quantum ego quidem, re penitius considerata, existimo, notae istae non literae alphabeticae sunt, sed signa potius naturalia numerorum, eaque a digitorum forma desumta, primitus fuerunt, quae vero temporis progressu literarum figuras induebant (§. 63.). Patet hoc etiam ex *quincupla & dupla ratione*, qua Romani veteres in numerando *alternis vicibus* progressi sunt, hunc videlicet in modum:

. . . . . I. digiti vnius signum naturale seu hieroglyphicum.

II. III. IIII. (postea IV.) totidem digitorum figurae naturales.

* Litera S notis numeralibus addita, sigla est, qua *Semis* significatur, v. gr. saeculo VIII. scriptum est in codice quodam XCIIS pro $92\frac{1}{2}$. Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 520. Iam veteres Romani his notis IIS (corrupte HS.) seu LLS. duas libras & semissem denotabant.

(*quincupla ratione*) V. quinque digitorum (IIII) figura compendiosa, hoc est, ex pollice tantum & digito auriculari composita, omissis studio digitis tribus intermediis.

VI. VII. VIII. VIIII. (postea IX.).

(*dupla ratione*) X. duorum V figura compendiosa, hoc est, ex duplici V, vno erecto, inuerso altero $\frac{V}{\Lambda}$ composita.

XI. XII. XIII. XIIII. (postea XIV.) XV. cet.

(*quincupla ratione*) L. quinque denariorum seu X figura compendiosa, quae ne cum numeri quinarii figura V confunderetur, ex linea perpendiculari & horizontali (loco diagonalis, in V conspicuae) coagmentata est: orta autem videtur ex pollice & indice ad modum anguli recti inuicem collocatis.

Wachtervs in naturae & scripturae concordia, Sect. V. Cap. III. §. IV. p. 321. hanc notam numeralem

ralem ex litera graeca N, quae quinquaginta significat, ortam esse tradit.

* Singulares notae sunt lxl, lxlI, lxlII, lxlIII, lxlIIII, lxlv, lxlg, quae pro 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96, in codice quodam vetusto vsurpatae cernuntur. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. p. 520.

(*dupla ratione*) E (postea C.). duorum L figura compendiosa, hoc est, ex duplici L, altero erecto, altero inuerso Γ L composita, quae figura quoniam C quadrato E similis erat, vna cum hoc ipso in figuram C rotundi postea transiit. Si alios audias, C sigla vocis *Centum* est.

CC. CCC. CCCC.

(*quincupla ratione*) IↃ. (postea D.) vnius digiti figura, quae dimidiatae parentheseos, seu, vt Priscianus vocat, apostrophi signo ad dignitatem numeri millenarii dimidii euecta est. Postea hoc signum IↃ, ductibus coniunctis scriptum, figuram literae D induit.

WACHTERVS l. c. hoc signum ex litera graeca Φ, quae 500 denotat, deriuare conatus est.

IↃC postea DC). IↃCC (postea DCC). IↃCCC (postea DCCC). IↃCCCC (postea DCCCC).

(*dupla ratione*) CIↃ. (postea M). duorum signorum IↃ figura compendiosa, hoc est, ex duplici numeri quingenarii CI. IↃ. signo coagmentata. Haec figura, ductibus coniunctis exarata, in M capitale pariter, atque in ⋔ vnciale, item in has duas literas CD mutata est. Numerus millenarius apud Romanos hac quoque figura CXↃ, hoc est, Graecorum nota τῶν Χιλίων, significatus est, quae parenthesi integrae ideo inclusa fuit, vt a simplicis denarii nota X discerni posset. Eamdem ob caussam numerus millenarius etiam ad similitudinem literae X cubantis ⋊ exaratus est. Figura ∞ vel ex hoc ⋊ cubante, vel etiam ex nota CIↃ, ductibus coniunctis scripta, orta esse videtur.

tur. Secundum alios hae figurae omnes totidem siglae vocis *Mille* sunt.

(*quincupla ratione*) IↃↃ. vnius digiti figura, duplici parenthesi dimidiata ad potestatem quinque millium siue 5000 euecta.

(*dupla ratione*) CCIↃↃ. duorum signorum IↃↃ figura compendiosa, hoc est, ex duplici nota quinque millium CCI. IↃↃ composita, pro decem millibus, siue 10,000.

(*quincupla ratione*) IↃↃↃ. hoc est, quinquaginta millia, siue 50,000.

(*dupla ratione*) CCCIↃↃↃ. hoc est, centum millia, siue 100,000.

(*quincupla ratione*) IↃↃↃↃ. hoc est, quingenta millia, siue 500,000.

(*dupla ratione*) CCCCIↃↃↃↃ. hoc est, decies centena millia, siue 1000,000.

Hae notae quatuor posteriores eodem modo, quo quatuor praecedentes, componuntur.

* Notae Romanorum numerales I. V. X. L. C. IↃ. CIↃ. IↃↃ. CCIↃↃ. IↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. IↃↃↃↃ. CCCCIↃↃↃↃ. iam apud PRISCIANVM, Grammaticum Romanum, qui Constantinopoli artes liberales circa an. Chr. 525. docuit, occurrunt. Vid. *Putschii* Collect. p. 1346. sqq.

In hoc veteres Romani Graecos imitati sunt, quod notas suas numerales, adiuncta lineola quadam, ad dignitatem numeri millenarii eueherent, nisi quod lineolam illam ad modum lineae transuersae literis numeralibus superscripserint, quam Graeci eodem sensu literis ad formam lineae diagonalis seu accentus acuti subscripserunt: cuius rei haec exempla ponemus:

Graeca	Latina
α, pro 1000	I. pro 1000, pro quo etiam T, id est, I per imprudentiam cum lineola transuersa coniunctum, s. $\overline{\text{I}}$, hoc est, T inuersum, progressu temporis ad significandum numerum millenarium ponebatur.
β, pro 2000	$\overline{\text{II}}$. pro 2000.
γ, pro 3000	$\overline{\text{III}}$. pro 3000.
& cetera.	$\overline{\text{X}}$. pro 10,000.
	$\overline{\text{L}}$. pro 50,000.
	$\overline{\text{C}}$. pro 100,000. &c.

Sed Attici hoc etiam singulare habebant, quod siglas suas reliquas siglae π, hoc est πέντε s. quinque includerent, quo significare voluerunt, siglam, literae π inclusam, quinquies multiplicandam esse. E. gr. ⌈Δ⌋ pro 50, ⌈X⌋ pro 5000, ⌈M⌋ pro 50,000. Annus itaque, quem agimus, 1764. ad hunc modum significandus esset X ⌈H⌋ HH ⌈Δ⌋ΔIIII.

§. 65.

Epochae numerorum romanorum.

Romanorum notae numerales in codicibus antiquis pariter, atque in diplomatibus, solae vsque ad saeculum XIII. dominatae sunt: nisi quod numeri interdum quoque verbis distertis fuerint denotati, qualia haec sunt exempla: (*) *Millesimo XL. VIII.* pro 1048; (**) *M. CC. XXX. quarto*, pro 1234; (***) *Millesimo ducenteſimo XLIX.* pro 1249; (****) *Milleſimo CC. quinquageſimo*, pro 1250, (*****) *Milleſimo ducenteſimo. viceſimo octauo*, pro 1228. Saeculo XIII. vsus *notarum numeralium recentiorum* siue *arabicarum* introductus est; ex quo tempore etiam notae hae, quamquam ab initio rarissime, ac fere numquam in diplomatibus, vna cum romanis numeris vsurpatae cernuntur; donec saec. XV. & XVI. notae arabicae paullo vsitatiores, in diplomatibus praesertim, factae sunt. Ac in notis Romanorum numeralibus hoc quoque singulare est, quod mox (******) numerus rotundus pro incompleto positus, mox vna alteraque nota numeralis prorsus omissa sit: quod vtrumque iam in diplomatibus satis antiquis obseruare licet, multasque errandi occasiones incautis vel imperitis hominibus praebuit. Ita, quod in primis ad omissionem notarum numeralium attinet, 1) numerus millenarius saec. XI. & XII, 2) numeri centenarii iam saec. IX, ac 3) omnes reliqui numeri, praeter eos, qui currentis saeculi annos significant, saec. XIV, saepius vero saec. XV, immo adhuc (*) saec. XVI. praetermissi sunt; cuiusmodi haec (**) ponemus exempla: 1) *Anno ab incarnatione CXI. & Ludouico Rege Francorum regnante anno IIII*, hoc est, anno Christi MCXI, 2) *Aera discurrente LXII*, hoc est A. DCCCLXII, 3) *Anno domini LV*, hoc est MCCCLV. Saepe tamen, posterioribus certe temporibus, & in diplomatibus theotiscis, ad significandam omissionem numeri maioris, addita est nota quaedam

dam, e. gr. ꝛc. 64, hoc est, annus 64 cum praemissa nota ⁊c *etcetera*, vt denotaretur, omissum esse numerum maiorem, qui saeculum currens, id est, saeculum XV, indicaret. Sunt etiam diplomata, in quibus omissio numeri maioris disertis verbis commemoratur, qualis haec formula est: *Anno der mindern Zal LIII.* id est, anno quinquagesimo tertio (supra millesimum quadringentesimum). Duo adhuc de notis Romanorum numeralibus monenda sunt: ac primo quidem illud, notas has punctis, vno vel pluribus, saepe fuisse distinctas, e. gr. (***) nota numeralis X, punctis ad vtrumque latus quasi stipata .X., vel nota I eodem modo punctis circumdata .I., qualia exempla iam saeculo VII occurrunt; item .M.... C....LIV.... His addenda quoque sunt, quae supra iam (§. 54.) de interpunctione notarum numeralium disputauimus. In diplomatibus denique, antiquis pariter, atque recentioribus notae Romanorum numerales (****) literam *o*, & interdum etiam terminationem *simo* sibi superductas habent: cuius quidem consuetudinis vestigia iam in diplomatibus, saeculo VI scriptis, cernuntur, v. gr. *Anno. XL. VI.*° item $\overline{AN}$*. XL.simo*; sed difficile est, huius rei origines primas accurate definire.

(*) *Chronicon Gottwic.* ad p. 263.

(**) TREVERI *Geschlechtshistorie der Herren von Münchhausen* in Tabb. ad hunc an.

(***) TREVER ibid.

(****) TREVER l. c.

(*****) *Chronicon Gottwic.* ad p. 390.

(******) *Traité de Diplomatique* T. III. p. 523. sq.

(*) Vid. *Historia mea Holzschuheriana* in Cod. diplom. p. 359.

(**) Vid. *Traité de Diplomat.* p. 522. sq.

(***) *ibid.* p. 526.

(****) *ibid.* pag. cit.

§. 66.

(2) *De notis numeralibus recentioribus s. arabicis, earumque origine.*

* IO. FRID. WEIDLERI diss. mathematico-critica de characteribus Numerorum vulgaribus & eorum aetatibus, veterum monimentorum fide illustratis. Witemb. 1727. 4.

Eiusd. Spicilegium obseruationum ad historiam notarum numeralium pertinentium. Witemb. 1755. 4.

Notae numerales recentiores seu *arabicae* facilitate sua ac forma compendiosa commodaque ad computandum antiquiores omnes huius generis notas facile superant. Sed si qua de re alia, de notis certe arabicis, earumque tam origine, quam propagatione variae sunt ac discrepantes hominum eruditorum sententiae. Alii eas ab Indis, alii a Carthaginensibus, rursus alii ab Arabibus s. Saracenis ad nos transiisse existimant. Sed sunt etiam, qui incunabula harum notarum mox apud Graecos, mox apud Latinos, mox apud Celtas adeo, vel apud Scythas etiam, sibi inuenisse videntur. Vt eos taceamus, qui *Ziphras nostras* vel ex digitorum coniunctorum figura (vt = pro 2, ≡ pro 3, ◇ siue medio aeuo 8 & 8 pro 4, 5 pro 5, 6 pro 6, 7 pro 7, 8 pro 8, 9 pro 9, 0 pro 0.) tamquam signa naturalia, ortas putant; id quod (*) WACHTERVS praecipue defenderat; vel qui eas pro reliquiis notarum Tironis Latinorum, quibus iam Pythagoraei in rationibus arithmeticis vsi essent, habuerunt: cuius sententiae auctor est (**) CALMETVS, quem (***) MABILLONIVS incertum, qua ratione inductus, vel deceptus potius, sequi non dubitauit. Aliis HVETII sententia placet. Huetius nempe Ziphras nostras, quas vulgo arabicas vocant, pro literis graecis habuit, quas *Arabes, Graecorum discipuli*, progressu temporis varie corrupissent. Sed Huetii sententiam suis ipsius (****) verbis huc transscribemus. *Meros esse*, inquit, *Graecorum characteres aio, a librariis Graecae linguae ignaris interpolatos & diuturna scribendi consuetudine corruptos. Nam primum 1 apex seu virgula, nota μονάδος (vnitatis). 2 est ipsum β extremis suis truncatum. γ si sinistram partem inclinaueris & cauda mutilaueris, & sinistrum cornu sinistrorsum flexeris, fuit 3. Res ipsa loquitur 4 ipsissimum esse Δ, cuius crus sinistrum erigitur κατὰ καθετον, & infra basim descendit; basis vero ipsa vltra crus producta eminet. Vides quam 5 simile sit τῷ ε; & infimo tantum semicirculo, qui sinistrorsum patebat, dextrorsum conuerso.* Ἐπίσημον βᾶυ, *quod ita notabatur ϛ, rotundato ventre, pede detracto peperit τὸ 6. Ex Z basi sua multato, ortum est τὸ 7. Si H inflexis introrsum apicibus in rotundiorem & commodiorem formam mutaueris, exurget τὸ 8. At 9 ipsissimum est ϑ &c. Cum ipsa ergo numerandi scientia, aliisque doctrinis, arithmeticas quoque notas a Graecis Arabes acceperunt.* Vulgaris tamen ac communis fere opinio est, *Hispanos* omnium Christianorum primos notas numerales, quas Ziphras arabicas vocant, a *Mauris*, Mauros ab *Arabibus*, & hos denique ab *Indis* accepisse.

Quan-

Quantum ego quidem existimo, in indaganda Ziphrarum origine prae ceteris ad id sedulo attendendum est, quid hoc Ziphrarum nomine intelligatur. Est autem *Arithmetica Ziphrica* nihil aliud, quam 1) ratio computandi *decadica*, 2) *decem* dumtaxat *signis* vtens, quorum 3) potestas *situ* definitur, ita quidem, vt signa haec, more orientalium populorum a dextra *sinistrorsum* scripta, in primo ordine *monades* s. vnitates, in altero *decades* s. denarii, in tertio *hecatontades* s. centenarii, in quarto denique *chiliades* s. millenarii sint. Ex his primo patet, Ziphras non esse ex notis Tironis ortas, quippe quae numeros vndecim, duodecim cet. peculiaribus signis exprimunt, vt earum aetatem incertam pariter, atque figuras, a Ziphris nostris prorsus diuersas, taceam. Deinde sequitur, Ziphras neque Graecorum, neque Latinorum computandi rationi originem suam debere; neuter enim populus, vt alia omittam, decem tantum signis numeros expressit, neque situ eorum vim ac potestatem definiit. Nemo denique, opinor, erit, qui non perspiciat, vniuersam Ziphrarum rationem atque oeconomiam, & ipsum adeo nomen, originem orientalem satis prodere. Quae quum ita sint, ego quidem Ziphras nostras pro *siglis*, id est, pro literis primordialibus vocum numeralium, vel pro *literis* certe *Alphabeti* cuiusdam orientalis, & *Aegyptiaci* quidem, siue quod fere idem est, *Phoenicii*, habeo. Exstant nunc quoque (†) *mumiae*, quas vocant, antiquissimae, in quarum inscriptionibus hinc inde literae cernuntur, quarum figura cum Ziphris nostris omnino conuenit. Neque vnam tantum atque alteram, sed omnes omnino Ziphrarum figuras, & ipsum adeo nihili signum seu *Zero* (in vernacula *Null* plerumque dictum, & ad modum circelli o exaratum) in his mumiarum inscriptionibus, tamquam veras alphabeti literas vsurpatas deprehendere licet. Crediderim ergo, iam THAVTVM, literarum inuentorum (§. 33. p. 36.), neglectis quodammodo, vel repudiatis etiam in scriptura literali numerorum signis naturalibus s. hieroglyphicis (§. 63.), verba numeralia siglis suis denotasse, Ziphrarumque adeo auctorem fuisse; praesertim quum PLATO etiam, In Phaedro p. m. 1240, Taautum, seu, vt ab eo vocatur, THEVTVM numeros & computationem inuenisse tradiderit. Quae si credibilia sunt, vt esse mihi quidem videntur, *Phoenices* & *Aegyptii*, quorum studia arithmetica, Phoenicum inprimis, nemo vmquam in dubium vocauit, primi omnium populorum, vt literis scripserunt, ita quoque per literas, hoc est, per Ziphras, quas vulgo arabicas s. indicas vocant, computarunt. Hae Ziphrae sensim a Phoenicibus & Aegyptiis vna cum reli-

reliquis literis (§. 33.) ad alios orientis populos venerunt. Hebraei inprimis, & Θεόπνευστοι etiam sacri codicis auctores Ziphris in scribendis numeris vsi videntur: errores certe numerorum, in sacris literis deprehensi, quod iam (††) b. VIGNOLIVS obseruauit, ex nullo fonte tutius, quam partim ex Ziphris transpositis, partim ex *Zero* mox aucto, mox diminuto, deriuari possunt. Etsi qualis *Europaeorum* veterum, *Graecorum* praesertim ac (†††) *Romanorum* arithmetica fuerit, ignoramus; constat tamen, PYTHAGORAM, qui inter A. M. 3376 & 3518 vixit, quique Phoenicibus, Aegyptiis aliisque orientis populis magistris vsus est, notas numerales in computando adhibuisse, quae cum Ziphris nostris maximam similitudinem habuerant. Ex BOETHIO, qui saeculo VI post Christum natum inclaruit, discimus, pythagoricam computandi rationem, quam Pythagoraei in praeceptoris sui honorem *mensam pythagoraeam* & postea *abacum* appellarunt, saeculi VI hominibus non prorsus incognitam fuisse. Placet ipsa Boethii verba, (quae WEIDLERVS in duobus scriptis, in fronte huius §phi laudatis, illustrauit, & ab omnibus dubiis vindicauit) huc transscribere. *Pythagorici vero*, inquit Boethius, *ne in multiplicationibus & partitionibus, & in podismis* (arearum mensionibus) *aliquando fallerentur, vt in omnibus erant ingeniosissimi & subtilissimi, descripserunt sibi quandam formulam, quam ob honorem sui praeceptoris, Mensam Pythagoream nominabant, quia hoc, quod depinxerant, magistro praemonstrante cognouerant. A posterioribus appellabatur Abacus, vt, quod alta mente conceperant, melius, si quasi videndo ostenderent, in notitiam omnium transfundere possint, eamque subterius sat mira descriptione formabant.* (Hoc loco ipsa abaci formula inseritur). *Superius vero digestae descriptionis formula hoc modo vtebantur. Habebant enim diuerse formatos apices vel characteres. Quidam enim huiuscemodi apicum notas sibi conscripserant, vt haec notula 1 responderet vnitati; ista vt binario 2; tertia vero tribus 3; quarta autem quaternario 4; haec autem quinque adscriberetur 5; ista vero senario 6; septima septenario 7 conueniret; haec vero octonario 8; ista vero nouenario 9 iungeretur. Quidam vero in huius formae depictione ceu literas alphabeti* (distinguit hic Boethius sedulo arithmeticam hanc literalem ab illa ziphrica) *assumebant sibi hoc pacto, vt litera, quae esset prima vnitati, secunda binario, tertia ternario, ceteraeque in ordine naturali numero insignitas & inscriptas tantummodo sortiti sunt. Hos etenim apices ita varie, ceu puluerem, dispergere in multiplicando & in diuidendo consuerunt, vt si sub vnitate, naturalis numeri ordine, iam*

dictos

dictos characteres adiungendo locarent, non alii, quam digiti, nascerentur. cet. Obscuriuscule quidem hac de re loquitur Boethius, & in eo etiam errat, quod Pythagoraeis ipsam huius inuenti laudem tribuit; sed hoc nemini mirum videbitur, qui cogitauerit, quam diligenter Pythagoras eiusque assectae sapientiam suam occultauerint. Quo etiam factum est, vt Ziphrae, quarum vsum Pythagoras primus Europae intulerat, tamdiu ab Europaeis negligerentur, donec *Arabum* arma victricia Mathematum & Philosophiae studiis reditum ex oriente in occidentis terras patefecissent.

(*) WACHTERVS in naturae & scripturae concordia, Sect. V. C. IV. p. 322. sqq. vid. supra §. 28. num. 7.

(**) Vid. Memoires de Trévoux, Mens. Sept. An. 1707. p. 1622.

(***) MABILLON. de re diplom. p. 215.

(****) HVETIVS in demonstrat. euangel. p. 647. Edit. Paris. A. 1679. Conf. etiam *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 526. sqq.

(†) Vid. in *Memoires de Trévoux* A. 1740. Mart. artic. XXI. *Lettre à Mr. Rigord Commissaire de la Marine*, vbi mumiae eiusmodi exemplum propositum est. Inprimis vero lectu digna sunt, quae affert tabulisque illustrat illustriss. Comes de CAYLVS *dans le Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques & Romaines*, T. I. (Paris 1752. 4.) p. 65-76. coll. Tab. XXI-XXVI.

(††) DES VIGNOLES *dans la Chronologie de l'Histoire Sainte*, T. I. p. 192. sq.

(†††) Praeter ea, quae de *Abaco Romano* nouimus, cuius generis exemplum, aere exscriptum, explicatur in WELSERI *rerum Augustanar. Vindelicar.* appendice, quae de monumentis peregrinis exponit. Vid. WELSERI Opera, edita a *Christoph. Arnoldo* (Norimb. 1682. fol.) p. 421, 422. sq. item in WELSERI *Epistolis*, ibid. p. 819 & p. 842. Adde WEIDLERI diss. de characteribus numerorum vulgaribus, p. 6. sqq.

§. 67.

Numerorum arabicorum seu Ziphrarum epochae.

Etsi PYTHAGORAS, vt paragrapho praecedenti dictum est, iam multis saeculis ante Christum natum Ziphrarum vsum in scholis suis docuerat; hae Ziphrae tamen posterioribus tantum post salutarem virginis partum saeculis in Europa innotuerunt. Qui vulgarem opinionem sequuntur, ii GERBERTVM, qui sub nomine SILVESTRI II. ad Pontificis Romani dignitatem peruenit, Ziphras arabicas sub exitum saeculi X. in Hispania didicisse tradunt. Alii contra, ATHANASIVM KIRCHERVM secuti, exi-

ſtimant, eas vna cum tabulis ALPHONSI X, regis Caſtiliae, inde a medio ſaeculo XIII. ad reliquas Europae gentes pedetentim fuiſſe propagatas. Atque id quidem pro certo affirmari poteſt, Ziphras noſtras ineunte ſaeculo XIII. ab Europaeis vſurpari coeptas, ac primo quidem in libris tantum mathematicorum, deinde in annalibus etiam, in calendariis aliiſque libris, tam manu exaratis, quam typorum arte exſcriptis. In monimentorum publicorum inſcriptionibus Ziphrae inde a ſaeculo XIV. occurrunt. *Ruſſi* tardiſſimi omnium Europaeorum ad vſum Ziphrarum peruenerunt, quippe quas demum PETRVS MAGNVS, feliciſſimus cultioris Europae imitator, ſuaeque nationis ſtator glorioſus, vaſtiſſimo imperio ſuo intulit. Quod ad *diplomata* attinet, Ziphrae in iis ante ſaeculum XV. albis coruis rariores ſunt. Nec multo frequentior earum vſus ipſo ſaeculo XV. animaduertitur. Nam inde a ſaec. XIII. vſque ad initium ſaeculi XVI. diplomata latina Romanorum notas numerales ſemper fere habent; ea vero diplomata, quae theotiſca lingua exarata ſunt, vel itidem numeros romanos referunt, qui formula quadam mox latina, mox theotiſca indicati ſunt; vel, quod ſaepius euenit, verbis diſertis iiſque theotiſcis, notas chronicas expreſſerunt. Theotiſcorum diplomatum haec ſunt exempla: 1) (*) *Hebbet des tho bekantniſſe – vnſe rechte inghezegele – ghehangen laten. Datum anno Domini MCCCCXI. die beati Andreae apoſtoli.* 2) (**) *Nach criſt geburt XIIII.C vnd im XXXVI. Jaren*, (hoc eſt, A. 1436.), *an Sand veits tag vnſer Rich* (Imperatoris Sigismundi) *des Hungerſchen im L. des Romiſchen im XXVI. des Beheimiſchen im XVI. vnd des Kayſertums im vierden Jaren;* itemque: *noch criſt geburtt XIIII.C dornoch in dem lxiij. Jar.* 3) (***) *Mit vrkundt diſs Briefs beſigelt mit vnnſ'm küniglichen* (Maximiliani I. Rom. Regis) *anhanngendem Inſiegel, Geben zu Coellen am Syben vnd zweintzigiſten tag des Monets Juny, Nach Criſti gepurde vierzehenhundert vnd im Vierund Newntzigiſten, Vnnſer Reiche des Roemiſchen im Neundten vnd des Hungeriſchen im Fünfften Jarenn.* Pari modo ſummae pecuniariae in diplomatibus quibusdam theotiſcis, qualia ſunt teſtamenta, literae emtionis, literae ſolutionis praeſtitae &c. eo, quo diximus, tempore, nunc notis Romanorum numeralibus, nunc verbis theotiſcis expreſſae ſunt; cuiuſmodi haec exempla ponemus: *lxv Reiniſch gulden*, quae formula bis (****) in literis, A. 1490. datis, repetita eſt, item: *Vyer hundert gulden Reiniſch Landſwerung*, quae pecuniae ſumma, hunc in modum

voci-

vocibus disertis expressa, bis itidem (*****) in charta quadam, A. 1499. data, occurrit. Eamdem numeros denotandi rationem adhuc saeculo XVI. vsurpatam deprehendimus, nisi quod etiam diplomata quaedam, quamquam pauciora, Ziphras vulgares habeant, cuius rei primum exemplum, inter tot millia autographorum, quae in manibus habuimus, demum (†) ad an. 1527. nobis occurrisse meminimus. Post medium saeculum XVI. (circa an. 1575.) Ziphrae in theotiscis diplomatibus, & in imperialibus adeo, vsitatiores factae sunt: dominari vero demum inde a medio saeculo XVII. in diplomatibus quibuscumque, latinis pariter, atque theotiscis, coeperunt. Vnum hoc, antequam ab hoc loco discedamus, addere placet, notas numerales quascumque, pro diuersitate temporum, forma admodum variare, ita vt, qui eas sibi non familiares reddiderit, facile vnam cum altera confundere, grauiterque adeo errare possit. Bene itaque ii de re diplomatica meriti sunt, qui numeralium notarum figuras, aere exscriptas, cum orbe literato communicarunt: quo in numero sunt WALTHERVS in Lexico diplom. p. 456-459. & auctores noui systematis diplomatici (*Nouveau Traité de Diplomatique*) T. III. ad p. 449. Tab. 60. Quibus & nostra *Tab. aenea III.* adiungenda est.

(*) TREVER in *der Geschlechtshist. der Herren von Münchhausen*, in Cod. diplom. ad h. a.

(**) *Hist. Holzschuher.* in Cod. dipl. p. 136, & p. 165.

(***) ibid. p. 223.

(****) ibid. p. 219.

(*****) ibid. p 237. sq.

(†) ibid. p. 315.

(††) ibid. p. 384. sqq.

§. 68.

4.) *De Notis Tironis s. de Tachygraphia: ac quidem a) de illarum vsu vario ac definitione tam nominali, quam genetica.*

* Alphabetum Tironianum, seu Notas Tironis explicandi methodus: cum pluribus Ludouici Pii chartis, quae notis iisdem exaratae sunt & hactenus ineditae, ad historiam & iurisdictionem cum ecclesiasticam tum ciuilem pertinentibus, auctore D. P. CARPENTIER. Lutet. Paris. 1747. fol. mai.

Iam ad explicandas *notas Tironis* properandum est, quarum enodatio molesta quidem ac difficilis est, sed labor omnis summa, quam ea-

rum cognitio praestat, vtilitate facile compensatur. Exstat enim tam codicum manuscriptorum, quam diplomatum maximus numerus, quae vnice his notis exarata sunt; deinde sunt quoque codices ac diplomata, quae Tironis notas, mox plures, mox pauciores, vel ad marginem, vel intra versus etiam positas, tamquam flores sparsos, habent; nec quidquam praeterea in vetustioribus diplomatibus sollemnius est, quam chaos illud cancellariorum, quod notis Tironis refertum esse, nobis constat. Huc denique referenda est Episcoporum consuetudo, qui in subscriptionibus ad significanda haec verba *indignus subscripsi*, itemque ad declarandas sedes suas episcopales notis Tironis vsi sunt. Omnes hae scripturae, velut tot sphyngis aenigmata, Oedipos adhuc exspectant, qui explicent eas, & ad vsum reipublicae literariae accommodent. Exoptanda est haec felicitas literato orbi, immo speranda fortasse nostra aetate, praesertim quum (*) celebres illi operis noui diplomatici auctores ad discendam hanc *Tachygraphiam* haud ita pridem viam satis tutam commodamque laudabili conatu nobis patefecerint: licet simul fatendum sit, eos arcanorum suorum partem haud exiguam cum literatis nondum communicasse: quorum plene cognoscendorum spes fortasse etiam cum ipso eorum inuentore praecipuo, TVSTINIO, satis praematuris rei diplomaticae proh! dolor erepto, prorsus interiit. Nos in praesenti viri huius beati inuentis vtemur, de nostris autem cogitatis tantum iis adiiciemus, quantum instituti nostri ratio postulare videtur. *Notae Tironis*, quod cognomen a Ciceronis liberto, TVLLIO TIRONE habent, sunt figurae, vnico vel pluribus signis literalibus, vel arbitrariis etiam, vocem vnicam vel plures exprimentes, quales sunt  (*Vlcu*, hoc est, villicus), Vꝫ (*VBS*, hoc est, vir bonus). Formatae autem sunt notae Tironis 1) ex literis vnitis seu cursiuis (§. 41), 2) coarctatis s. monogrammaticis, 3) abbreuiaturis proprie dictis, ac 4) siglis (§. 56-62). Literae hae tironianae partim integrae sunt, partim mutilae (v. gr. 3 pro B. / seu \ pro A), immo etiam varie transpositae: nec latinae tantum, verum etiam graecae, ac denique maiusculae non magis, quam minusculae. Sed praeter literas, vt in definitione diximus, signa etiam arbitraria in notas Tironis irrepserunt. Itaque notae Tironis, quia maximam partem ex veris literis constant, possunt *literarum* genus aliquod haud absurde dici: ex quo simul patet, eas ab hieroglyphis Aegyptiorum & a scriptura symbolica Sinensium aliorumque populorum differre; sed cum, hoc non obstante, literae tironianae

nianae formam suam ordinariam saepissime occultent, & omnia alia magis, quam literae veri nominis, primo certe conspectu, esse videantur, ac denique multa signa arbitraria, vt puncta & lineas varii generis, admittant; haud incommode etiam *notarum* nomine & olim appellatae sunt, & nunc quoque appellari possunt.

(*) Vid. *nouveau Traité de diplomatique* T. III. p. 562-622.

§. 69.

b) Diuisio notarum Tironis, itemque figurarum & signorum, ex quibus illae constant.

Notarum Tironis aliae ex pluribus figuris, seorsim positis, constant, aliae vna tantum figura contentae sunt. Hae itaque *notae simplices*, illae *compositae* appellari possunt. Compositae notae duas, tres, quatuor, quinque &c. figuras, separatim positas, habere possunt. Quare eas in *duplices*, *triplices*, *quadruplices*, *quintuplices* &c. dispertiri, rei ipsi haud absonum videtur: cuiusmodi plerumque sunt, quae nomina substantiua cum adiectiuis suis, item casus cum praepositionibus, eorum rectricibus, exprimunt. Sed ipsae etiam *figurae* vel *simplices* sunt, vel *compositae*, quarum illae vnum dumtaxat signum, siue literale, siue arbitrarium; hae plura habent. In figuris compositis primum signum *inchoatiuum*, alterum *auxiliare*, tertium (si qua figura plura duobus signa habet) *subalternum*, reliqua autem verbis numeralibus, vt *quartum*, *quintum* &c. ac vltimum denique *finale*, appellabimus. Neque absurde fecerit, quisquis singula figurarum compositarum signa verbis numeralibus significet. E. gr. notae simplices sunt ⟋ (ad), ⟍ (ab). G hoc est cor, nota composita est, ex duabus figuris simplicibus, id est, ex litera C & puncto constans: quale etiam hoc est M` quod significat Meum. Sed notae ʃ` verbum, 3` bonum, sunt notae compositae, & quidem duplices, quarum figura prior composita, posterior simplex est: illa enim literas vnitas *v* (signum inchoatiuum s. primum) & *b* (signum auxiliare s. secundum): haec literas contiguas *B* (signum inchoatiuum s. primum) *o* (signum auxiliare s. secundum) & *v* (signum subalternum s. tertium) exhibet. In nota denique composita eaque duplici  (Eructauit) vtraque figura composita est: prior enim literas *E*, ℘ (id est *r* graecum), *v*, *c*, *t*; posterior literas *v*, *i*, *t*, partim vnitas, partim contiguas refert. In notis earum

vocum, quae *flexibiles*, hoc est, vel declinabiles, vel coniugabiles a grammaticis vocantur, duae plerumque figurae, principales saltem animaduerti atque inter se distingui possunt; quarum vna literas vocis radicales, altera flexionis literas s. terminationem, exprimit. Illa igitur *figura radicalis*, haec *terminatiua* bene recteque dicitur. E. gr.  (Eructauit),  (opa, id est, opera). Figurae terminatiuae plerumque minore forma & ad sinistrum apicem figurarum suarum radicalium exarantur: quamquam haud raro etiam contingit, vt illae radicalibus figuris mox praeponantur, mox supra vel infra eas collocentur.

§. 70.

Origo & fata notarum Tironis.

Etsi notae Tironis non tam antiquae sunt, quam siglae; constat tamen, illas inter inuenta vetustissima esse referendas. *Hebraeos* notis Tironis vsos esse, quidam ex Psalmo XLV. 2. comprobare voluerunt. Apud *Graecos* certe XENOPHON, princeps ille Atheniensium, Socratisque auditor ac praeco, si notas Tironis non inuenit, iis tamen primus Graecorum fuit vsus. *Romani veteres* eas sine dubio, vt multa alia, a Graecis acceperunt, & in publicis priuatisque rebus scribendis, praesertim inde a tempore (*) consulatus CICERONIS (A. M. 3921.) creberrime adhibuerunt. Notarum enim periti apud Romanos permulti homines, & Imperatores etiam, vt TITVS, teste SVETONIO in eius vita, fuerunt, quippe quas in *scholis* a magistris iuxta cum scriptura ordinaria didicerant; qua de re PRVDENTIVS in laudem S. Cassiani, qui saeculo IV. mortem pro Christi doctrina occumbere non dubitauit, ita canit:

„Praefuerat studiis puerilibus, & grege multo
„Septus, magister literarum sederat,
„Verba notis breuibus comprendere multa peritus,
„Raptimque punctis dicta praepetibus sequi.

Hinc, qui notis scribere nouerant, *Notarii* dicti. Nulla fere concio ad populum pro rostris siue publicis siue sacris habita est, nihil in iudiciis dictum, quod notis non exciperent notarii, vel alii etiam periti homines. Testamenta praeterea, aliaque acta tam publica, quam priuata, item acta martyrum cet. notis fuerunt delineata (*concipirt* & *protocollirt*, antequam studiosius elegantiusque describerentur (*mundirt*). Ac fortasse in omnibus, sollemnio-

lemnioribus certe maioriſque momenti diplomatibus hoc obſeruatum fuit, vt prima eorum delineatio ſ. conceptio (*das Concept*) notis tironianis fieret, cui rei teſtimonio ea fortaſſe diplomata eſſe poſſunt, quae notis his exarata nunc quoque exſtant, ac nobis eo cariora eſſe debent, quo ſaepius contigit, vt autographa ſtudioſius confecta (*die mundirten Exemplaria*) aut interierint, aut adhuc lateant alta nocte tenebriſque oppreſſa. Notae Tironis non ab vno dumtaxat homine, ſed a multis deinceps inuentae atque auctae ſunt: ex quo ſimul intelligitur, cur non eadem omnium notarum ratio ſit, & quare exceptionibus nonnullis regulae illarum ſint obnoxiae. De notarum vero auctoribus haec habet ISIDORVS HISPALENSIS, qui A. 636. diem obiit ſupremum: "Vulgares notas „*Ennius* primus mille & centum inuenit. Notarum vſus erat, vt quid„quid pro concione aut in iudiciis diceretur, Librarii ſcriberent. Com„plures ſimul aſtantes, diuiſis inter ſe partibus, quot quiſque verba & „quo ordine exciperet, Romae primus *Tullius Tiro*, Ciceronis libertus, „commentus eſt. Notas, ſed tantum praepoſitionum, poſt eum tertius „*Perſannius*; *Philargyrus* & *Aquila*, Libertus Maecenatis, alias addide„runt. Deinde *Seneca* (diuerſus ſine dubio a duobus illis Senecis, Rhe„thore & Philoſopho) contracto omnium digeſtoque & aucto numero, „opus effecit in quinque millia. Notae autem dictae eo, quod verba „vel ſyllabas, praefixis characteribus, notent, & ad notitiam legentium „reuocent." Quum itaque pleraeque Tironis notae, quae eo tempore, quo Seneca philoſophus vixerat, in vſu erant a libertis ac ſeruis excogitatae eſſent; non eſt mirum, eum de illis notis (**), hoc paullo durius tuliſſe iudicium: "Quid verborum notae, quibus quamuis citata excipi„tur oratio, & celeritatem linguae manus ſequitur? *Viliſſimorum manci„piorum iſta commenta* ſunt." E quibus verbis ſimul patet, Senecam, quem Iſidorus inter notarum inuentores numerat, diuerſum a Seneca philoſopho eiuſque parente cognomini fuiſſe. Sed inuentoribus notarum annumerandus quoque eſt *Cyprianus*, praeſul Carthaginenſis, quippe qui ſaeculo III. notas Tironis inſigniter auxit, dum praecipue vocabula, Chriſtianorum vſibus neceſſaria, iis addiderat. Haec ſcriptura compendioſa amatores quam plurimos per multorum ſaeculorum decurſum habuit, donec eius auctoritas ſub exitum ſaeculi IX. in Gallia, & ſaeculo X. exeunte in Germania ſenſim minueretur: ex quo tempore notae Tironis vicem ſteganographiae ſ. ſcripturae cuiuſdam occultae ſaepe ſuſtinuerunt. In cancellariorum ſignis hae notae vſque ad ſaeculum XI. animad-

uer-

uertuntur. Nec praetermittendum est, multas notas Tironis, quales e. gr. sunt, quae voces *&*, *autem*, *Deus*, *eius*, *omnibus*, *etenim* &c. exprimunt, in scripturam ordinariam, tamquam abbreuiaturas, transiisse. Obseruamus denique, in (***) *Britannia* nunc quoque vsum notarum Tironis quamquam diuersarum a Romanis, in scholis a professoribus singularibus doceri: eo quidem consilio, vt quae tam in Curiis s. Comitiis Regni (*Parlamenten*) quam in Templis publice dicuntur ac geruntur, calamis excipi possint.

(*) Vid. PLVTARCH. in Catone Vticensi, itemque ipse CICERO in epist. ad Attic. XIII. 32.

(**) SENECA epist. 90.

(***) Huic rei argumento esse possunt libri peculiares, quos Tachygraphiae huius in Britannia professores ediderunt: cuiusmodi hi duo nunc in manibus meis sunt: 1) *Tachygraphy, the most exact and compendious Method of Short and Swift writing, that hath ever yet been published by any; composed by* THOMAS SHELTON, *Author and Professour of the said Art; approved by both the Vniversities.* London 1655 & 1660. 8. min.

2) *Stenography compleated, or the Art of Short-Hand brought to perfection, being the most easy, exact, lineal, speedy, and legible Method extant — Compos'd by* JAMES WESTON, *the only Author and Professor of this new Method.* Lond. 1727. 4. min.

§. 71.

Methodus inueniendi & explicandi systematis notarum Tironis proposita.

Quantus notarum Tironis numerus sit, vel ex hoc intelligitur, quod GRVTERVS operi suo de inscriptionibus romanis plus quam viginti sex millia eiusmodi notarum, quamquam sine vllo ordine, & tamquam rudem indigestamque molem, subiunxerit. Accuratius rem tractasse a multis creditur CARPENTIERIVS, vir reuerendus, cuius alphabetum tironianum bis mille notas, ordine alphabetico dispositas explicatasque sistit: sed ne hoc quidem opus, elegantissimum licet, eruditorum hominum reique huius satis peritorum desiderio satisfacere potuit. Is, qui in posterum in hac *diplomaticorum algebra* primum ipse proficere, deinde alios eam docere, atque ad inuentoris etiam laudem eximiam ascendere conatur, 1) dabit operam, vt literas singulas tironianas, varietate, quam habent, non obstante, ex scripturis tironianis excerpat, atque ordine alphabetico disponat. Postquam hoc alphabetum tironianum sibi familiare red-

reddiderit, curabit, vt 2) literarum vniendarum & coarctandarum rationem (§. 41, 46, & 56.), 3) siglas veterum Latinorum, 4) abbreuiaturas, ante saeculum XI. vsitatas, ac 5) notas, quibus particulae latinae, aduerbia scil. praepositiones & coniunctiones; itemque flexiones vocum (§. 69.) exprimuntur, discat, memoriaeque firmiter infigat. Ita praeparatus exercitatusque ad componendum *Lexicon Tironianum* accedere demum cum spe feliciter proficiendi potest. At vero Lexicon hoc non ad modum alphabeti tironiani, quod Carpentierius edidit, sed potius ad gustum geniumque Lexici diplomatici Waltheriani adornandum est; hoc est, notae Tironis secundum ordinem literarum, quae primae in notis sunt, non vero earum, quae primae sunt in vocibus, quas notae exprimunt, disponi debent: constat enim, multas notas Tironis mox ab intermediis, mox a finalibus literis vocum, quas referunt, incipere.

CAPVT V.

LINNAEISMVS GRAPHICVS.

* *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 535 — T. III. fin.

§. 72.

Quatuor regna scripturarum, singulorumque regnorum classes, ordines, series.

Iam bono auspicio ad ipsas scripturarum diuisiones venimus. Historiae naturalis architecti laudabilissimo conatu omnia ea, quae natura, mater alma, promit, in regna, classes, ordines, genera & species dispertire solent: cuius methodi elegantissimae vtilissimaeque inuentor LINNAEVS non primus quidem, is tamen est, qui felici ingenio suo summisque in Historiam naturalem, Botanicam praesertim, meritis omnium oculos, inuidos etiam, in se conuertit, nosque inprimis ad sui admirationem commouit. Nos itaque, partim artis diplomaticae amore capti, partim hac cogitatione confirmati, naturae & artium maximam similitudinem esse, in admiranda methodi Linnaeanae pulchritudine ac praestantia eo vsque progressi sumus, vt crederemus, eam ad diuidendas etiam scripturas haud incommode accommodari posse. Sed factis iam rei huius experimentis, quae amicis nostris haud displicere videbantur, in alterum to-

mum noui systematis diplomatici (*nouveau Traité de diplomatique*) incidimus, in quo non sine indignatione aliqua, vt accidit hominibus, qui reculas suas amare solent, consilium nostrum anticipatum esse, animaduertimus. Verum enim vero animus noster mox ab indignatiuncula sua ad hilaritatem quodammodo reuocatus est, quum systema nostrum compararemus cum gallico, ac diuersitatem haud exiguam inter vtrumque esse cognosceremus: quamquam eodem tempore institutum nostrum nouitatis laude esse aliqua ex parte priuatum, vidimus. Sed agite, ad rem ipsam explicandam accedamus. Primum omnium scripturas in *quatuor regna* diuidere placet, quorum nomina haec sunt:

I. *Regnum artificiale.* Scriptura artificum: Inscriptiones (*Künstlerschrift, Inschriften*). Qua diplomata, *Tabulae* (in vernacula *Inschriftliche Urkunden*) dici possunt.

II. *Regnum librarium.* Scriptura librariorum: Codices MSS. (*Bücherschrift, Handschriften*). Qua diplomata, *Codicilli* (in vernacula *Handschriftliche Urkunden*) appellari possunt.

III. *Regnum notariale.* Scripturae notariorum seu personarum publicarum (*Kanzleyschriften*). Qua diplomata *Chartae* (in vernacula *Kanzley-Urkunden*, seu simpliciter *Urkunden*) dici possunt.

IV. *Regnum priuatum.* Scriptura priuatorum: Scripturae vsuales, hoc est, quae in vsu quotidiano sunt (*Currentschriften, gemeine Schriften*). Qua diplomata *Schedae* (in vernacula *Current-Urkunden*) appellari possunt.

Horum regnorum quodlibet in *duas classes* commode diuidi posse existimamus, quae sunt I.) *Scriptura realis* (in vernacula *Bilderschrift*), consistens in imaginibus rerum, pictura qualicumque expressis, & II) *Scriptura literalis* (in vernacula *Buchstabenschrift*), sonos vocis humanae, qui infiniti videntur, paucis literarum notis terminans. Scriptura realis multo antiquior literali est: homines enim initio non scripserunt verba, sed pinxerunt res ipsas. Si quis cogitauerit, fieri non potuisse, vt primorum temporum historiae, & genealogica praesertim atque chronologica momenta, quae in prioribus Geneseos capitibus commemorantur, solius memoriae auxilio ad Mosen vsque incorrupte propagarentur, nisi monimenta quaedam, scriptura saltim reali insignita, quae Moses consulere potuerit, exstitissent; haud difficulter in eam nobiscum sententiam discedet, iam ante diluuium scripturam aliquam realem fuisse vsitatam.

Potest

Potest autem scriptura realis in *tres* potissimum *ordines* describi. Initio enim omnes populi, & *Aegyptii* etiam ac *Sinenses*, antequam illi nempe hieroglyphicam, hi vero characteristicam scribendi rationem introduxissent, ipsarum rerum integras imagines pinxerunt, ponendo e gr. figuras equi, bouis, hominis, cet. pro vocabulis equus, bos, homo, item figuras digitorum manus humanae pro numeris. Eodem modo veteres *Sinenses* e. gr. pisces, testudines, serpentes, ranas, mures, cet. ipsis horum animalium figuris pictis denotarunt. Quid? quod *Mexicani* recentiori adhuc aetate quidquid legum annaliumque scripserant, pictis rerum ipsarum integris imaginibus significarunt. Primum hunc & antiquissimum realis scripturae ordinem *scripturae idiopragmaticae* seu *mexicanae* nomine appellabimus. Quoniam vero quo plurium rerum cognitione homines sensim sensimque imbuti fuerant, eo molestior scriptura idiopragmatica fiebat; realis scripturae compendia varia, quibus figurarum seu imaginum partim magnitudo & ambitus, partim numerus ac multitudo minuebatur, temporis progressu excogitata sunt: in quo quidem scribendi genere, quod *hieroglyphicum* vocant, *Aegyptios* inprimis, & quodammodo etiam *Sinenses*, veteres nempe, excelluisse constat. Sed cauendum hic est, ne hieroglyphicam scribendi rationem primo statim tempore ab Aegyptiis sacerdotibus ad occultandas res, sacras potissimum, adhibitam fuisse existimes; illa enim ab initio, vt vniuersa scriptura realis, communis aliqua & popularis scriptura fuit. Pro triplici figurarum hieroglyphicarum genere *triplex* quoque scripturae hieroglyphicae *series* constitui potest. Prima est *scriptura cyriologica*, quae partem rei alicuius praecipuam pro re tota depictam exhibet. E. gr. duae manus, quarum vna clypeum, altera arcum tenet, apud Aegyptios, sicut apud Sinenses duae manus cum arcu solo, ad proelium significandum adhibitae sunt. Sic etiam in signis Zodiaci figura ♈, hoc est, caput cornutum arietis, pro ipso ariete, item ♉, hoc est, caput tauri cornutum pro ipso tauro, & lineolae curuatae hunc in modum ♒ pro aqua fluente vsurpatae sunt. Altera hieroglyphicae scripturae series est scriptura *hierographica* seu *sacerdotalis*, quae etiam scriptura *hieroglyphica currens*, item *ichnographica* dici potest, propterea quod imagines rerum, extremis tantum lineis (*blos in Umrisse*) ad minuendum scribentis laborem descriptas exhibet. E. gr. dum circulus ⊙ pro sole, discus apud Sinenses, vel etiam haec figura ☽ pro luna, item piscium, florum, aristarum figura ichnographica vsurpata deprehenduntur. Sinensium scriptura antiquior tota fere ex eiusmodi figuris ichnographicis

phicis compoſita erat. Ex ſcriptura ſacerdotali apud Aegyptios epiſtolica, & ex hac demum literalis ſcriptura, tam ſacra, quam vulgaris, orta eſt. Tertia ſcripturae hieroglyphicae ſeries eſt *ſcriptura ſymbolica* ſeu *analogica*, quae figuris metaphoricis, vel allegoricis etiam conſpicua eſt, eamque ob cauſſam aliarum rerum imagines proprias ad ſignificandas res quaſdam adhibet, idque ob aliquam ſimilitudinem, quae inter eiuſmodi res intercedit, vel intercedere ſaltim creditur. E. gr. figura apis in ſcriptura idiopragmatica animalculum illud mellificans, in ſcriptura autem ſymbolica apud Aegyptios Regem denotauit, propterea quod Regis eſt, iuuare ciues bonos, & punire nocentes. Iidem Aegyptii vulturis imagine naturam, omnium rerum matrem, ſignificarunt, quia mares nullos inter hos alites inueniri exiſtimabant. Sic etiam circuli figura, quae in ſcriptura hierographica ſ. ichnographica ſolem ſignificabat, poſtea ad denotandum Deum, coelum, aeternitatem, annum aliaſque res ſimiles translata eſt: & bos Aegyptiis quoque fuit ſymbolum & ipſius terrae, & agriculturae & frumenti, ex quo Pharaonis ſomnium, Gen. XLI. 8. explicari poteſt. Sceptrum denique, cui oculus imponebatur, ad ſignificandam Principis, vel Dei ipſius etiam prouidentiam adhibitum eſt. Atque haec exempla ſunt metaphoricorum ſymbolorum: allegoricorum autem hoc ponemus exemplum, quod CLEMENS ALEXANDRINVS L. V. Stromat. p. 242. his verbis commemorauit: „Dioſpoli, quae eſt vrbs Aegypti, in aede ſacra, quae Pylon vocatur, expreſſus eſt *puellus*, ſignum „generationis, *ſenex* vero interitus, & rurſus Dei ſymbolum *accipiter*, & „*piſcis* ſymbolum odii. Et in alio rurſus ſignificatu *crocodilus* eſt ſignum „impudentiae. Videtur ergo hoc ſymbolum ſimul poſitum, hoc ſignifi„care; *O qui naſcemini & interitis, Deus odio habet impudentiam.*„ Sed idiopragmaticae & hieroglyphicae ſcribendi rationi nouarum rerum cupidi mortales temporis progreſſu etiam *ſcripturam characteriſticam*, quae res characteribus arbitrariis exprimit, adiunxerunt. Huc Sinenſium recentior ſcriptura referri ſolet, quippe quae, ſi characteres idiopragmaticos & hieroglyphicos excipias, tota ex ſignis arbitrariis compoſita eſt; quamquam DEGVIGNES, vir illuſtris, qui ad illuſtrandas orientis res natus videtur, haud ita pridem in commentatione peculiari, Academiae regiae inſcriptionum A. 1758. recitata (*Memoire dans lequel on prouve, que les Chinois ſont une colonie Egyptienne*, Paris 1759. 8.), p. 58. ſqq. oſtendit, ſigna pleraque ſcripturae Sinenſium ex literis phoeniciis & aegyptiis depromta fuiſſe. De ſcriptura reali eiuſque ordinibus ac ſeriebus pro inſtituti ratione

tione

tione satis diximus. Qui plura hac de re nosse cupiunt, eos ad illustriss. Comitis de CAYLVS *Recueil d' Antiquités*, T. I. p. 1-76, ANTON. YVES GOGVET *de l' origine des Loix, des Arts & des Sciences, & de leurs progrès chez les anciens Peuples* (Hl. Tomi, Par. 1758. 12. mai.; qui liber a *Geo. Chph.* HAMBERGERO in linguam vernaculam translatus, prodiit Lemgo 1760-62. T. III. 4. mai.), T. I. L II. C. VI. (Edit. german. p. 171. sqq.), item ad WACHTERI librum, cui titulus est: Naturae & scripturae concordia, Sect. I. p. 1-47, inprimis vero ad WILHELMI WARBVRTONII, viri reuerendi, librum egregium, qui inscriptus est: *The divine legation of Moses*, Voll. II. L. II. Sect. IV. p. m. 66. sqq. ablegamus. Hoc vnum addere placet, imagines personarum, locorum, rerum aliarum, quas in nummis, gemmis, sigillis, insignibus seu armis (*Wappen*) ceterisque id genus monimentis obseruare licet, item signa astronomica, arithmetica, chemica cet. ad scripturam realem iure meritoque referenda esse. Aliae enim harum figurarum idiopragmaticae sunt, vt insignia omnia loquentia, item ductus, quos dicunt, honorabiles; aliae in hieroglyphicis numerari debent, e. gr. caput turcicum in Principis Schwarzenbergensis insignibus figura cyriologica est; aliae denique characteristicae seu arbitrariae sunt.

Iam sequitur, vt *scripturae literalis* ordines eorumque series paucis percurramus. Potest vero scriptura literalis, cuius originem iam supra (§. 33.) descripsimus, in varios ordines dispesci, cuius hi praecipui sunt I) *Scriptura orientalis*, eiusque series, vt 1.) Scriptura *Phoenicia* cum *Carthaginiensi* & *Samaritana*, 2) *Aegyptiaca*, literalis scilicet, tam sacra, quam popularis, 3) *Hebraica*, 4) *Syriaca*, 5) *Arabica* cum *Aethiopica*, 6) *Persica*, cet., II.) Occidentalis *Graeca*, III.) Occidentalis *Etrusca*, IV.) Occidentalis *Romana* siue *Latina*, V.) *Septentrionalis* seu *Runica*. Sed placet, omnia ea, quae huc vsque de scripturae tam realis, quam literalis diuisionibus dicta sunt, hac tabula lectorum oculis exhibere:

Classis I. *Scriptura realis*, (in vernacula *Bilderschrift*): pictura rerum ipsarum.

Ordo I. Scriptura *idiopragmatica* s. *mexicana:* imagines ipsarum rerum integrae, ac proprie sumtae.

Ordo II. Scriptura *hieroglyphica* s. *aegyptiaca:* imagines ipsarum rerum compendiosae.

Series I. Scriptura *cyriologica*: partes rerum praecipuae pro rebus ipsis depictae.

Series II. Scriptura *hierographica* ſ. *ſacerdotalis*, item *ichnographica*: ichnographia (*Umriß*) rerum pro rebus ipſis.

Series III. Scriptura *ſymbolica* ſ. *analogica*, figuris metaphoricis vel etiam allegoricis vtens.

Ordo III. Scriptura *characteriſtica* ſ. *Sinenſis*, characteribus arbitrariis res exprimens.

* Subtilius curatiuſque ſcriptura realis ita diuidi poteſt:

I.) Scriptura *idiopragmatica*: imagines rerum proprio ſenſu vſurpatas exprimens. Eſt vel

1) *holographica*: imagines rerum integras exhibens.

2) *merographica*: imagines rerum compendioſas exhibens. Merographica ſcriptura itidem duplex eſt, vel

a) *cyriologica*, partem rei praecipuam pro re integra depingens.

b) *ichnographica* ſ. *hierographica* & *ſacerdotalis*, rerum figuras extremis tantum lineis ſignificans.

II.) Scriptura *ſymbolica* ſ *analogica*, metaphoricis vel allegoricis etiam figuris res exprimens.

} *Hieroglyphica* ſcriptura ſ. ſcriptura realis compendioſa.

III.) Scriptura *characteriſtica*, ſignis arbitrariis vtens.

Claſſis II. Scriptura literalis (in vernacula *Buchſtabenſchrift*): ſcriptura, verborum ſonos pauciſſimis ſignis, quae literae dicuntur, exprimens

Ordo I. Scriptura *orientalis*.

Series I. Scriptura *phoenicia*, cum *carthaginienſi* & *ſamaritana*.

Series II. Scriptura *aegyptiaca*, literalis nempe.

Partitio I. Scriptura aegyptiaca *ſacra*.

Partitio II. Scriptura aegyptiaca *popularis*.

Series III. Scriptura *hebraica*.

Series IV. Scriptura *ſyriaca*.

Series V. Scriptura *arabica*, cum *aethiopica*.

Series VI. Scriptura *perſica*, cet.

Ordo II. Scriptura occidentalis *graeca*.

Ordo III. Scriptura occidentalis *etruſca*.

Ordo IV. Scriptura occidentalis *romana* ſ. *latina*.

§. 73.

§. 73.

De scriptura romana speciatim: ac quidem 1) de scripturis dominantibus in quatuor regnis.

De tribus prioribus classis II. ordinibus (§. 72.) iam nihil attinet pluribus exponere: sed ordo IV, hoc est, scriptura occidentalis *romana* siue *latina*, dignus est, de cuius seriebus, partitionibus, generibus ac speciebus accuratius dicamus. Antequam vero ad rem ipsam accedamus, pauca tum de *scripturis latinis*, *quae* in quatuor regnis deinceps *dominatae sunt*, tum de *epochis literarum latinarum longiorum* praemittenda videntur. Quod itaque primum ad *scripturas latinas*, in quatuor regnis *dominantes*, attinet, tota res ex hac tabula facile cognosci poterit:

I. In *regno artificiali*

1. dominata est scriptura *maiuscula* } vsque ad *medium saeculum XIV.*
2. rariores fuerunt scripturae *minuta & cursiva* } *culum XIV.*

* Pauciſſimae scilicet inscriptiones sunt, quas totas literis minutis & cursiuis ante hoc saeculum exaratas esse constat: quamquam inscriptiones, florente adhuc Imperii Romani statu, reperiantur, quae minuscolas literas maiusculis admixtas habent.

II. In *regno librario*

1. *ante saeculum VIII.*

a. dominata est scriptura *minuta:*

b. passa tamen est etiam, scripturam *vncialem* & *cursiuam* sibi admiscerí.

* Si ex numero librorum manuscriptorum, qui ad nostra tempora peruenerunt, scripturae dominium definias; id maiusculae scripturae libentius, quam minutae adiudicaueris: sed scias, plures codices, literis maiusculis, quam minutis, scriptos aetatem tulisse, & ideo quidem, quod illi, quia faciliores lectu, vel pretiosiores etiam essent, quam hi, diligentius custodirentur.

2. *Saeculo VIII.* insolentius dominari coepit scriptura *minuta*, adeo vt scripturae maiusculae ac cursiuae admixtionem admodum aegre ferret.

3. *Saeculo IX.* dominium scripturae *minutae* in tyrannidem quasi mutatum est. Quare scriptura *cursiva* prorsus aufugit; nec prius, quam *saeculo XIII.* rediit, nouo habitu, gothico nempe s. potius scholastico induta.

4. *Sae-*

4. *Saeculo X.* scriptura etiam *maiuscula*, tyrannidem *minutae* velut detestata, ex libris exulauit: quod vero non ita intelligendum est, quasi scriptura maiuscula hoc tempore prorsus interierit: sed id tantum dicere volumus, commixtionem harum scripturarum penitus cessasse. Quare si qui codices literis maiusculis scribendi essent, nullae minutae admissae sunt, quemadmodum hae itidem illarum societatem detrectarunt.

III. In *regno notariali*

1. *Saeculis V. & VI.* acta *Italiae*, hoc est, antiquissima, quae nobis supersunt, diplomata chartacea, *literis cursivis* exarata sunt Vide exempla in *Nouveau Traité de diplomatique* T. III. Tab. 63. sq. ad pag. 626. sqq.

2. *ante saeculum VIII.* in diplomatibus *anglicis*, quae nobis ex hoc tempore restant, scriptura *maiuscula*, partim *pura*, partim *mixta* ex literis maiusculis & minutis, dominata est. Scriptura *minuta*, pura nempe, prorsus exulauit.

3. Inde *a saeculo VIII*, & in Anglia quidem *A. 730*, in Gallia vero atque in Germania *Pipino* regnante, scriptura *minuta* in diplomatibus dominari coepit; ac primo quidem in diplomatibus ecclesiasticis, praesertim saeculo IX, deinde in Imperatorum etiam diplomatibus, quamquam sensim ac sine sensu, ac paullo post in chartis quoque priuatorum prae maiuscula adhibita est.

4. *Saeculis XI. & XII.* scriptura *minuta* sola regnauit: nisi quod, quamquam rarissime, vna alteraque litera cursiua literis minutis admixta cernatur.

5. *Saeculo XIII.* scriptura *cursiva*, ex diuturno exilio quasi redux, in scripturam minutam adeo saeuiit, vt nullum diploma huius temporis occurrat, quod literis minutis scriptum sit, praeter paucissima, ea nempe, quae modo velut sollemniore expedienda erant.

* Scriptura haec cursiua, quam *gothicam* alii, nos *neogothicam* s. *scholasticam*, appellamus, mirum est, quam paucorum annorum spatio orta sit, inualuerit, regnauerit.

6. *Circa medium saeculum XIV.* subtilius quoddam scripturae genus ortum est, quod sensim sensimque ad Italicae scripturae elegantiam, qua nunc quoque typographi vtuntur, ascendit.

IV.

IV. In *regno priuato* eadem fere scripturae vicissitudo fuit, quam in regno politico fuisse, modo diximus, nisi quod scripturae pariter, atque chartae, quas dicimus, priuatae plerumque minus eleganter scriptae deprehendantur. Neque illud hoc loco praetermittendum est, rariores huius regni scripturas esse, quam ceterorum, si antiquiora videlicet tempora respicias. Scripturae enim priuatae, non tam facile, quam publica scripta, aetatem ferunt: deinde aeuo medio eorum numerus admodum exiguus fuit, qui scribendi artem callerent, nisi qui clerici fuerint. Neque quisquam facile erit, qui nesciat, infelici hoc tempore summos pariter, atque infimos raro vel scribere literas, vel legere adeo potuisse.

* Conf. *Nouveau Traité de diplomatique* T. II. p. 494. sqq.

§. 74.

Epochae literarum latinarum longiorum.

Non alienum hoc loco videtur, pauca etiam de *literis latinis longioribus* diplomatum (*Fracturschrift*) dicere, quae quam incommode cum literis maiusculis ab omnibus fere eruditis confundantur, iam supra (§. 44.) ostendimus. Nunc qui illarum vsus fuerit (*) figillatim exponemus.

1. In diplomatibus vetustissimis, ac potissimum inde *a saeculo VI.* literae longiores in subscriptionibus dominatae sunt.
2. Sub *Merouingicis Regibus* plerumque 1) nomen ac titulus Regum, ideoque non totus versus primus diplomatum, & 2) subscriptiones literis longioribus sunt exaratae.
3. Sub *Carolidis*, itemque sub *Germanicis* etiam Regibus atque Imperatoribus 1) indiscriminatim mox integer versus primus, mox secundus etiam, quid? quod dimidia pars tertii versus, & 2) subscriptiones, interdum data etiam, itemque nomina propria literis longioribus scripta deprehenduntur.
4. *Saeculo XII* idem fere mos *in Germania* continuatus est, vsque ad saeculum XIV, nisi quod inde a *medio saeculo XII.* subscriptiones mox literis longioribus, mox minutis exaratae fuerint. Occurrunt nobis adeo (**) chartae nobilium, quae vsque ad medium saeculum XIII. formulam inuocationis diuinae literis longioribus expressserunt. Est etiam in manibus nostris bulla autographa Bonifacii IX, Pontifi-

cis Romani, A. 1400. data, cuius totus versus primus literis longioribus exaratus est.

Contra ea *in Franco-Gallia saeculo XII.* non integer versus primus diplomatum, sed formula tantum inuocationis diuinae literis longioribus scripta est: eodemque saeculo exeunte literae longiores in diplomatibus franco-gallicis prorsus euanuerunt; siquidem ex hoc tempore totus diplomatum contextus a capite vsque ad calces literis vel minutis, vel cursiuis ordinariis exaratus fuit.

(*) Vid. scripturarum specimina, quae MABILLONIVS, SCHANNAT in Vindiciis Fuldens., auctor *Chronici Gottwicensis*, aliique publicarunt: quibus adiungendus etiam est *Nouveau Traité de diplomatique* T. II. p. 496. & T. III. p. 678. sqq.

(**) Vide tabulas aeneas posteriores, quae in TREVERI *Münchhausischen Geschlechtshistorie* exhibentur.

§. 75.

De scripturae romanae seriebus ac partitionibus.

Nunc ad singulorum scripturae romanae regnorum *series*, earumque *partitiones* progrediemur: qua in re quidem nostra methodus prae Linneana id commodi habet, quod omnium regnorum eaedem series eaedemque partitiones constitui possint. Quare sine difficultate vlla hinc nos expedire, pauciſque verbis multas res complecti possumus. Vnius enim regni series ac partitiones qui cognoscit, omnium cognoscit. Diuidimus autem singula scripturae romanae regna in *quatuor series*, quae sunt: 1) *Scriptura romana vetus*, 2) *romano-barbara* s. *teutonica*, 3) *romana corruptissima* s. *neogothica*, & 4) *romana renouata* s. *recentior*. Atque has quatuor series iuxta cum singularum serierum partitionibus sequenti tabula comprehendemus:

Series I. Scriptura *Romana vetus.*

1) Orta est ex Etrusca, vt haec ex Graeca, Graeca ex Phoenicia.

2) Dominata est in toto imperio romano, cuius singulae terrae ac prouinciae arctissimo vinculo tam inter se, quam cum vrbe primaria continebantur.

3) Durauit vsque ad migrationes gentium saec. V.

Par-

Partitio I. Scriptura *Romano-Italica*
Partitio II. Scriptura *Romano-Prouincialis*
} parum inter se diuersae propter coniunctionem prouinciarum cum Italia & vrbe Roma.

Series II. Scriptura *Romano-Barbara* s. *Teutonica.*

1) Orta est ex Romana, quae sensim ad gustum nationum barbararum singularum immutabatur.
2) Dominata est in discerptis & occupatis a populis Germaniae prouinciis romani imperii, vt in Italia, Hispania, Britannia, Gallia, & in ipsa etiam Germania.
3) Durauit vsque ad instauratas saeculo XV. literas.

Partitio I. Scriptura *Langobardica.*

1) Orta est ex Romana veteri.
2) Dominata est in Italia.
3) Durauit a fine saeculi VI. vsque ad initium saeculi XIII.

Partitio II. Scriptura *Wisigothica.*

1) Orta est ex Romana veteri, s. ex Romano-Hispanica.
2) Dominata est in Hispania & in Gallia meridionali.
3) Durauit a saeculo V. aut VI. vsque ad a. 1091; tolerata tamen in Hispania vsque ad saeculum XIV. ac fortasse etiam XV.

Partitio III. Scriptura *Anglo-Saxonica.*

1) Orta est ex veteri Romana s. ex Romano-Britannica.
2) Dominata est in Anglia: vsurpata tamen etiam in Gallia, Germania &c.
3) Durauit a saeculo V. vsque ad an. 900; tolerata tamen in Anglia vsque ad tempora Wilhelmi Conquestoris circ. an. 1066.

Partitio IV. Scriptura *Franco-Gallica*, s. *Merouingica.*

1) Orta est ex Romana veteri s. ex Romano-Gallica.
2) Dominata est in Gallia & Germania.
3) Durauit a saeculo V. vsque ad tempora Pipini Regis circ. an. 752.

Partitio V. Scriptura *Carolingica.*

1) Orta est ex Romana veteri, ad cuius elegantiam Pipinus, Carolus M. & Ludouicus Pius eam emendari iusserant.
2) Dominata est non tantum in Gallia, verum etiam in reliquis terris Carolidarum, in Germania praesertim, immo in aliis etiam Europae partibus.

3) Durauit
   a) in Gallia ab an. circ. 752. vsque ad an. 987.
   b) in Germania & Italia ab eodem tempore vsque ad saec. XIII; in Italia tamen vna cum Langobardica floruit.
   c) in Anglia ab A. 900. vsque ad an. 1066. vna cum Anglo-Saxonica.

Partitio VI. Scriptura *Capetingica.*

2) Orta est ex Romana veteri s. Carolingica eleganti, ad cuius formam, quae sub vltimis Carolidis Galliae fere periit, Hugo Capetus eam emendandam curauit.
2) Dominata est in Gallia: introducta deinde etiam in Angliam & Hispaniam.
3) Durauit
   a) in Gallia ab an. circiter 987. vsque ad saec. XIII.
   b) in Anglia ab an. 1066, ita, vt scriptura Anglo-Saxonica iussu Wilhelmi Conquestoris prorsus excluderetur.
   c) in Hispania ab an. 1091. vsque ad saec. XIII; retenta tamen simul scriptura Wisi-Gothica.

Series III. Scriptura *Romana corruptissima*, s. *Neogothica*, item *Monachalis*, vel potius *Scholastica.*

1) Orta est ex scriptura Romano-Barbara s. Teutonica, multifariam ad subtilissimi vel insipidi potius saeculi gustum corrupta.
2) Dominata est in tota fere Europa.
3) Durauit a saeculo XII, magis vero a saec. XIII. vsque ad saec. XV. nisi quod
   a) Germani, in lingua patria scribentes,
   b) Pontifices Romani, in bullis suis, &
   c) Franco-Galli in peculiari quodam scripturae genere, quod *Ecriture ronde & financière* appellant,

   difformi hac scriptura nunc quoque delectentur.

Partitio I. Scriptura *Neogothica Germaniae.*
Partitio II. - - - - - *Italiae.*
Partitio III. - - - - - *Britanniae.*
Partitio IV. - - - - - *Galliae.*
Partitio V. - - - - - *Hispaniae*, cet.

Series

Series IV. Scriptura *Romana renouata.*

1) Orta est ex veteri Romana, ad cuius elegantiam artium optimarum instauratores eam castigarunt.
2) Dominatur in omnibus Europae terris, vbi latine scribitur.
3) Durat inde a saec. XV. vel XVI.

Partitio I. Scriptura Latina *Germaniae.*
Partitio II. - - - - *Italiae.*
Partitio III. - - - - *Britanniae.*
Partitio IV. - - - - *Galliae.*
Partitio V. - - - - *Hispaniae*, cet.

§. 76.

De scripturae romanae generibus & speciebus generatim.

Hactenus de scripturarum regnis ac de singulorum regnorum classibus, classiumque singularum ordinibus ac sigillatim de ordinis IV. classis IIdae, hoc est, scripturae romanae seriebus ac partitionibus pro instituti ratione (§. 72. & §. 75.) satis diximus. Restat, vt de singularum scripturae romanae partitionum *generibus* ac *speciebus* pro regnorum diuersitate agamus. Atque id quidem ex philosophia constat, genera rerum *ex comparatione* specierum, species autem ex comparatione indiuiduorum s. rerum singularium formari. Si quis videlicet indiuidua inter se comparat, similitudinem quamdam, hoc est, attributa quaedam illis communia deprehendet; quae si sola, omissis reliquis attributis, in quibus indiuidua non conueniunt, considerat, *speciem* consequetur. Deinde si in comparando atque abstrahendo pergit, diuersasque species inter se confert, ita nempe, vt quae ipsis communia esse obseruat, a reliquis, in quibus species non conueniunt, mente seiungat, *genus* se formasse deprehendet. Species itaque ex similitudine indiuiduorum, genus vero ex similitudine specierum existit. Quae notiones Philosophorum, si ad scripturas accommodentur, facilè apparebit, quae genera sint, quae species, item quo pacto non solum species ex similitudine scripturarum singularium, sed etiam genera ex similitudine scripturarum specialium formentur. Sed in hoc negotio simul obseruandum est, in formandis scripturarum generibus ac speciebus commodius a genere ad species descendi, quam ascendi

a speciebus ad genus, hoc est, melius procedere rem, si primo partitionum singularum genera formes, & tum demum, formatis rite generibus, ad formandas eorum species pergas. Clariora fient haec, quae diximus, si exemplis illustrentur. Si itaque v. gr. scripturae capitales vnius eiusdemque partitionis inter se comparantur, facili negotio patebit, quibus in rebus illae vel conueniant, vel discrepent: erunt enim apicibus & basibus mox resectis, mox non resectis; nunc elegantes, nunc rusticae; vocibus vel continuis, vel separatis; literis aequalibus, inaequalibus; puris, mixtis, cet. quae quidem varia *genera* scripturarum capitalium partitionis alicuius constitui possunt. Quomodo autem ex singulis his aliisue generibus *species* formandae sint, his exemplis declarabimus. Fac, scripturarum capitalium genus, de quo quaeritur, esse apicibus basibusque resectis: compara deinde inter se resectionis varietates, quas supra (§. 37) commemorauimus; & ex hac comparatione facile perspicies, literas in scripturis nonnullis ordinarie, in aliis ad modum literae *s* cubantis (∞), rursus in aliis admodum clauae, margaritae, cet. resectas esse. En tibi diuersas vnius eiusdemque generis species! Sed fac, scripturas capitales mixtas esse: qui quidem character nunc genus efficiet. Quoniam scripturas capitales mixtas inter se comparando, eas nunc ex literis vncialibus, nunc ex minutis, nunc ex cursiuis, nunc ex his omnibus, vel ex duabus earum, quasdam literas sibi admixtas habere, deprehendes; effi cies inde quinque diuersas species generis eius, de quo quaeritur.

§. 77.

Nomina generum ac specierum vnde sumenda sint?

Quo facilius autem singula scripturarum *genera*, eorumque singulae species, memoriae infigi, & cum aliis etiam communicari possint; peculiaria cuiusque generis ac speciei *nomina* excogitanda esse censemus: quae quidem nomina si ab illis viris, qui in quolibet scripturarum regno aliquid praeclare fecerunt, arcessamus; non modo id nos consecuturos esse confidimus, vt virorum bene de republica literaria meritorum memoria conseruetur, verum etiam, vt rei diplomaticae & graphicae omnino studiosis, qui homines doctos noscendi cupiditate ducuntur, bene consulatur. Quare *artificialis regni* genera & species eorum virorum nominibus insigniemus, qui vel inscriptionum, nummorum, gemmarum, sigillorum cet. collectiones publicarunt, vel aliis etiam scriptis, isagogicis praesertim,

tim, harum rerum intelligentiam expeditiorem reddiderunt. *Regni* autem *librarii* generibus ac speciebus nomina suppeditabunt omnis generis viri docti, qui in populo illo, de cuius scripturis sermo est, aliquid memoria dignum scripserunt. *Regnorum* denique *notarialis ac priuati* genera & species eorum nominibus appellabimus, qui de re diplomatica vel scriptis isagogicis, vel etiam diplomatum collectionibus editis bene meriti sunt. Sed quam vtilis fortasse atque commoda haec fingendorum nominum ratio aliis, ac iuuentuti praesertim discendi cupidae, erit; tam molesta mihi, ac pernicioſa adeo, esse poterit, si praesertim censores paullo iniquiores hoc institutum reprehendendum susceperint. Hi enim si, vt hoc vtar, aliorum nomina, quorum merita nulla, aut exigua esse putant, hic posita, sua vero praetermissa viderint; indignabundi fortasse, hinc odio me, illinc vero amicitiae dedisse aliquid clamitabunt. Sed sciant primo illi, si qui futuri sint, reprehensores, me specimina tantum aliqua Linnaeismi graphici dare voluisse; quae si orbi literato haud displicuerint, integro aliquo libro, & additis simul scripturarum exemplis aere exscriptis, vniuersus Linnaeismus graphicus vel a me, vel ab aliis etiam, me acutioribus doctioribusque, exponi poterit: deinde cogitent, quaeso! quantum mihi vel auctoritatis, vel intelligentiae tribuant, si credere velint, viros vere eruditos laudibus meis clariores fieri posse, vel silentii mei dispendio esse suspiraturos. Vnum hoc monendum duco, quoniam libri huius angustiores limites non permiserunt, vt singula tabulis in aes incisis explicarentur, me totam hanc de scripturarum generibus ac speciebus disputationem; quantum systematis mei rationes patientur, ad ea esse accommodaturum, quae auctores noui operis diplomatici (*Nouveau Traité de Diplomatique*) de his rebus philosophati sunt, multisque tabulis aeneis (num. 24-71.) illustrarunt. Quocirca vt euoluendi libri huius labor minuatur, praeceptionibus nostris notas numerales subiicere placet, ita quidem, vt *numeris romanis*, prout vel simpliciter positi sunt, vel parenthesi dimidiae aut integrae inclusi, *classis*, *diuisio* & *subdiuisio* denotentur, *zephyris* autem *genus* ac *species* significentur: cuius generis hoc exemplum ponemus: III. II). (I). 2. 1), hoc est, classis tertiae, diuisionis secundae, subdiuisionis primae, generis secundi species prima, in tabulis aeneis operis noui diplomatici propositae.

§. 78.

§. 78.

Regni artificialis Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, in hoc regno vel plane non, vel parum diuersae: Genus I, Gruterium.

I. Genus: *Gruterium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque non resectis. I. I.). 1. 1.).— 6.), hoc est. Classis I, Diuisio 1, Genus 1, Species 1 - 6. in *Nouveau Traité de Diplomatique.*

II. Species, quarum discrimen a ductuum, transuersarum inprimis diuersitate arcessitur:

1. *Gruteria prima.* Transuersa τοῦ A mutila, P simile τῷ P veterum Graecorum, literis interdum vnitis, vt S & V, item N & T.
2. *Gruteria secunda.* Ductibus & transuersis saepe obliquatis.
3. *Gruteria tertia.* Ductibus magis regularibus, sed transuersis tamen saepe obliquatis.
4. *Gruteria quarta.* Transuersis parum obliquatis.
5. *Gruteria quinta.* Literis altioribus & rusticulis.
6. *Gruteria sexta.* Literis admodum crassis.

§. 79.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus II, Apianum.

I. Genus: *Apianum.* Scriptura capitalis pura, eaque rustica. I. I.). 2. 1.) — 3.).

II. Species, rusticitatis s. deformitatis gradibus diuersis distinguendae:

1. *Apiana prima.* Scriptura gibbosa ac tortuosa, apicibus basibusque nunc regulariter resectis, nunc in cuspides caudasque tam simplices, quam bifidas, desinentibus.
2. *Apiana secunda.* Scriptura mediocriter rustica, ductibus quibusdam obliquis ac singularibus onusta.
3. *Apiana tertia.* Scriptura maxime rustica & irregularis. Literae arctiores ductibusque superfluis onustae. A semper fere transuersa caret, B infra patet, I simile interdum est τῷ E, & A τῷ R: quemadmodum C quadratam, T vero prorsus absurdam formam habet.

§. 80.

repraesentantur.

Numerus Generum.		Genera seriei III. hoc est, scripturae Romanae corruptissimae siue Neogothicae.	
		Nomina Generum.	Characteres generici.
I.	ctis.	Hoepingkium.	Scriptura Neogothica capitalis, eaque incipiens.
II.		Thulemarium.	Scriptura Neogothica capitalis, eaque crescens.
III.	ectis.	Heineccium.	Scriptura capitalis semi-gothica.
IV.		Leyserium.	Scriptura Neogothica capitalis, dominans.
V.	regu-	Hueberium.	Scriptura Neogothica capitalis pura s. mere gothica.
VI.	ie ex	Mannium.	Scriptura Neogothica capitalis rustica.
VII.	i.	Casleyum.	Scriptura Neogothica capitalis irregularis s. magis barbara & rustica.
VIII. XVI.	ienti-	Iacksо-	Scriptura Neogothica capitalis mixta litera-
XVII.	hu-		
XVIII.			
XIX.	extra bicua.		

ad §. 78. sqq. Tabula, qua Genera scripturarum Romanarum ex regno artificiali repraesentantur.

Genera seriei I. & II, hoc est, scripturae Romanae veteris & Romano-Barbarae siue Teutonicae.

Numerus Generum.	Nomina Generum singulorum (videatur §. 77.). I. Ser. Romana vetus.	II. Scriptura Romano-Barbara siue Teutonica. Partitio I. & II, parum diuersae.	Partitio I, Scriptura Langobardica.	Partitio II, Scriptura Wisigothica.	Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica.	Partitio IV, Scriptura Merouingica.	Partitio V, Scriptura Carolingica.	Partitio VI, Scriptura Capetingica.	Characteres generici.
I.		Grutenium.	Allatium.	Salomonium.	Oudendorpium.	Seguinium.	Le Blancium.	Kundmannium.	Scriptura capitalis *pura*, apicibus basibusque non resectis.
II.		Apianum.	Suaresium.	Bonannium.	Gorium.	Evelynium.	Saelendrium.	Musselium.	Scriptura capitalis pura, eaque rustica.
III.		Fabricium.	Wormium.	Iacobaeum.	Saxium.	Oudaanium.	Menètrierium.	Mazzuchellium.	Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis.
IV.		Le Poisium.	Chifletium.	Spelmannium.	Hagenbuchium.	Pedrusium.	Bouterouaeum.	Stoschium.	Scriptura capitalis pura, inclinata.
V.		Welserium.	Strauolscium.	Sandrartinum.	Winckelmannium.	Hottingerium.	Vrsinium.	Schlegelium.	Scriptura capitalis pura, elegans, apicibus basibusque regulariter resectis.
VI.		Kircherium.	Chimentelium.	Dodwellium.	Nassarium.	Begerium.	Liebium.	Hauercampium.	Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.
VII.		Smetium.	Cossonium.	Odescalcum.	Spanhemium.	Bizotinum.	Lehmannium.	Hirschium.	Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis.
VIII.		Lipsium.	Rainssantinum.	Foggianium.	Stradanum.	Norisium.	Rinckium.	Obermayrium.	Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.
IX.		Boissardinum.	Sponium.	Chevalierium.	Tristanium.	Molinetinum.	Koelerium.	Harzheimium.	Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis.
X.		Aringhium.	Vrsatinum.	Ainsworthium.	Biaeum.	Mediobarbium.	Froelichium.	Agostinum.	Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua.
XI.		Gudium.	Zarabellanum.	Fabrettinum.	Patinium.	Bandurium.	Negelinum.	Licetinum.	Scriptura capitalis, *mixta* literis vncialibus.
XII.		Ferretinum.	Boldonium.	Gronouium.	Morellium.	Fountainium.	Deverdeckium.	Gorlaeum.	Scriptura capitalis, mixta literis minutis.
XIII.		Bellorium.	Falconerium.	Graeuium.	Hottomannium.	Warburtonium.	Venutinum.	Ebermayrium.	Scriptura capitalis, mixta literis cursuis.
XIV.		Reinesium.	Verelium.	Moralesium.	Iobertinum.	Mellenium.	Schulzium.	Gesnerium.	Scriptura capitalis, mixta literis graecis & latinis.
XV.		Hickesium.	Dalaeum.	Chishullium.	Olearium.	Calmetinum.	Madaium.	Ficoronium.	Scriptura capitalis, mixta & coarctata simul.
XVI.		Seldenium.	Maluasianum.	Crassierium.	Luckium.	Hanthalerium.	Buonaruotinum.	Marieteum.	Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.
XVII.			Prideauxium.	Ciampinium.	Maurocenium.	Lochnerium.	Mazzolenium.	Lippertinum.	Scriptura capitalis inaequalis, h. e. literis altioribus & humilioribus mixta.
XVIII.			Anselmium.	Rodricium.	Hoffmannium.	Vaillantium.	Doederleinium.	Christium.	Scriptura capitalis, literarum figura inusitata insignis.
XIX.		Sauotinum.	Causeum.	Gallandinum.	Goltzium.	Swintonium.	Praunium.	Heynium.	Scriptura capitalis, inusitato scribendi modo (v. gr. a dextra sinistrorsum, it. versibus aut literis transpositis) conspicua.

Genera seriei III, hoc est, scripturae Romanae corruptissimae siue Neogothicae.

Nomina Generum.	Characteres generici.
Hoepingkium.	Scriptura Neogothica capitalis, eaque incipiens.
Thulemarium.	Scriptura Neogothica capitalis, eaque crescens.
Heineccium.	Scriptura capitalis semi-gothica.
Leyserium.	Scriptura Neogothica capitalis, dominans.
Huebnerium.	Scriptura Neogothica capitalis pura s. mere gothica.
Mannium.	Scriptura Neogothica capitalis rustica.
Casleyum.	Scriptura Neogothica capitalis irregularis s. magis barbara & rustica.
Iacksonium.	Scriptura Neogothica capitalis, mixta literis maiusculis & minusculis.
Caylusium.	Scriptura minuscula Romana pura, coaetanea scripturae minusculae Neogothicae.
Ihreum.	Scriptura minuscula Romana, mixta literis maiusculis & cursuis.
Knittelium.	Scriptura minuscula, mixta Neogothica.
Büttnerium.	Scriptura minuscula semi-gothica.
Murrayum.	Scriptura minuscula mere gothica.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0118-1

§. 80.

Regni artific. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus III, Fabricium.

I. Genus: *Fabricium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis. I. I.) 3. 1.) — 4.), item 7.).

II. Species, quarum diuersitas ex diuersitate curuae resectionis existit:

1. *Fabricia prima.* Apicibus basibusque ad modum clauae resectis.
2. *Fabricia secunda.* Capitalis minutior, apicibus basibusque ad modum clauae resectis.

* Haec species posset etiam pro *varietate Fabriciae primae* haberi.

3. *Fabricia tertia.* Apicibus basibusque ad modum margaritae resectis.
4. *Fabricia quarta.* Ductibus e margaritis vnice compositis.
5. *Fabricia quinta.* Apicibus basibusque ad modum globuli astrictorii resectis.

§. 81.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus IV, Le Poisium.

I. Genus: *Le Poisium.* Scriptura capitalis pura, inclinata. I. I.) 4. 1.) — 5.).

II. Species, ex inclinationis diuersitate oriundae:

1. *Le Poisia prima.* Literis dextrorsum inclinatis.
2. *Le Poisia secunda.* Literis sinistrorsum inclinatis.
3. *Le Poisia tertia.* Mixta ex literis erectis & inclinatis siue dextrorsum siue sinistrorsum.

§. 82.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus V, Welserium:

I. Genus: *Welserium.* Scriptura capitalis pura, eaque elegans, apicibus basibusque regulariter resectis. I. I.) 5. 1.) — 7.).

II. Species, ex elegantiae gradibus diuersis existentes:

1. *Welseria prima.* Scriptura ordinaria, alta & proportionata.
2. *Welseria secunda.* Elegantissima, sed paullulum alta minusque proportionata.
3. *Welseria tertia.* Admodum elegans, sed valde alta & tenuis interdum.

4. *Welseria quarta.* Scriptura paullum contrita & distracta, apicibus basibusque plerumque ad modum trianguli resectis.

5. *Welseria quinta.* Capitalis minuta, apicibus basibusque resectis.

6. *Welseria sexta.* Scriptura magis minusue quadrata in literis quibusdam.

7. *Welseria septima.* Literis quibusdam extraordinariis. E. gr. Transuersa τοῦ A angulum refert, cuius cuspis sursum conuersa est, & qui crura τῷ A nusquam attingit: deinde T simile est τῷ Γ Graecorum.

§. 83.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus VI, Kircherium.

I. Genus: *Kircherium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, cuius apices ac bases ex ipso literarum corpore nascuntur. I. I.). 6. 1.) — 9.).

II. Species, e resectionis potissimum diuersitate existentes:

1. *Kircheria prima.* Apicibus basibusque parum extensis, vel magis hinc, quam illinc cuspidatis, & ad formam trianguli resectis.

2. *Kircheria secunda.* Apicibus basibusque neque acutioribus, neque obtusioribus.

3. *Kircheria tertia.* Literis magis minusue quadratis, & apicibus basibusque ad modum semicircelli resectis.

4. *Kircheria quarta.* Apicibus basibusque bifidis.

5. *Kircheria quinta.* Scriptura paullulum tenuis & ad quadratam, in literis A, M, N & V, prope accedens, apicibus basibusque obtusius resectis.

6. *Kircheria sexta.* Apicibus basibusque partim regulariter, partim ad modum trianguli resectis.

7. *Kircheria septima.* Apicibus basibusque rustice nascentibus.

8. *Kircheria octaua.* Scriptura quadrata ordinaria, apicibus basibusque plerumque ad modum semicircelli resectis.

9. *Kircheria nona.* Literis altis & quadratis interdum, apicibus basibusque vix resectis.

§. 84.

§. 84.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus VII. Smetium:

I. Genus: *Smetium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis. I. I.). 7. 4.) & 6.).

II. Species, ex angulorum diuersitate oriundae:

1. *Smetia prima.* Apicibus basibusque triangularibus aut fere triangularibus.
2. *Smetia secunda.* Apicibus basibusque ad formam triangularem proxime accedentibus & interdum prolongatis.

§. 85.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus VIII, Lipsium.

I. Genus: *Lipsium.* Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta. I. I.). 8 1.) — 6.).

II. Species, ex ductuum superfluorum diuersitate ducendae:

1. *Lipsia prima.* Ductibus horizontalibus onusta.
2. *Lipsia secunda.* Ductibus perpendicularibus onusta.
3. *Lipsia tertia.* Ductibus obliquis onusta.
4. *Lipsia quarta.* Ductibus curuis, cornua interdum referentibus onusta.
5. *Lipsia quinta.* Apicibus basibusque in cuspides caudasque breues ac subtiles desinentibus.

* Auctores noui operis diplomatici sex species huius generis atrulerunt: sed exempla, ex quibus speciem quintam deduxerant, maiore iure, quantum nos quidem existimamus, partim ad speciem nostram tertiam, partim ad quartam referri possunt. Atque haec nos mouerunt, vt speciem illorum quintam omitteremus, eamque, quae illis sexta est, quinto loco poneremus.

§. 86.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus IX, Boissardinum.

I. Genus: *Boissardinum.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis. I. I.). 9. 1.) & 3.) — 6.).

II. Species:

1. *Boissardina prima.* Literis plurimis & tantum non omnibus curuatis.
2. *Boissardina secunda.* Mixta ex literis curuatis & erectis.
3. *Boissardina tertia.* Apicibus basibusque resectis, cum literis quibusdam, O nempe, D, G, R, intus gibbosis.
4. *Boissardina quarta.* Literis E & G, quae ex duplici semicirculo coagmentatae sunt, potissimum insignis.
5. *Boissardina quinta.* Apicibus basibusque ad modum semicircelli resectis.

§. 87.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus X, Aringhium.

I. Genus: *Aringhium*: Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua. I. I.). 10. 1.) — 5.).

II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:

1. *Aringhia prima.* Apicibus basibusque non resectis.
2. *Aringhia secunda.* Apicibus basibusque ad formam clauae resectis.
3. *Aringhia tertia.* Ductibus quibusdam inclinatis, apicibus basibusque oblique resectis.
4. *Aringhia quarta.* Apicibus basibusque regulariter resectis.
5. *Aringhia quinta.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.

§. 88.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus XI, Gudium.

I. Genus: *Gudium.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus. I. II.). 1. 1.), 2.), 3.), 5.), 7.), & 11.).

II. Species:

1. *Gudia prima.* Mixta E vnciali.
2. *Gudia secunda.* Mixta L vnciali.
3. *Gudia tertia.* Mixta V vnciali.
4. *Gudia quarta.* Mixta Q vnciali.
5. *Gudia quinta.* Mixta pluribus literis vncialibus, iisque non resectis.
6. *Gudia sexta.* Mixta pluribus literis vncialibus, cum nonnullis literis extraordinariis.

§. 89.

§. 89.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus XII, Ferretinum.

I. Genus: *Ferretinum.* Scriptura capitalis mixta literis minusculis solitariis, inprimis *b, m, n, t, u.* I. II.). 2. 1.), 3.), 6.).

II. Species:

1. *Ferretina prima.* Mixta literis minusculis solitariis & vncialibus simul, apicibus basibusque non resectis.
2. *Ferretina secunda.* Mixta literis tantum minusculis solitariis, apicibus basibusque regulariter resectis.
3. *Ferretina tertia.* Ductibus interruptis conspicua.

§. 90.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus XIII. Bellorium.

I. Genus: *Bellorium.* Scriptura capitalis mixta literis vnitis seu cursiuis. I. II.). 3. 1.), 2.), 4.), 5.), 6.).

II. Species:

1. *Belloria prima.* Scriptura ad cursiuam prope accedens aut eam supponens, literis pluribus incuruatis, & apicibus basibusque in cuspides caudasque curuas nunc breuiores, nunc longiores desinentibus.
2. *Belloria secunda.* Scriptura crassa, apicibus basibusque rotundatis, mixta literis minutis & cursiuis.
3. *Belloria tertia.* Scriptura antiqua pure cursiua, aut mixta tantum literis quibusdam vncialibus & minutis.
4. *Belloria quarta.* Scriptura antiqua, rustica, mixta capitalibus, vncialibus & cursiuis literis.
5. *Belloria quinta.* Mixta literis quibusdam cursiuis, pluribus minutis, multisque irregularibus.

§. 91.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuersae: Genus XIV, Reinesium.

I. Genus: *Reinesium.* Scriptura capitalis mixta literis graecis & latinis. I. II.). 6. 1.), 2.), item 3.) & 7.).

II. Species:
1. *Reineſia prima.* Lingua graeca, literis graecis & latinis.
2. *Reineſia ſecunda.* Lingua graeca & latina, literis graecis & latinis.
3. *Reineſia tertia.* Lingua latina, literis graecis & latinis.

§. 92.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuerſae: Genus XV, Hickeſium.

I. Genus: *Hickeſium* Scriptura capitalis mixta & coarctata ſimul.
II. Species, pro mixtionis ratione diuerſae:
1. *Hickeſia prima.* Mixta literis vncialibus. I. II.). 8. 1.). Exemplum 2. & 4.

§. 93.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuerſae: Genus XVI, Seldenium.

I. Genus: *Seldenium.* Scriptura capitalis, irregulari literarum ſitu conſpicua.
II. Species:
1. *Seldenia prima.* Literis omnibus inuerſis. I. II.). 4. 9.). Exemplum 1. & 2.
2. *Seldenia ſecunda.* Literis quibuſdam inuerſis. I. II.). 4. 7.). Exemplum 1.
3. *Seldenia tertia.* Litera S vel iacente, vel conuerſa. I. II.). 4. 10.).

§. 94.

Regni artif. Series I, Scriptura Romana vetus: Partitio I. & II, parum diuerſae: Genus XVII. Sauotinum.

I. Genus: *Sauotinum.* Scriptura capitalis inuſitato ſcribendi modo inſignis.
II. Species:
1. *Sauotina prima.* Verſibus ſeu lineis a dextra ſiniſtrorſum ductis. I. II.). 4. 1.). Exemplum 1. & 2.
2. *Sauotina ſecunda.* Primo verſu a dextra ſiniſtrorſum ducto, reliquis ab imo dextro ad ſummum dextrum, & hinc a ſummo ſiniſtro ad imum ſiniſtrum exaratis, literis ſimul omnibus inuerſis. I. II.). 4. 9.). Exemplum 3.

§. 95.

§. 95.

Regni artificialis Series II, Scriptura Romano-Barbara s. Teutonica: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus I, Allatium.

I. Genus: *Allatium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque non resectis.

II. Species, a ductuum diuersitate arcessendae:

1. *Allatia prima.* Scriptura crassa & rustica. I. I.). 1. 7). Exemplum 2.

§. 96.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus II, Suaresium.

I. Genus: *Suaresium.* Scriptura capitalis pura, eaque rustica.

II. Species, rusticitatis s. deformitatis gradibus distinguendae.

1. *Suaresia prima.* Literis longis ac tenuibus. I. I.). 2. 4.).
2. *Suaresia secunda.* Literis sinuosis & paullulum tremulis. I. I.). 2. 5.).

§. 97.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus III, Wormium.

I. Genus: *Wormium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis.

II. Species, ex diuersitate resectionis curuae existentes.

§. 98.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus IV, Chisletium.

I. Genus: *Chisletium.* Scriptura capitalis pura, inclinata.

II. Species, ex inclinationis diuersitate oriundae.

§. 99.

§. 99.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus V, Strauolſcium.

I. Genus, *Strauolſcium.* Scriptura capitalis pura, eaque elegans, apicibus baſibuſque regulariter reſectis.

II. Species, ex elegantiae gradibus diuerſis exiſtentes:

1. *Strauolſcia prima.* Parum elegans, literis quibuſdam extraordinariis conſpicua. E. gr. Apex ꝛ̃ I dextrorſum vncinatus eſt: transuerſa ꝛ̃ A ex crure ſiniſtro dependet. I. I.). 5. 7.). Exemplum 3.

§. 100.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Sciptura Langobardica: Genus VI, Chimentellium.

I. Genus: *Chimentellium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, cuius apices ac baſes ex ipſo literarum corpore naſcuntur.

II. Species, e reſectionis potiſſimum diuerſitate exiſtentes:

1. *Chimentellia prima.* Apicibus baſibuſque parum extenſis, vel magis hinc, quam illinc cuſpidatis. I. I.). 6. 1). Exemplum 5.
2. *Chimentellia ſecunda.* Apicibus baſibuſque bifidis. I. I.). 6. 4.). Exemplum 5. & 6.
3. *Chimentellia tertia.* Scriptura quadrata, apicibus baſibuſque plerumque cuſpidatis, tranſuerſa ꝛ̃ A nunc obliquata, nunc ad modum cantherii inuerſi ducta, nunc regulari. I. I.). 6. 10.). Exemplum 1 — 8.
4. *Chimentellia quarta.* Ductibus craſſis, cruribus interruptis. I. I.). 6. 11.). Exemplum 2. & 3.

§. 101.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus VII, Coſſonium.

I. Genus: *Coſſonium.* Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque anguloſis.

II. Species, ex angulorum diuerſitate ducendae:

1. *Coſ-*

1. *Cossonia prima.* Quadrata, angulis interioribus, oblique vel parum resecta. I. I.). 7. 1.). Exemplum 1 — 4.
2. *Cossonia secunda.* Apicibus basibusque nonnullis triangularibus, solidis vel complanatis, & a reliquis ductibus literarum separatis. I. I.). 7. 2.). Exemplum 2.
3. *Cossonia tertia.* Apicibus basibusque, literarum potissimum A & V, in triangula interiora desinentibus. I. I.). 7. 5.). Exemplum 1, 2, 4, 5.

§. 102.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus VIII, Rainssantinum.

I. Genus: *Rainssantinum.* Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.

II. Species, ex ductuum superfluorum diuersitate existentes:
1. *Rainssantina prima.* Ductibus horizontalibus onusta. I. I.). 8. 1.). Exemplum 3, 8, 13, 14.

§. 103.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus IX, Sponium.

I. Genus: *Sponium.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis.

II. Species:
1. *Sponia prima.* Literis E, G & T extraordinariis: nam duae priores E & G ex duplici semicirculo coagmentatae sunt, T vero transuersam vtrimque vncinatam habet. I. I). 9. 5.).
2. *Sponia secunda.* Apicibus basibusque ad modum semicircelli resectis. I. I.). 9. 6.). Exemplum 1. & 6.

§. 104.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus X, Vrsatinum.

I. Genus: *Vrsatinum.* Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua.

II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:

1. *Vrsatina prima.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus. I. I.). 10. 5.). Exemplum 2. & 8.
2. *Vr atina secunda.* Multis literis curuatis, apicibus basibusque non resectis. I. I.) 10. 7.). Exemplum 3.

§. 105.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XI, Zarabellanum.

I. Genus: *Zarabellanum.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus.

II. Species:

1. *Zarabellana prima.* Mixta E vnciali. I. II.). 1. 1.). Exemplum 4. & 5.
2. *Zarabellana secunda.* Mixta pluribus literis vncialibus, ductibus interdum separatis. I. II.). 1. 7.). Exemplum 2.

§. 106.

Regni artific. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XII, Boldonium.

I. Genus: *Boldonium.* Scriptura capitalis mixta literis minusculis solitariis, inprimis *b, m, n, t, u.*

II. Species:

1. *Boldonia prima.* Mixta vncialibus, cum *m* minusculo. I. II.) 2. 4.). Exemplum 3. & 4.

§. 107.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XIII, Falconerium.

I. Genus: *Falconerium.* Scriptura capitalis mixta literis vnitis s. cursuis.

II. Species.

§. 108.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XIV, Verelium.

I. Genus: *Verelium.* Scriptura capitalis mixta literis graecis & latinis.

II. Species:

1. *Verelia prima.* Lingua latina, literis graecis & latinis. I. II.). 6. 7.). Exemplum 2. sqq.

§. 109.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XV, Dalaeum.

I. Genus: *Dalaeum.* Scriptura capitalis mixta & coarctata simul.

II. Species, prout literae vel ex vncialibus, vel ex minutis, minusculis cet. mixtae sunt, diuersae.

§. 110.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XVI, Maluasianum.

I. Genus: *Maluasianum.* Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.

II. Species, inde existentes, prout literae vel contra morem inclinatae sunt, vel conuersae, vel iacentes, vel inuersae, item supra vel infra lineam positae.

§. 111.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XVII, Prideauxium.

I. Genus: *Prideauxium.* Scriptura capitalis inaequalis, hoc est, cuius literae partim altiores sunt, partim humiliores.

II. Species:

1. *Prideauxia prima.* Literis quibusdam inclinatis. I. II.). 5. 5.). Exemplum 5.

§. 112.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XVIII, Anſelmium.

I. Genus: *Anſelmium.* Scriptura capitalis, literarum figura inuſitata inſignis.

II. Species.

§. 113.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio I, Scriptura Langobardica: Genus XIX, Cauſeum.

I. Genus: *Cauſeum.* Scriptura capitalis, inuſitato ſcribendi modo (v. gr. a dextra verſus ſiniſtram) conſpicua.

II. Species.

---

§. 114.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wiſigothica: Genus I, Salomonium.

I. Genus: *Salomonium.* Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque non reſectis.

II. Species, a ductuum diuerſitate arceſſendae.

§. 115.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wiſigothica: Genus II, Bonanninum.

I. Genus: *Bonanninum.* Scriptura capitalis pura, eaque ruſtica.

II. Species, ruſticitatis ſ. deformitatis gradibus diſtinguendae.

§. 116.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wiſigothica: Genus III, Iacobaeum.

I. Genus: *Iacobaeum.* Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque curue reſectis.

II. Species, ex diuerſitate curuae reſectionis exiſtentes.

1. *Ia-*

1. *Iacobaea prima.* Apicibus basibusque in margaritas desinentibus. I. I.). 3. 5.). Exemplum 2.

§. 117.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano - Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus IV, Spelmannium.

I. Genus: *Spelmannium.* Scriptura capitalis pura, inclinata.

II. Species, ex inclinationis diuersitate oriundae.

§. 118.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus V, Sandrartinum.

I. Genus: *Sandrartinum.* Scriptura capitalis pura, eaque elegans, apicibus basibusque regulariter resectis.

II. Species, ex elegantiae gradibus diuersis existentes.

§. 119.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus VI, Dodwellium.

I. Genus: *Dodwellium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.

II. Species, e resectionis potissimum diuersitate existentes.

§. 120.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus VII, Odescalcum.

I. Genus: *Odescalcum.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis.

II. Species, ex angulorum diuersitate ducendae:

1. *Odescalca prima.* Apicibus basibusque ad formam triangularem proxime accedentibus, & prolongatis interdum, I. I.). 7. 6.). Exemplum 3, 4, 5.

§. 121.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus VIII, Fogginium.

I. Genus: *Fogginium.* Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.

II. Species, ex ductuum superfluorum diuersitate ducendae:

1. *Fogginia prima.* Ductibus horizontalibus onusta. I. I.). 8. 1.). Exemplum 4.
2. *Fogginia secunda.* Ductibus perpendicularibus onusta. I. I.). 8. 2.). Exemplum 1.
3. *Fogginia tertia.* Ductibus obliquis onusta. I. I.). 8. 3.). Exemplum 2, 3, 4.

§. 122.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus IX, Chevalierium.

I. Genus: *Chevalierium.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis.

II. Species.

§. 123.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus X, Ainsworthium.

I. Genus: *Ainsworthium.* Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua.

II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:

1. *Ainsworthia prima.* Ductibus prominentibus ac superfluis onusta, inprimis litera V ad formam $\overline{\text{rs}}$ Y ducta. I. I.). 10. 6.). Exemplum 1.

§. 124.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus XI, Fabrettinum.

I. Genus: *Fabrettinum.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus.

II. Species:

1. *Fabrettina prima.* Mixta pluribus literis vncialibus, I. II.). 1. 4.). Exemplum 11.

2. *Fa-*

2. *Fabrettina secunda.* Mixta literis pluribus vncialibus cum quibusdam extraordinariis. I. II.). 1. 11.). Exemplum 6.

§. 125.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus XII, Gronouium.

I. Genus: *Gronouium.* Scriptura capitalis, mixta literis minusculis solitariis, inprimis *b, m, n, t, u.*

II. Species.

§. 126.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus XIII, Graeuium.

I. Genus: *Graeuium.* Scriptura capitalis mixta literis cursiuis.

II. Species:

1. *Graeuia prima.* Ductibus plerisque curuis. I. II.). 3. 7.).

§. 127.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus XIV, Moralesium.

I. Genus: *Moralesium.* Scriptura capitalis mixta literis graecis & latinis.

II. Species:

1. *Moralesia prima.* Lingua latina, literis graecis & latinis, cum V simili τῷ Y. I. II.). 6. 5.). Exemplum 1. & 2.
2. *Moralesia secunda.* Lingua latina, literis graecis & latinis, cum O rhombi longioris formam habente. I. II.). 6. 5.). Exemplum 3.

§. 128.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wisigothica: Genus XV, Chisbullium.

I. Genus: *Chisbullium.* Scriptura capitalis mixta & coarctata simul.

II. Species, pro mixtarum literarum ratione diuersae:

1. *Chisbullia prima.* Mixta literis vncialibus, minutis, extraordinariis. I. II.). 8 2.). Exemplum 1.
2. *Chisbullia secunda.* Mixta literis vncialibus, minutis, cursiuis, graecis. I. II.). 8. 4.). Exemplum 1.

3. *Chis-*

3. *Chifhullia tertia.* Mixta literis vncialibus. I. II.). 9. 1.). Exemplum 1, 3 — 7, item I. II.). 9. 2.). Exemplum 3.
4. *Chifhullia quarta.* Mixta literis vncialibus & minutis. I. II.). 9. 2.). Exemplum 2.

§. 129.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wifigothica: Genus XVI, Craffierium.

I. Genus: *Craffierium.* Scriptura capitalis, irregulari literarum fitu conſpicua.

II. Species, inde exiſtentes, prout literae vel contra morem inclinatae ſunt, vel conuerſae, iacentes, inuerſae, item ſupra vel infra lineam poſitae.

§. 130.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wifigothica: Genus XVII, Ciampinium.

I. Genus: *Ciampinium.* Scriptura capitalis inaequalis, hoc eſt, literis partim altioribus, partim humilioribus conſtans.

II. Species.

§. 131.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wifigothica: Genus XVIII, Rodricium.

I. Genus: *Rodricium.* Scriptura capitalis, literarum figura inuſitata inſignis.

II. Species:

1. *Rodricia prima.* Mixta literis, quas in Hiſpania pro Saxonicis venditant. I. II.). 7. 2.).

§. 132.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio II, Scriptura Wifigothica: Genus XIX, Gallandinum.

I. Genus: *Gallandinum.* Scriptura capitalis, inuſitato ſcribendi modo (v. gr. a dextra ſiniſtrorſum) conſpicua.

II. Species.

§. 133.

§. 133.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus I, Oudendorpium.

I. Genus: *Oudendorpium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque non resectis.

II. Species, a ductuum diuersitate arcessendae.

§. 134.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus II, Gorium.

I. Genus: *Gorium.* Scriptura capitalis pura, eaque rustica.

II. Species, rusticitatis s. deformitatis gradibus distinguendae.

§. 135.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus III, Saxium.

I. Genus: *Saxium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis.

II. Species, e curuae resectionis diuersitate existentes:

1. *Saxia prima.* Apicibus basibusque in margaritas desinentibus. I. I.). 3. 5.). Exemplum 6.

§. 136.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus IV, Hagenbuchium.

I. Genus: *Hagenbuchium.* Scriptura capitalis pura, inclinata.

II. Species, ex inclinationis diuersitate oriundae.

§. 137.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus V, Winckelmannium.

I. Genus: *Winckelmannium.* Scriptura capitalis pura, eaque elegans, apicibus basibusque regulariter resectis.

II. Species, ex elegantiae gradibus diuersis existentes.

§. 138.

Regni artific. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus VI, Nassarium.

I. Genus: *Nassarium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.

II. Species, e resectionis potissimum diuersitate, vel ductuum qualitate existentes:

1. *Nassaria prima.* Scriptura quadrata, apicibus basibusque partim oblique, partim ad modum semicircelli resectis, cum V simili τῷ Y. I. I.). 6. 8.). Exemplum 4.

2. *Nassaria secunda.* Ductibus crassis, cruribus τῶ A & V interruptis vel parum cohaerentibus. I. I.). 6. 11.). Exemplum 4. & 5.

§. 139.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus VII, Spanhemium.

I. Genus: *Spanhemium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis.

II. Species, ex angulorum diuersitate ducendae:

1. *Spanhemia prima.* Apicibus basibusque nonnullis triangularibus, solidis vel complanatis, & a reliquis ductibus literarum separatis. I. I.). 7. 2.). Exemplum 1.

2. *Spanhemia secunda.* Triangulis coniunctis & transuersis separatis deformiter, apicibus basibusque solidis ac separatis in literis quibusdam. I. I.). 7. 3.). (*).

(*) Exempla haec possunt etiam ad genus nostrum XIX, infra proponendum, referri.

3. *Span-*

3. *Spanhemia tertia.* Transuersis ac fulcris triangularibus vel paene triangularibus. I. I.). 7. 4). Exemplum 3, 4, 5. (*).

(*) Exemplum primum potest quoque ad genus nostrum XIX, infra commemorandum, referri.

4. *Spanhemia quarta.* Apicibus basibusque in triangula interiora desinentibus. I. I.). 7. 5.). Exemplum 3.

5. *Spanhemia quinta.* Apicibus basibusque ad formam triangularem proxime accedentibus, & prolongatis interdum. I. I.). 7. 6). Exemplum 13. & 14.

§. 140.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus VIII, Stradanum.

I. Genus: *Stradanum.* Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.

II. Species, ex ductuum superfluorum diuersitate existentes:

1. *Stradana prima.* Ductibus horizontalibus onusta. I. I.). 8. 1.). Exemplum 7, 10, 11, 12.

2. *Stradana secunda.* Ductibus perpendicularibus onusta. I. I.). 8. 2.). Exemplum 2.

§. 141.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus IX, Tristanium.

I. Genus: *Tristanium.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis.

II. Species:

1. *Tristania prima.* Literis quibusdam vno ductu formatis, & intrinsecus curuatis. I. I.). 9. 2.). Exemplum 1. & 2.

2. *Tristania secunda.* Apicibus basibusque resectis, cum literis quibusdam intus gibbosis. I. I.). 9. 4.). Exemplum 2. (*)

(*) In hoc exemplo sculptor gibbum literarum interiorem parum expressit.

3. *Tristania tertia.* Apicibus basibusque ad modum semicircelli resectis. I. I.). 9. 7.). Exemplum 1.

§. 142.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus X, Biaeum.

I. Genus: *Biaeum.* Scriptura capitalis pura, eaque coarctata.
II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:
1. *Biaea prima.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus. I. I.). 10. 5.). Exemplum 4, 5, 7, 9.
2. *Biaea secunda.* Ductibus prominentibus & superfluis onusta, cum V simili τῷ Y. I. I.). 10. 6.). Exemplum 2.

§. 143.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XI, Patinium.

I. Genus: *Patinium.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus.
II. Species:
1. *Patinia prima.* Mixta pluribus literis vncialibus. I. II.). 1. 4.). Exemplum 1. & 6.
2. *Patinia secunda.* Mixta pluribus literis vncialibus, cum literis quibusdam in caudas admodum longas desinentibus. I. II.) 1. 6.). Exemplum 2.
3. *Patinia tertia.* Mixta M vnciali, ad modum τᾶ Y formato. I. II.). 1. 8.).

§. 144.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XII, Morellium.

I. Genus: *Morellium.* Scriptura capitalis, mixta literis minusculis solitariis, praesertim *b, m, n, t, u.*
II. Species:
1. *Morellia prima.* Mixta *r* minusculo, vel ad minusculam formam proxime accedenti, apicibus basibusque parum resectis. I. II.). 2. 2). Exemplum 2. & 4.
2. *Morellia secunda.* Ductibus superfluis, horizontalibus inprimis onusta. I. II.). 2. 4.). Exemplum 1, 5, 7, 8.

3. *Mo-*

3. *Morellia tertia.* Ductibus interruptis. I. II.). 2. 6.). Exemplum 3.
4. *Morellia quarta.* Apicibus basibusque plurimis simpliciter resectis, paucis trifidis. I. II.). 2. 7.).

§. 145.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XIII, Hottomannium.

I. Genus: *Hottomannium.* Scriptura capitalis, mixta literis cursiuis.
II. Species.

§. 146.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XIV, Iobertinum.

I. Genus: *Iobertinum.* Scriptura capitalis, mixta literis graecis & latinis.
II. Species:
1. *Iobertina prima.* Lingua latina, literis graecis & latinis. I. II.) 6. 6.).

§. 147.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XV, Olearium.

I. Genus: *Olearium.* Scriptura capitalis mixta & coarctata simul.
II. Species, pro mixtarum literarum ratione diuersae:
1. *Olearia prima.* Mixta literis extraordinariis. I. II.). 8. 2.). Exemplum 3.

§. 148.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XVI, Luckium.

I. Genus: *Luckium.* Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.
II. Species, inde ducendae, prout literae vel contra morem inclinatae sunt, vel conuersae, iacentes, inuersae, item supra vel infra lineam positae.

1. *Luckia prima.* Literis quibusdam inuersis. I. II.). 4. 1.). Exemplum 6. & 7.
2. *Luckia secunda.* Literis sinistrorsum conuersis. I. II.). 4. 2.) Exemplum 1, 2, 3.
3. *Luckia tertia.* Literis partim conuersis, partim inuersis. I. II.). 4. 11.). Exemplum 2. (*)

(*) Exemplum hoc potest etiam ad genus nostrum XIX. referri.

4. *Luckia quarta.* Literis contra morem inclinatis. I. II.) 5. 1.).

§. 149.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XVII, Maurocenium.

I. Genus: *Maurocenium.* Scriptura capitalis inaequalis, hoc est, literis altioribus & humilioribus mixta.

II. Species:

1. *Maurocenia prima.* Literis quadratis, parum resectis. I. II.). 5. 4.).
2. *Maurocenia secunda.* Literis quadratis, rustice resectis. I. II.). 5. 5.). Exemplum 4.

§. 150.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Scriptura Anglo-Saxonica: Genus XVIII, Hoffmannium.

I. Genus: *Hoffmannium.* Scriptura capitalis, literarum figura inusitata insignis.

II. Species:

1. *Hoffmannia prima.* Literis quadratis, apicibus basibusque non resectis. I. II.). 5. 2.). Exemplum 2. & 3.
2. *Hoffmannia secunda.* Mixta literis, quas in Anglia pro Saxonicis venditant. I. II.). 7. 3.).
3. *Hoffmannia tertia.* Mixta literis absurdis. I. II.). 7. 4).

§. 151.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio III, Script. Anglo-Saxonica: Genus XIX, Goltzium.

I. Genus: *Goltzium.* Scriptura capitalis, inusitato scribendi modo (v. gr. a dextra sinistrorsum, item versibus aut literis transpositis) conspicua.

II. Species:

II. Species:

1. *Goltzia prima.* Siniſtrorſum ſcripta. I. II.). 4. 1.). Exemplum 8. & 9.
2. *Goltzia ſecunda.* Siniſtrorſum ſcripta, literis pleriſque mutilis. I. II.). 4. 6.).
3. *Goltzia tertia.* Siniſtrorſum ſcripta, literis quibuſdam inuerſis. I. II.). 5. 2.). Exemplum 1.
4. *Goltzia quarta.* Verſibus ſeu lineis tranſpoſitis, ita, vt a ſecundo verſu incipiendum ſit, & hinc demum ad ſecundum ceteroſque veniendum. I. II.). 4. 3.).
5. *Goltzia quinta.* Verſibus eodem modo, quo praecedens, tranſpoſitis, ſed verſu ſecundo, a quo incipiendum eſt, literas ſiniſtrorſum conuerſas habente. I. II.). 4. 4.).
6. *Goltzia ſexta.* Literis duorum priorum verſuum tranſpoſitis, ita, vt a prima litera ſecundi verſus ad primam primi aſcendendum, & hinc ad ſecundam literam ſecundi verſus deſcendendum ſit, cet. I. II.). 4. 5.).
7. *Goltzia ſeptima.* Literis tranſpoſitis & inuerſis. I. II.). 4. 1.). Exemplum 10.

§. 152.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus I, Seguinium.

I. Genus: *Seguinium.* Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque non reſectis.

II. Species, a ductuum diuerſitate arceſſendae:

1. *Seguinia prima.* Ductibus paullo craſſioribus & ruſticis. I. I.). 1. 7.). Exemplum 1.

§. 153.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus II, Evelynium.

I. Genus: *Evelynium.* Scriptura capitalis pura, eaque ruſtica.

II. Species, ruſticitatis ſ. deformitatis gradibus diſtinguendae.

§. 154.

§. 154.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus III, Oudaanium.

I. Genus: *Oudaanium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis.

II. Species, ex diuersitate resectionis curuae existentes:

1. *Oudaania prima.* Apicibus basibusque in margaritas desinentibus, I. I.). 3. 3.). Exemplum 6.

1. *Oudaania secunda.* Apicibus basibusque in margaritas desinentibus, cum quibusdam extraordinariis & barbaris adeo literis. I. I.). 3. 5.). Exemplum 1.

§. 155.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus IV, Pedrusium.

I. Genus: *Pedrusium.* Scriptura capitalis pura, inclinata.

II. Species, ex inclinationis diuersitate existentes.

§. 156.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus V, Hottingerium.

I. Genus: *Hottingerium.* Scriptura capitalis pura, elegans, apicibus basibusque regulariter resectis.

II. Species, ex elegantiae gradibus diuersis oriundae:

1. *Hottingeria prima.* Scriptura ordinaria, alta & proportionata. I. I.). 5. 1.). Exemplum 10.

2. *Hottingeria secunda.* Literis nonnullis quadratis. I. I.). 5. 6.). Exemplum 4. & 5. (*).

(*) Prius exemplum potest etiam ad genus nostrum XVI. referri.

3. *Hottingeria tertia.* Litera E transuersis superiori & inferiori priuata. I. I.). 5. 7.). Exemplum 2.

§. 157.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus VI, Begerium.

I. Genus: *Begerium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.

II. Species, e resectionis potissimum diuersitate existentes.

§. 158.

§. 158.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus VII, Bizotinum.

I. Genus: *Bizotinum.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis.

II. Species, ex angulorum diuersitate oriundae:

1. *Bizotina prima.* Apicibus basibusque in triangula desinentibus. I. I.). 7. 6.). Exemplum 2.

§. 159.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus VIII, Norisium.

I. Genus: *Norisium.* Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.

II. Species, ex ductuum superfluorum diuersitate ducendae.

§. 160.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus IX, Molinetinum.

I. Genus: *Molinetinum.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus.

II. Species:

1. *Molinetina prima.* Apicibus basibusque ad modum semicircelli resectis. I. I.). 9. 6.). Exemplum 2. & 3.

§. 161.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus X, Mediobarbium.

I. Genus: *Mediobarbium.* Scriptura capitalis pura, literis coarctatis.

II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:

1. *Mediobarbia prima.* Apicibus basibusque non resectis. I. I.) 10. 1.).
2. *Mediobarbia secunda.* Apicibus basibusque oblique resectis. I. I.). 10. 3.).
3. *Mediobarbia tertia.* Apicibus basibusque partim non resectis, partim in cuspides caudasque curuas, ac bifidas interdum, desinentibus. I. I.). 10. 7.). Exemplum 2.

§. 162.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XI, Bandurium.

I. Genus: *Bandurium.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus.
II. Species:
1. *Banduria prima.* Mixta D vnciali. I. II.). 1. 3.). Exemplum 4.
2. *Banduria secunda.* Mixta pluribus literis vncialibus. I. II.). 1. 4.). Exemplum 4. & 5.
3. *Banduria tertia.* Mixta pluribus literis vncialibus, apicibus basibusque nonnullarum literarum in cuspides caudasque cochleatas aut crispatas desinentibus. I. II.). 1. 6.). Exemplum 1.
4. *Banduria quarta.* Mixta literis vncialibus, angulosis, quadratis aliisque extraordinariis. I. II.). 1. 11.). Exemplum 1, & 2.

§. 163.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XII, Fountainium.

I. Genus: *Fountainium.* Scriptura capitalis mixta literis minusculis solitariis, inprimis *b*, *m*, *n*, *t*, *u*.
II. Species:
1. *Fountainia prima.* Mixta *r* minusculo seu ad minusculam formam proxime accedenti, apicibus basibusque ad semicircelli modum resectis. I. II.). 2. 2.). Exemplum 1.
2. *Fountainia secunda.* Mixta *m* & *n* minusculis, apicibus basibusque resectis. I. II.). 2. 3.). Exemplum 9.
3. *Fountainia tertia.* Mixta *b* minusculo, apicibus basibusque resectis. I. II.). 2. 3.). Exemplum 10.

§. 164.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XIII, Warburtonium.

I. Genus: *Warburtonium.* Scriptura capitalis, mixta literis cursiuis.
II. Species.

§. 165.

§. 165.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XIV, Mellenium.

I. Genus: *Mellenium.* Scriptura capitalis, mixta literis graecis & latinis.

II. Species:

1. *Mellenia prima.* Lingua latina, literis latinis & graecis. I. II.). 6, 4.). Exemplum 1 — 6.

§. 166.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XV, Calmetinum.

I. Genus: *Calmetinum.* Scriptura capitalis, mixta & coarctata simul.

II. Species, pro mixtarum literarum ratione diuersae:

1. *Calmetina prima.* Mixta literis cubantibus. I. II.). 8. 1.). Exemplum 6.
2. *Calmetina secunda.* Mixta literis, vel forma, vel situ irregularibus. I. II.). 8. 3.). Exemplum 1.
3. *Calmetina tertia.* Mixta literis graecis, & minusculis ac cursiuis latinis. I. II.). 8. 4.). Exemplum 2.

§. 167.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XVI, Hanthalerium.

I. Genus: *Hanthalerium.* Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.

II. Species, inde ducendae, prout literae vel contra morem inclinatae sunt, vel conuersae, iacentes, inuersae, item supra vel infra lineam positae:

1. *Hanthaleria prima.* Literis quibusdam inuersis. I. II.). 4. 7.). Exemplum 1; item I. II.). 4. 10.). Exemplum 11.
2. *Hanthaleria secunda.* Literis quibusdam iacentibus. I. II.). 4. 10.). Exemplum 1, 3, 8, 10, 12, 13; item I. II.). 7. 5.). Exemplum 2. & 3.
3. *Hanthaleria tertia.* Literis quibusdam dextrorsum conuersis. I. II.). 4. 10.). Exemplum 2; item I. II.). 7. 5.). Exemplum 4.

4. *Hanthaleria quarta.* Literis quibusdam partim inuersis, partim iacentibus. I. II.). 4. 10.). Exemplum 7. & 9.

§. 168.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XVII, Lochnerium.

I. Genus: *Lochnerium.* Scriptura capitalis inaequalis, hoc est, literis altioribus & humilioribus mixta.

II. Species.

§. 169.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XVIII, Vaillantium.

I. Genus: *Vaillantium.* Scriptura capitalis, literarum figura inusitata insignis.

II. Species:

1. *Vaillantia prima.* Mixta literis, quae in Gallia pro Saxonicis haberi solent. I. II.). 7. 1.). Exemplum 1, 2, 3.
2. *Vaillantia secunda.* Mixta literis barbaris & absurdis. I. II.). 7. 5.). Exemplum 1, 5, 6.

§. 170.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio IV, Scriptura Merouingica: Genus XIX, Swintonium.

I. Genus: *Swintonium.* Scriptura capitalis, inusitato scribendi modo (v. gr. a dextra sinistrorsum, item versibus aut literis transpositis) conspicua.

II. Species:

1. *Swintonia prima.* Sinistrorsum, ac simul in orbem scripta. I. II.). 4. 1.). Exemplum 4.
2. *Swintonia secunda.* Partim sinistrorsum, partim dextrorsum, vtrimque vero simul in orbem scripta. I. II.). 4. 7). Exemplum 2.
3. *Swintonia tertia.* Sinistrorsum, ac simul in orbem scripta, mixta literis iacentibus. I. II.). 4. 11). Exemplum 1.

§. 171.

§. 171.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus I, Le Blancium.

I. Genus: *Le Blancium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque non resectis.

II. Species, a ductuum diuersitate arcessendae.

§. 172.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus II, Saelendrium.

I. Genus: *Saelendrium.* Scriptura capitalis pura, eaque rustica.

II. Species, rusticitatis s. deformitatis gradibus distinguendae.

§. 173.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus III, Menêtrierium.

I. Genus: *Menêtrierium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis.

II. Species, ex diuersitate resectionis curuae existentes:

1. *Menêtrieria prima.* Apicibus basibusque in margaritas desinentibus. I. I.). 3. 3.). Exemplum 7. (*).

(*) Exemplum hoc ab auctoribus noui operis diplomatici ad hoc scripturae capitalis purae genus refertur; sed quoniam E vnciale habet, meliori iure ad genus nostrum XI, de quo infra (§. 181.) dicetur, referri potest.

2. *Menêtrieria secunda.* Apicibus basibusque in margaritas desinentibus, cum quibusdam extraordinariis & barbaris adeo literis. I. I.). 3. 5.). Exemplum 3 — 5. (*).

(*) Exempla haec possunt etiam ad genus XVII. referri.

3. *Menêtrieria tertia.* Basibus in ossicula desinentibus. I. I.). 3. 6.). (*)

(*) Exemplum hoc etiam generi XVII. adscribi potest.

§. 174.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus IV, Bouteroueum.

I. Genus: *Bouteroueum.* Scriptura capitalis pura, inclinata.

II. Species, ex inclinationis diuersitate existentes:

1. *Bouterouea prima.* Literis dextrorsum, & ex parte etiam sinistrorsum inclinatis. I. I.). 4. 4.). Exemplum 1 — 3.

§. 175.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus V, Vrsinium.

I. Genus: *Vrsinium.* Scriptura capitalis pura, elegans, apicibus basibusque regulariter resectis.

II. Species, ex elegantiae gradibus diuersis oriundae:

1. *Vrsinia prima.* Literis quibusdam quadratis. I, I.). 5. 6.). Exemplum 6 — 8.

§. 176.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus VI, Liebium.

I. Genus: *Liebium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.

II. Species, e resectionis potissimum diuersitate existentes:

1. *Liebia prima.* Apicibus basibusque parum extensis, vel magis hinc, quam illinc cuspidatis, & ad formam trianguli resectis. I. I.). 6. 1.). Exemplum 2.
2. *Liebia secunda.* Literis magis minusue quadratis, & apicibus basibusque fere ad modum semicircelli, s. arcuatim resectis. I, I.). 6. 3.). Exemplum 5 — 7.
3. *Liebia tertia.* Scriptura quadrata, apicibus basibusque plerumque cuspidatis. I. I.). 6. 10.). Exemplum 9.
4. *Liebia quarta.* Ductibus crassis, cruribus interruptis. I. I.). 6. 11.). Exemplum 1.
5. *Liebia quinta.* Apicibus basibusque partim resectis, partim ex ipso literarum corpore nascentibus. I. I.). 6. 12.).

§. 177.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus VII, Lehmannium.

I. Genus: *Lehmannium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis.

II. Spe-

II. Species, ex angulorum diuersitate oriundae:
1. *Lehmannia prima.* Transuersis & cruribus triangularibus, aut paene triangularibus. I. I.). 7. 4.). Exemplum 6. & 7.
2. *Lehmannia secunda.* Apicibus basibusque plerumque triangula, aut angulos insertos habentibus. I. I.). 7. 5.). Exemplum 2, 4 — 6.
3. *Lehmannia tertia.* Apicibus basibusque in triangula desinentibus. I. I.). 7. 6.) Exemplum 6 — 12.

§. 178.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus VIII, Rinckium.

I. Genus: *Rinckium.* Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.
II. Species, ex ductuum superfluorum diuersitate ducendae:
1. *Rinckia prima.* Ductibus horizontalibus onusta. I. I.). 8. 1.). Exemplum 5, 6, 9.

§. 179.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus IX, Koelerium.

I. Genus: *Koelerium.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis.
II. Species:
1. *Koeleria prima.* Mixta ex literis erectis & curuatis. I. I.). 9. 3.). Exemplum 5, 7, 8. Exemplum 7. potest etiam ad genus X. referri.
2. *Koeleria secunda.* Apicibus basibusque resectis, cum literis quibusdam intus gibbosis. I. I.). 9. 4.). Exemplum 3. & 4. Exemplum posterius ad genus X. meliori iure refertur.

§. 180.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus X, Froelichium.

I. Genus: *Froelichium.* Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua.
II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:
1. *Froelichia prima.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus. I. I.). 10. 5.). Exemplum 6. & 8.

2. *Froe-*

2. *Froelichia secunda.* Ductibus plerumque curuatis. I. I.). 10. 7.). Exemplum 1.

§. 181.

Regni artific. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XI, Negelinum.

I. Genus: *Negelinum.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus.
II. Species:
1. *Negelina prima.* Mixta pluribus literis vncialibus. I. II.). 1. 4.). Exemplum 6. & 7.
2. *Negelina secunda.* Mixta pluribus literis vncialibus, apicibus basibusque partim regulariter, partim curue resectis. I. II.). 1. 9.). Exemplum 2. & 3.
3. *Negelina tertia.* Mixta pluribus literis vncialibus, & inprimis M vnciali singularis formae conspicua. I. II.). 1. 12.). Exemplum 1.

§. 182.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XII, Deverdeckium.

I. Genus: *Deverdeckium.* Scriptura capitalis, mixta literis minusculis solitariis.
II. Species:
1. *Deverdeckia prima.* Minusculo *r* conspicua. I. II.). 2. 2.). Exempl. 5.
2. *Deverdeckia secunda.* Apicibus basibusque nunc parum resectis, nunc in angulos desinentibus. I. II.). 2. 4.). Exemplum 2 & 6.
3. *Deverdeckia tertia.* Apicibus basibusque partim regulariter, partim oblique resectis. I. II.). 2. 5.). Exemplum 3. & 5.

§. 183.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XIII, Venutinum.

I. Genus: *Venutinum.* Scriptura capitalis, mixta literis cursiuis.
II. Species:
1. *Venutina prima.* Mixta literis cursiuis & minutis simul. I. II.). 3. 3.).

§. 184.

§. 184.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XIV, Schulzium.

I. Genus: *Schulzium.* Scriptura capitalis mixta literis graecis & latinis.
II. Species.

§. 185.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XV, Madaium.

I. Genus: *Madaium.* Scriptura capitalis mixta & coarctata simul.
II. Species, pro mixtarum literarum ratione diuersae:
1. *Madaia prima.* Mixta literis cubantibus. I. II.). §. 1.). Exemplum 7 — 9.
(*) Exemplum 7. potest etiam ad genus XIX. referri.
2. *Madaia secunda.* Mixta literis barbaris. I. II.). §. 2.). Exemplum 2.
3. *Madaia tertia.* Mixta literis, vel forma, vel situ irregularibus. Exemplum 2 — 4.
4. *Madaia quarta.* Mixta literis vncialibus. I. II.). 9. 1.) Exemplum 2. & 9.

§. 186.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XVI, Buonarruotinum.

I. Genus: *Buonarroutinum.* Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.
II. Species, inde ducendae, prout literae vel contra morem inclinatae sunt, vel conuersae, iacentes, inuersae, item supra vel infra lineam positae.
1. *Buonarroutina prima.* Mixta literis partim extra lineam positis, partim inclinatis. I. II.). 5. 3.).

§. 187.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XVII, Mazzolenium.

I. Genus: *Mazzolenium.* Scriptura capitalis inaequalis, hoc est, literis altioribus & humilioribus mixta.

II. Species:

1. *Mazzolenia prima.* Literis simul coarctatis, inclinatis, inuersis &c. conspicua. I. II.). 5. 5.). Exemplum 1 — 3.

§. 188.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XVIII, Doederlinium.

I. Genus: *Doederlinium.* Scriptura capitalis, literarum figura inusitata insignis.

II. Species:

1. *Doederlinia prima.* Mixta literis, quae pro barbaris & absurdis in Gallia haberi solent. I. II.). 7. 5.). Exemplum 7 — 10.

§. 189.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio V, Scriptura Carolingica: Genus XIX, Praunium.

I. Genus: *Praunium.* Scriptura capitalis, inusitato scribendi modo (v. gr. a dextra siniſtrorsum, item versibus aut literis transpositis) conspicua.

II. Species:

1. *Praunia prima.* Scripta siniſtrorsum, literis simul coarctatis & inaequalibus. I. II.). 4. 1.). Exemplum 5.
2. *Praunia secunda.* Scriptura, cuius versus vnus dextrorsum, alter siniſtrorsum ac literis simul inuersis, exaratus est. I. II.). 4. 8.).

§. 190.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus I, Kundmannium.

I. Genus: *Kundmannium.* Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque non resectis.

II. Species, a ductuum diuersitate arcessendae.

§. 191.

§. 191.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus II, Muſſellium.

I. Genus: *Muſſellium.* Scriptura capitalis pura, eaque ruſtica.
II. Species, ruſticitatis ſ. deformitatis gradibus diſtinguendae.

§. 192.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus III, Mazzuchellium.

I. Genus: *Mazzuchellium.* Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque curue reſectis.
II. Species, ex diuerſitate reſectionis curuae exiſtentes.

§. 193.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus IV, Stoſchium.

I. Genus: *Stoſchium.* Scriptura capitalis pura, inclinata.
II. Species, ex inclinationis diuerſitate oriundae.

§. 194.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus V, Schlegelium.

I. Genus: *Schlegelium.* Scriptura capitalis pura, eaque elegans, apicibus baſibuſque regulariter reſectis.
II. Species, ex elegantiae gradibus diuerſis exiſtentes:
1. *Schlegelia prima.* Scriptura Capetingico-Scotica, admodum elegans, ſed parum proportionata. I. I.). 5. 2.). Exemplum 7.
2. *Schlegelia ſecunda.* Literis quibuſdam rudibus. I. I.). 5. 4.). Exemplum 4.

§. 195.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus VI, Hauercampium.

I. Genus: *Hauercampium.* Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus baſibuſque ex ipſo literarum corpore naſcentibus.

II. Species, e refectionis potiſſimum diuerſitate exiſtentes:

1. *Hauercampia prima.* Apicibus baſibuſque parum extenſis, vel magis hinc, quam illinc cuſpidatis, & ad formam trianguli refectis. I. I.). 6. 1.). Exemplum 3.
2. *Hauercampia ſecunda.* Apicibus baſibuſque neque acutioribus, neque obtuſioribus. I. I.). 6 2.). Exemplum 5. & 6.
3. *Hauercampia tertia.* Literis magis minuſue quadratis, & apicibus baſibuſque ad modum ſemicirculi refectis. I. I.). 6. 3.). Exemplum 8.

§. 196.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus VII, Hirſchium.

I. Genus: *Hirſchium.* Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque anguloſis.

II. Species, ex angulorum diuerſitate oriundae:

1. *Hirſchia prima.* Quadrata, angulis introrſum verſis. I. I.). 7. 1.). Exemplum 5.
2. *Hirſchia ſecunda.* Apicibus baſibuſque literarum quarumdam ſolidis vel complanatis, ac ſeparatis etiam a reliqua literarum figura. I. I.). 7. 2.). Exemplum 3 — 6.
3. *Hirſchia tertia.* Apicibus baſibuſque triangularibus aut fere triangularibus. I. I.). 7. 4.). Exemplum 8 — 12.

§. 197.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus VIII, Obermayrium.

I. Genus: *Obermayrium.* Scriptura capitalis pura, ductibus ſuperfluis ac prominentibus onuſta.

II. Species, ex ductuum ſuperfluorum diuerſitate ducendae.

§. 198.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus IX, Harzheimium.

I. Genus: *Harzheimium.* Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus inſignis.

II. Spe-

II. Species:
1. *Harzheimia prima.* Literis quibusdam intus curuatis, & vno calami ductu exaratis. I. I.). 9. 2.). Exemplum 3. & 4.

§. 199.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus X, Agostinum.

I. Genus: *Agostinum.* Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua.
II. Species, resectionis modo, vel ductuum diuersitate distinctae:
1. *Agostina prima.* Literis pluribus curuatis. I. I.). 10. 7.). Exemplum 4.

§. 200.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XI, Licetinum.

I. Genus: *Licetinum.* Scriptura capitalis, mixta literis vncialibus.
II. Species:
1. *Licetina prima.* Mixta pluribus literis vncialibus, in quibus M vnciale figura singulari est. I. II.). 1. 12.). Exemplum 3.

§. 201.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XII, Gorlaeum.

I. Genus: *Gorlaeum.* Scriptura capitalis, mixta literis minusculis solitariis.
II. Species:
1. *Gorlaea prima.* Mixta literis vncialibus & minusculis. I. II.). 2. 5.). Exemplum 2.

§. 202.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XIII, Ebermayrium.

I. Genus: *Ebermayrium.* Scriptura capitalis, mixta literis cursiuis.
II. Species.

§. 203.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XIV, Gesnerium.

I. Genus: *Gesnerium.* Scriptura capitalis, mixta literis graecis & latinis.
II. Species.

§. 204.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XV, Ficoronium.

I. Genus: *Ficoronium.* Scriptura capitalis, mixta & coarctata simul.
II. Species, pro mixtarum literarum ratione diuersae:
1. *Ficoronia prima.* Mixta literis vncialibus. I. II.). 9. 1.). Exemplum 5.
2. *Ficoronia secunda.* Mixta literis minusculis. I. II.). 9. 2.). Exemplum 1. & 5.

§. 205.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XVI, Marietteum.

I. Genus: *Marietteum.* Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.
II. Species, inde ducendae, prout literae vel contra morem inclinatae sunt, vel conuersae, iacentes, inuersae, item supra vel infra lineam positae:
1. *Mariettea prima.* Literis omnibus sinistrorsum conuersis, quamquam ipsa scriptura dextrorsum legenda est. I. II.). 4. 2.) Exempl. 4.

§. 206.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XVII, Lippertinum.

I. Genus: *Lippertinum.* Scriptura capitalis inaequalis, hoc est, literis altioribus & humilioribus mixta.
II. Species.

§. 207.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XVIII, Christium.

I. Genus: *Christium.* Scriptura capitalis, literarum figura inusitata insignis.
II. Species.

§. 208.

§. 208.

Regni artif. Series II, Scriptura Romano-Barbara: Partitio VI, Scriptura Capetingica: Genus XIX, Heynium.

I. Genus: *Heynium.* Scriptura capitalis, inusitato scribendi modo (v. gr. a dextra sinistrorsum, item versibus aut literis transpositis) conspicua.

II. Species:

1. *Heynia prima.* Literis multis transpositis atque inter se confusis. I. II.). 4. 12.). Exemplum 1 — 3.

---

§. 209.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus I, Hoepingkium.

I. Genus: *Hoepingkium.* Scriptura Neogothica capitalis, eaque incipiens: hoc est, vbi literae neogothicae, ad reliquas relatae, vix septimam vel octauam scripturae totius partem faciunt.

II. Species:

1. *Hoepingkia prima.* Scriptura ordinaria, eaque refecta. I. III.). (I.). 1. 1.). item 5.).
2. *Hoepingkia secunda.* Apicibus basibusque rotundatis. I. III.). (I.). 1. 2.).
3. *Hoepingkia tertia.* Apicibus basibusque accliuibus & decliuibus. I. III.). (I.). 1. 3.).
4. *Hoepingkia quarta.* Apicibus basibusque bifidis seu bifurcatis. I. III.). (I.). 1. 4.).
5. *Hoepingkia quinta.* Apicibus basibusque literarum neogothicarum C & E cuspidatis, reliquarum rotundatis. I. III.). (I.). 1. 6.).
6. *Hoepingkia sexta.* Literis quadratis & prolongatis, cum quibusdam literis, quarum bases & apices ductu horizontali superfluo onusti sunt. I. III.). (I.). 1. 7.).
7. *Hoepingkia septima.* Literis coarctatis conspicua. I. III.). (I.). 1. 8.).
8. *Hoepingkia octaua.* Literis quibusdam extraordinario modo (v. gr. sinistrorsum) scriptis conspicua. I. III.). (I.). 1. 9.).
9. *Hoepingkia nona.* Mixta literis graecis. I. III.). (I.). 1. 10.).

§. 210.

§. 210.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus II, Thulemarium.

I. Genus: *Thulemarium.* Scriptura Neogothica capitalis, eaque crescens, h. e. cuius tertiam vel quartam partem literae neogothicae constituunt. I. III.). (I.). 2. 1.) — 4.).

II. Species:

1. *Thulemaria prima.* Scriptura ordinaria.
2. *Thulemaria secunda.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.
3. *Thulemaria tertia.* Apicibus basibusque lineola recta resectis, cum literis quibusdam coarctatis.
4. *Thulemaria quarta.* Scriptura longa, coarctata, & mixta literis partim non resectis, partim minusculis.

§. 211.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus III, Heineccium.

I. Genus: *Heineccium.* Scriptura capitalis semi-gothica. I. III.). (I). 3. 1.) — 6.).

II. Species:

1. *Heineccia prima.* Scriptura ordinaria.
2. *Heineccia secunda.* Apicibus basibusque laxis s. diductis.
3. *Heineccia tertia.* Apicibus basibusque vnciantis.
4. *Heineccia quarta.* Apicibus basibusque bifidis.
5. *Heineccia quinta.* Literis in quincuncem seu ad formam literae V $\binom{s\ c}{i}$ dispositis.
6. *Heineccia sexta.* Literis conuersis conspicua.

§. 212.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus IV, Leyserium.

I. Genus: *Leyserium.* Scriptura Neogothica capitalis, dominans. I. III.). (I.). 4. 1.) — 12.).

II. Spe-

II. Species:
1. *Leyseria prima.* Scriptura ordinaria.
2. *Leyseria secunda.* Apicibus basibusque laxis seu diductis, & ex ipso literarum corpore nascentibus.
3. *Leyseria tertia.* Apicibus basibusque parum resectis.
4. *Leyseria quarta.* Ductibus vndulatis.
5. *Leyseria quinta.* Ductibus vndulatis, apicibus basibusque bifidis.
6. *Leyseria sexta.* Ductibus vndulatis simulque hispidis s. setosis.
7. *Leyseria septima.* Scriptura prolongata: transuersis literarum haud raro separatis.
8. *Leyseria octaua.* Literis macilentis.
9. *Leyseria nona.* Fulcris cruribusue ouatis s. curuatis.
10. *Leyseria decima.* Literis parum distantibus, cum angulis quibusdam prorumpentibus.
11. *Leyseria vndecima.* Scriptura negligentius exarata.
12. *Leyseria duodecima.* Literis coarctatis.

§. 213.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus V, Hueberium.

I. Genus: *Hueberium.* Scriptura Neogothica capitalis pura seu mere gothica. I. III.). (I). §. 1.) — 15.).

II. Species:
1. *Hueberia prima.* Scriptura ordinaria
2. *Hueberia secunda.* Apicibus basibusque resectis, & ita prolongatis, vt fulcra & crura se inuicem contingant.
3. *Hueberia tertia.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.
4. *Hueberia quarta.* Apicibus basibusque bifidis.
5. *Hueberia quinta.* Apicibus basibusque bifidis: ductibus interruptis.
6. *Hueberia sexta.* Apicibus basibusque bifidis: eadem scil. cum Hueberia quarta, quamquam auctoribus noui operis diplomatici vnam ab altera distinguere placuit.
7. *Hueberia septima.* Apicibus basibusque bifidis: ductibus vndulatis.
8. *Hueberia octaua.* Composita ex literis vndulatis.
9. *Hueberia nona.* Ductibus multarum literarum admodum curuatis.

10. *Hueberia decima.* Literis paullulum macilentis.
11. *Hueberia vndecima.* Literis longioribus.
12. *Hueberia duodecima.* Literis angulosis.
13. *Hueberia decima tertia.* Literis coarctatis.
14. *Hueberia decima quarta.* Literis coarctatis: apicibus basibusque bifidis.
15. *Hueberia decima quinta.* Literis conuersis.

§. 214.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus VI, Mannium.

I. Genus: *Mannium.* Scriptura Neogothica capitalis rustica. I. III.). (I.). 6. 1) — 9.).

II. Species:

1. *Mannia prima.* Apicibus basibusque simplicibus, sed vltra modum prolongatis.
2. *Mannia secunda.* Resecta ad modum valli accliuis.
3. *Mannia tertia.* Apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.
4. *Mannia quarta.* Triangularis, ductibus interdum interruptis, apicibus basibusque cuspidatis.
5. *Mannia quinta.* Apicibus basibusque bifidis.
6. *Mannia sexta.* Apicibus basibusque bifidis, angulis prorumpentibus, & literis coarctatis.
7. *Mannia septima.* Literis coarctatis, ac parum distantibus.
8. *Mannia octaua.* Angulis partim prorumpentibus, partim introrsum versis.
9. *Mannia nona.* Ductibus duplicibus & triplicibus.

§. 215.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus VII, Casleyum.

I. Genus: *Casleyum.* Scriptura Neogothica capitalis irregularis seu magis barbara & rustica. I. III.). (I.). 7. 1.) — 7.).

II. Species:

1. *Cas-*

1. *Casleya prima.* Resecta, & in caudas arcuatas desinens.
2. *Casleya secunda.* Literis curuis, interruptis & angulosis.
3. *Casleya tertia.* Angulosa & cuspidata, apicibus basibusque quarumdam literarum vnitis.
4. *Casleya quarta.* Literis partim quadratis, partim angulosis.
5. *Casleya quinta.* Literis coarctatis & crassioribus.
6. *Casleya sexta.* Literis crassis ac mirum in modum confusis.
7. *Casleya septima.* Angulosa, interrupta, angulis partim prorumpentibus, partim introrsum versis, mixta etiam literis minusculis.

§. 216.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus VIII, Iacksonium.

I. Genus: *Iacksonium.* Scriptura Neogothica capitalis, mixta literis maiusculis & minusculis. I. III.). (I.). §. 1.) — 5.).

II. Species:

1. *Iacksonia prima.* Mixta ex aequali fere numero maiuscularum & minuscularum literarum, apicibus basibusque bifidis.
2. *Iacksonia secunda.* Eadem, nisi quod furcis bifidis careat.
3. *Iacksonia tertia.* Scriptura, in qua literae minusculae (tam semiromanae angulosae, quam semi-gothicae) dominantur.
4. *Iacksonia quarta.* Eadem, nisi quod mixta sit ex romana minuscula pura & gothica cuspidata.
5. *Iacksonia quinta.* Scriptura, in qua literae minusculae cuspidatae & angulosae dominantur.

§. 217.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus IX, Caylusium.

I. Genus: *Caylusium.* Scriptura minuscula Romana pura, coaetanea scripturae minusculae Neogothicae. I. III.). (II.). 1. 1.). & 2.).

(*) *Scriptura minuscula Romana pura*, tamquam aemula scripturae minusculae Neogothicae, inde a fine saeculi XIII. ad medium vsque saeculum XV. durauit. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T.II. p. 688.

II. Species:

1. *Caylusia prima.* Scriptura ordinaria.
2. *Caylusia secunda.* Literis admodum macilentis.

§. 218.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus X, Ihreum.

I. Genus: *Ihreum.* Scriptura minuscula Romana, mixta literis maiusculis & cursiuis. I. III.). (II.). 2. 1.) — 4.).

II. Species:

1. *Ihrea prima.* Mixta maiusculis tantum literis quibusdam.
2. *Ihrea secunda.* Mixta literis cursiuis.
3. *Ihrea tertia.* Mixta literis maiusculis & cursiuis.
4. *Ihrea quarta.* Mixta literis cursiuis romanis, maiusculis & minusculis.

§. 219.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus XI, Knittelium.

I. Genus: *Knittelium.* Scriptura minuscula, mixta Neogothica. I. III.). (II.). 3. 1.) — 3.).

II. Species:

1. *Knittelia prima.* Magis Romana, quam Neogothica.
2. *Knittelia secunda.* Mixta ex literis minusculis mere Romano-Italicis & Neogothicis cuspidatis.
3. *Knittelia tertia.* Mixta ex literis minusculis Romanis & Neogothicis.

§. 220.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus XII, Büttnerium.

I. Genus: *Büttnerium.* Scriptura minuscula semi-gothica. I. III.). (II.). 4. 1.) — 3.).

* *Scriptura minuscula semi-gothica* potissimum saeculo XIV. inualuit. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. II. p. 691.

II. Species:

1. *Büttneria prima.* Magis minusue angulosa.

2. *Bütt-*

2. *Büttneria secunda.* Angulosa & cuspidata.
3. *Büttneria tertia.* Cuspidata, literis parum distantibus.

§. 221.

Regni artif. Series III, Scriptura Neogothica: Partitiones I, II, cet. parum diuersae: Genus XIII, Murrayum.

I. Genus: *Murrayum.* Scriptura minuscula mere gothica, I. III.) (II.). 5. 1.) — 10.).

* *Scriptura minuscula mere gothica* inde ab exeunte saeculo XIV. ad saeculum vsque XVI. in inscriptionibus regnauit. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. II. p. 692.

II. Species:
1. *Murraya prima.* Angulis suis conspicua.
2. *Murraya secunda.* Angulosa, & admodum arcta.
3. *Murraya tertia.* Angulosa & paullo arctior.
4. *Murraya quarta.* Literis arctioribus, macilentis & angulosis.
5. *Murraya quinta.* Angulosa, apicibus basibusque bifidis.
6. *Murraya sexta.* Varie vndulata.
7. *Murraya septima.* Literis arctioribus s. parum distantibus & cuspidatis.
8. *Murraya octaua.* Partim angulosa, partim triangularis.
9. *Murraya nona.* Apicibus basibusque in cuspides triangulares desinentibus.
10. *Murraya decima.* Scriptura arctior & cuspidibus foliis ac lateralibus hirsuta.

---

§. 222.

Regni artif. Series IV, Scriptura Romana renouata.

De *Scripturae Romanae renouatae* generibus ac speciebus aliquid hoc loco dicere superuacuum habemus, propterea quod eius specimina non solum per se tam nota sunt atque explorata, quam recentiorum diplomatum ratio omnis (§. 13.): sed etiam cum scriptura Romana veteri conueniunt; ad huius enim elegantiam scriptura recentior emendata est.

§. 223.

Genera scripturarum Romanarum ex regno librario.

Hactenus de generibus scripturarum Romanarum ex regno artificiali dictum est. Iam sequitur, vt de *generibus regni librarii* exponamus: quae quidem, breuitatis non magis, quam perspicuitatis caussa, *tabula* quadam, hic subiecta, explicare placuit. *Characteres generici* ex scripturarum literarumque diuisionibus, de quibus supra (§. 43. & 46.) diximus, depromti sunt.

§. 224.

Quomodo species in regno librario formandae sint?

Species in regno librario ex resectionis diuersitate (§. 37.), elegantiae vel rusticitatis gradibus (§. 47.), vocum cohaerentia vel separatione (§. 45.), ductuum singulari forma (§. 38.), interpunctionum & abbreuiaturarum vario vsu, vel defectu etiam (§. 51. sqq. & §. 56. sqq.), existunt.

§. 225.

Genera scripturarum Romanarum ex regno notariali.

Regni notarialis, quod artis diplomaticae proprium est, *genera* itidem tabula quadam singulari explicanda duximus. *Characteres generici* a signis abbreuiaturarum, supra (§. 58. sq.) propositis, optimo iure, quantum nos quidem existimamus, repetuntur.

§. 226.

Quomodo species in regno notariali formandae sint?

Species in regno notariali tam ex variis diuisionibus ductuum (§. 38.), literarum (§. 39 - 42, it. §. 44. & 46.), scripturarum (§. 43, 47, coll. praesertim §. 73. num. III.); quam ex accentuum (§. 48 - 50.) & interpunctionum (§. 51. sqq.) ratione, item, quamquam rarius, ex resectionis diuersitate (§. 37.), duci possunt.

§. 227.

1. Numerus Generum.	I. [illegible]othica. Partitio V. paHiſpaniae cet.	3. Characteres generici.
I.		Scriptura capitalis pura.
II.	I	Scriptura capitalis mixta literis vncialibus.
III.		Scriptura capitalis mixta literis minutis.
IV.	C	Scriptura capitalis mixta literis curſiuis.
V.		Scriptura capitalis mixta pluribus literarum generibus.
VI.	C	Scriptura capitalis mixta literis coarctatis.
VII.	C	Scriptura vncialis pura.
VIII.	S	Scriptura vncialis mixta literis capitalibus.
IX.	C	Scriptura vncialis mixta literis minutis.
X.	V	Scriptura vncialis mixta literis curſiuis.
XI.		Scriptura vncialis mixta pluribus literarum generibus.
XII.	I	Scriptura vncialis mixta literis coarctatis.
XIII.		Scriptura minuta pura.
XIV.		Scriptura minuta mixta literis capitalibus.
XV.		Scriptura minuta mixta literis vncialibus.
XVI.		Scriptura minuta mixta literis curſiuis.
XVII.		Scriptura minuta mixta pluribus literarum generibus.
XVIII.	Q	Scriptura curſiua pura.
XIX.	S	Scriptura curſiua mixta literis capitalibus.
XX.		Scriptura curſiua mixta literis vncialibus.
XXI.	A	Scriptura curſiua mixta literis minutis.
XXII.	P	Scriptura curſiua mixta pluribus literarum generibus.

1. Numerus Generum.	2. Nomina Generum singulorum (vid. §. 77.)											3. Characteres generici.
	I. Scr. Romana vetus.	II. Scriptura Romano-Barbara seu Teutonica.						III. Scriptura Romana corruptissima, siue Neogothica.				
	Partitiones II. parum diuersae.	Partitio I. Scr. Langobardica.	Partitio II. Scr. Wisigothica.	Partitio III. Scr. Anglo-Saxonica.	Partitio IV. Scr. Merouingica.	Partitio V. Scr. Carolingica.	Partitio VI. Scr. Capetingica.	Partitio I. Germaniae.	Partitio II. Italiae.	Partitio III. Britanniae.	Partitio IV. Galliae.	Partitio V. Hispaniae cet.	
I.	Ennium.												Scriptura capitalis pura.
II.	Plautinum.												Scriptura capitalis mixta literis vncialibus.
III.	Terentium.												Scriptura capitalis mixta literis minutis.
IV.	Catonium.												Scriptura capitalis mixta literis cursiuis.
V.	Vitruuium.												Scriptura capitalis mixta pluribus literarum generibus.
VI.	Caesareum.												Scriptura capitalis mixta literis coarctatis.
VII.	Ciceronium.												Scriptura vncialis pura.
VIII.	Sallustium.												Scriptura vncialis mixta literis capitalibus.
IX.	Cornelium.												Scriptura vncialis mixta literis minutis.
X.	Varronium.												Scriptura vncialis mixta literis cursiuis.
XI.	Virgilium.												Scriptura vncialis mixta pluribus literarum generibus.
XII.	Horatium.												Scriptura vncialis mixta literis coarctatis.
XIII.	Celsicum.												Scriptura minuta pura.
XIV.	Ouidium.												Scriptura minuta mixta literis capitalibus.
XV.	Liuium.												Scriptura minuta mixta literis vncialibus.
XVI.	Plinium.												Scriptura minuta mixta literis cursiuis.
XVII.	Tacitum.												Scriptura minuta mixta pluribus literarum generibus.
XVIII.	Quintilianum.												Scriptura cursiua pura.
XIX.	Suetonium.												Scriptura cursiua mixta literis capitalibus.
XX.	Gellium.												Scriptura cursiua mixta literis vncialibus.
XXI.	Antoninum.												Scriptura cursiua mixta literis minutis.
XXII.	Papinianum.												Scriptura cursiua mixta pluribus literarum generibus.

Areolas has vacuas suis quaeque natio luminibus replebit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0168-8

i.

1. Numerus Generum.	I. Scr. Ro na vetu a. Partitio titio V. II. part paniae diuersa cet.	3. Characteres generici.
I.	Papebr ieberlichiun ium.	Linea horizontali recta abbreuiatum.
II.	Mabill eichennium inium.	Linea horizontali curua abbreuiatum.
III.	Hertiu otzium.	Litera C longiori abbreuiatum.
IV.	Maffeiu chaeliium.	Nota numerali 2 abbreuiatum.
V.	Besseliu beium.	Nota numerali 3 abbreuiatum.
VI.	Eckhar encke-dium. ium.	Nota numerali 4 abbreuiatum.
VII.	Heuma onium. nium.	Nota numerali 7 abbreuiatum.
VIII.	Ioachi-desium. mium	Nota numerali 8 ordinaria abbreuiatum.
IX.	Tustiniu henbe-erium.	Nota numerali 8 inuersa abbreuiatum.
X.	Georg derium. schium	Nota numerali 8 cubante abbreuiatum.

larum

1. Numerus Generum.	2. Nomina Generum singulorum (vid. §. 77.)											3. Characteres generici.
	I. Scr. Romana vetus.	II. Scriptura Romano-Barbara seu Teutonica.						III. Scriptura Romana corruptissima s. Neogothica.					
	Partitiones II. parum diuersae.	Partitio I. Scr. Langobardica.	Partitio II. Scr. Wisigothica.	Partitio III. Scr. Anglo-Saxonica.	Partitio IV. Scr. Merouingica.	Partitio V. Scr. Carolingica.	Partitio VI. Scr. Capetingica.	Partitio I. Germaniae.	Partitio II. Italiae.	Partitio III. Britanniae.	Partitio IV. Galliae.	Partitio V. Hispaniae cet.	
I.	Papebrochium.	Anderſonium.	Strubenium.	Pütterium.	Gebauerium.	Bünauium.	Walchium.	Hanſelmannium.	Harenbergium.	Sommersbergium.	Maſcouium.	Haeberlinium.	Linea horizontali recta abbreuiatum.
II.	Mabillonium.	Cherubinum.	Grupenium.	Dreyerium.	Boehmium	Gerckenium.	Hundium.	Kreyſigium.	Margarinium.	Matthaeium.	Staphorſtium.	Gleichenſteinium.	Linea horizontali curua abbreuiatum.
III.	Hertium.	Boſcanum.	Mallinkrotium.	Ritterium.	Schmauſſium.	Lentzium.	Germonium.	Schoetgenium.	Ruinartinum.	Vogtium.	Weſtonium.	Trotzium.	Litera C longiori abbreuiatum.
IV.	Maffeium.	Leibnitium.	Wenckerium.	Tenzelium.	Begerium.	Blondellium.	Harduinum.	Lauenſteinium.	Leuckfeldium.	Terpagerium.	Sheltonium.	Michaeliſium.	Nota numerali 2 abbreuiatum.
V.	Beſſelium.	Carpentierium.	Falckium.	Reinhardium.	Madoxium.	Foppenſium.	Lazzarinium.	Koenigium.	Durandum.	Struuium.	Waldſchmidium.	Labbeium.	Nota numerali 3 abbreuiatum.
VI.	Eckhardium.	Buderium.	Ayermannium.	Burckhardium.	Boecleerium.	Lünigium.	Krauſium.	Hugoninum.	Martenium.	Meichelbeckium.	Eiſenhartinum.	Menckenium.	Nota numerali 4 abbreuiatum.
VII.	Heumannium.	Conringium.	Baluzium.	Meibomium.	Fürſtenbergium.	Freherium.	Guilandinum.	Muratorium.	Pouckerium.	Wagenereckium.	Wibelium.	Baronium.	Nota numerali 7 abbreuiatum.
VIII.	Ioachimium.	Schoepflinium.	Caniſium.	Sagittarium.	Grubenium.	Goldaſtium.	Henſchenium.	Pezium.	Ludewigium.	Zylleſium.	Franckium.	Gerdeſium.	Nota numerali 8 ordinaria abbreuiatum.
IX.	Tuſtinium.	Woelckerium.	Dacherium.	Dreyhauptium.	Boehmerium.	Schminckium.	Montefalconium.	Rabeum.	Schannatinum.	Wegelinum.	Oberkampium.	Kuchenbeckerium.	Nota numerali 8 inuerſa abbreuiatum.
X.	Georgiſchium.	Hontheimium.	Bouillartinum.	Bruſchium.	Schoepfium.	Rudolphium.	Ioanniſium.	Kirchmaierium.	Tolnerium.	Montelium.	Grebnerium.	Maderium.	Nota numerali 8 cubante abbreuiatum.
XI.	Cangium.	Senckenbergium.	Dodwoorthium.	Tichudinum.	Oetterium.	Leuberium.	Hortledenium.	Soldanium.	Meierium.	Scheuchzerium.	Finckium.	Bioernerium.	Nota numerali 8 inuerſa & anguloſa (ϑ) abbreuiatum.
XII.	Wachterium.	Moſerium.	Burgemeiſterium.	Büchnerium.	Marlotium.	Hahnium.	Knauthium.	Leuchtium.	Londorpium.	Glafeyum.	Weberium.	Berettinum.	Abbreuiatura & ſignatum.
XIII.	Baringium.	Haltauſium.	Du Montium.	Felibienium.	Eſtorium.	La Guilleum.	Vghelium.	Hergottium.	Schaumburgium.	Weingartenium.	Gaertnerium.	Rangonium.	Abbreuiatura & conuerſa (ϐ) ſignatum.
XIV.	Walcherium.	Scheidium.	Barbeyracium.	Beſoldium.	Fontanium.	Guichenonium.	Rymerium.	Treuerium.	Miraeium.	Schwarzium.	Rudimannium.	Waddingium.	Duplici ſ curſiuo (ſſ) abbreuiatum.
XV.	Baudiſſium.	Kaeſtnerium.	Falckenſteinium.	Schneidium.	Gretſerium.	Gebhardium.	Sanderſonium.	Vredium.	Schubackium.	Whartonium.	Goebelium.	Pantoppidanum.	Ductu quodam arbitrario abbreuiatum.
XVI.	Gudenium.	Avilanum.	Duellium.	Lochmannium.	Beyſchlagium.	Kettnerium.	Iungium.	Pereſium.	Marrierium.	Weſtphalenium.	Zaluskium.	Schatenium.	Pluribus ſignis dominantibus abbreuiatum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0172-0

§. 227.

Genera & ſpecies ſcripturarum Romanarum ex regno priuato.

Quoniam ſcripturae *regni priuati* parum a regni notarialis ſcripturis differunt (§. 73. num. IV.); eius *genera* & *ſpecies* ex iiſdem fontibus duci poſſunt, ex quibus genera & ſpecies regni notarialis (§. 225. ſq.) deriuauimus: neque tamen male, noſtra quidem ſententia, fecerit, quiſquis regni etiam priuati generibus *nomina peculiaria* impoſiturus ſit.

§. 228.

Commodior methodus nominandorum generum propoſita.

Quoniam numerus generum praeter neceſſitatem multiplicatur, ſi ſuum cuique generi nomen, per quatuor ſcripturarum regna eorumque ſeries ac partitiones, vt hactenus facere inſtituimus, imponatur; aliam generum nominandorum rationem, eamque, vt nobis quidem videtur, ad ipſam rem non minus appoſitam, quam breuem ac memoriae iuuandae idoneam proponere nobis liceat. Ac primo quidem quum *in regno artificiali* omnia genera, iis ſolis, quae ad ſeriem III, ſiue ad ſcripturam Neogothicam pertinent, exceptis, eoſdem characteres genericos habeant; poſſunt *omnia genera duarum priorum ſerierum communibus nominibus* appellari, ita tamen, vt, *adiunctis* ſimul *populorum*, qui peculiarem ſcribendi rationem ſequebantur, *nominibus*, ſeries ac partitiones, quae quodammodo etiam *varietates*, vſitatiſſimo inter naturae peritos viros vocabulo, dici poſſent, definiantur. E. gr. primum genus ſcripturae Romanae, quod ſupra (§. 78.) *Gruterium* vocauimus, his characteribus genericis definitum eſt: *Scriptura capitalis pura, apicibus baſibuſque non reſectis.* Eoſdem characteres genericos, ac iure quidem optimo, primo etiam generi ſcripturae Langobardicae (§. 95.), Wiſigothicae (§. 114.), Anglo-Saxonicae (§. 133.), Merouingicae (§. 152.), Carolingicae (§. 171.), & Capetingicae (§. 190.) tribuimus, ſed ita, vt ſuum cuique horum generum nomen peculiare daremus. Poſſunt vero omnia haec genera communi aliquo nomine, quoniam characteres communes habent, inſigniri; poſſunt, vt hoc vtar, *Gruterium* dici. Vt vero ſimul ſingularum

larum serierum earumque partitionum genera inuicem distingui queant; additis populorum, de quorum scripturis quaeritur, nominibus, dicendum porro erit: *Gruterium Romanum; Gruterium Langobardicum; Gruterium Wisigothicum; Gruterium Anglo-Saxonicum; Gruterium Merouingicum; Gruterium Carolingicum; Gruterium Capetingicum.* Haec nomina facile etiam ad nominandas singulorum generum *species* adhiberi possunt; cuius generis haec exempla ponemus: *Gruteria Romana prima*; *Gruteria Romana secunda*; *Gruteria Romana tertia*, cet.; item: *Gruteria Langobardica prima*, *secunda*, cet.; *Gruteria Anglo-Saxonica prima*, *secunda*, cet. Eadem denique nominandorum generum pariter atque specierum ratio *in reliquis regnis*, *librario* scilicet, *notariali* ac *priuato* locum habere potest; idque eo magis, quum in his regnis omnia omnium serierum ac partitionum genera, ac ne vno quidem excepto, eosdem habeant characteres genericos. Quam commoda haec, quam hucusque descripsimus, methodus memoriae iuuandae sit, ex hoc facile poterit iudicari, quod 1) *in regno artificiali* non nisi *triginta duo* generum nomina, vndeuiginti nempe pro duabus prioribus seriebus, ac tredecim pro serie tertia seu scriptura Neogothica; 2) *in regno librario* tantum *viginti duo*; ac 3) *in regno notariali* non nisi *sedecim* nomina generum, requirantur. Vide, sis, *tabulam synopticam*, quam huius §phi illustrandi caussa adiungendam duximus.

THEORICAE DIPLOMATICAE
SECTIO II.
SEMIOTICA.

§. 229.
De Semiotica eiusque partibus generatim.

Satis de *Graphica* dictum est. Iam sequitur altera theoricae Diplomaticae disciplina, *Semiotica*, quae qualis sit, supra iam (§. 27.) paucis declarauimus. Similis nempe est haec scientia, si doctrinam sigillorum exceperis, iis terrae regionibus, quae latissime quidem patent, sed a paucioribus colonis habitatae, hinc illinc vel prorsus incultae iacent, vel rario-

N librarii.	Genera Regni notarialis.	
ana vetus, Romano-Cma ſ. Neogothica.	Series I, II, & III, Scriptura Romana vetus, Romano-Barbara, & Romana corruptiſſima ſ. Neogothica.	
rcteres rici.	Nomina Generum.	Characteres generici.
ura.	Papebrochium.	Linea horizontali recta abbreuiatum.
nixta literis vncialibus.	Mabillonium.	Linea horizontali curua abbreuiatum.
nixta literis minutis.	Hertium.	Litera C longiori abbreuiatum.
nixta literis curſiuis.	Maffeium.	Nota numerali 2 abbreuiatum.
nixta pluribus litera-	Beſſelium.	Nota numerali 3 abbreuiatum.
mixta literis coar-	Eckhar-	Nota numerali 4 abbreuiatum.
xta literis vncialibus.		
nixta literis minutis.		
nixta pluribus litera-		
II.) 1) Langobardicum, onicum, 4) Merouingi-ingicum; (ex *ſerie* III.) Britannicum, 4) Galli-um, 7) Suecicum &c.	(ex *ſerie* I.) Romanum; (ex *ſerie* II.) 1) Langobardicum, 2) Wiſigothicum, 3) Anglo-Saxonicum, 4) Merouin-gicum, 5) Carolingicum, 6) Capetingicum; (ex *ſerie* III) 1) Germanicum, 2) Italicum, 3) Britannicum, 4) Galli-cum, 5) Hiſpanicum, 6) Danicum, 7) Suecicum &c.	

s indicantia.

ad §. 228. Tabula synoptica Generum ex tribus scripturarum regnis.

Numerus Generum.	Genera Regni artificialis. Series I. & II, Scriptura Romana vetus & Romano-Barbara s. Teutonica. Nomina Generum.	Characteres generici.	Series III, Scriptura Romana corruptissima siue Neogothica. Nomina Generum.	Characteres generici.	Genera Regni librarii. Series I, II, & III, Scriptura Romana vetus, Romano-Barbara & Romana corruptissima s. Neogothica. Nomina Generum.	Characteres generici.	Genera Regni notarialis. Series I, II, & III, Scriptura Romana vetus, Romano-Barbara, & Romana corruptissima s. Neogothica. Nomina Generum.	Characteres generici.
I.	Gruterium.	Scriptura capitalis *pura*, apicibus basibusque non resectis.	Hoepingkium.	Scriptura Neogothica capitalis, eaque incipiens.	Ennium.	Scriptura capitalis pura.	Papebrochium.	Linea horizontali recta abbreuiatum.
II.	Kircherium.	Scriptura capitalis pura, eaque rustica.	Thulemarium.	Scriptura Neogothica capitalis, eaque crescens.	Plautinum.	Scriptura capitalis mixta literis vncialibus.	Mabillonium.	Linea horizontali curua abbreuiatum.
III.	Gorium.	Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque curue resectis.	Heinecium.	Scriptura capitalis semi-gothica.	Terentium.	Scriptura capitalis mixta literis minutis.	Hertium.	Litera C longiori abbreuiatum.
IV.	Saxium.	Scriptura capitalis pura, inclinata.	Leyserium.	Scriptura Neogothica capitalis, dominans.	Catonium.	Scriptura capitalis mixta literis cursuis.	Masseium.	Nota numerali 2 abbreuiatum.
V.	Winckelmannium.	Scriptura capitalis pura, elegans, apicibus basibusque regulariter resectis.	Huebnerium.	Scriptura Neogothica capitalis pura s. mere gothica.	Vitruuium.	Scriptura capitalis mixta pluribus literarum generibus.	Besselium.	Nota numerali 3 abbreuiatum.
VI.	Nassarium.	Scriptura capitalis pura, ordinaria, apicibus basibusque ex ipso literarum corpore nascentibus.	Mannium.	Scriptura Neogothica capitalis rustica.	Caesareum.	Scriptura capitalis mixta literis coarctatis.	Eckhardium.	Nota numerali 4 abbreuiatum.
VII.	Spanhemium.	Scriptura capitalis pura, apicibus basibusque angulosis.	Casleyum.	Scriptura Neogothica capitalis irregularis, s. magis barbara & rustica.	Ciceronium.	Scriptura vncialis pura.	Heumannium.	Nota numerali 7 abbreuiatum.
VIII.	Patinium.	Scriptura capitalis pura, ductibus superfluis ac prominentibus onusta.	Iacksonium.	Scriptura Neogothica capitalis, mixta literis maiusculis & minusculis.	Sallustium.	Scriptura vncialis mixta literis capitalibus.	Ioachimium.	Nota numerali 8 ordinaria abbreuiatum.
IX.	Iobertinum.	Scriptura capitalis pura, curuatis ductibus insignis.	Caylusum.	Scriptura minuscula Romana pura, coaetanea scripturae minusculae Neogothicae.	Cornelium.	Scriptura vncialis mixta literis minutis.	Tustinium.	Nota numerali 8 inuersa abbreuiatum.
X.	Begerum.	Scriptura capitalis pura, literis coarctatis conspicua.	Ihreum.	Scriptura minuscula Romana, mixta literis maiusculis & cursuis.	Varronium.	Scriptura vncialis mixta literis cursuis.	Georgischium.	Nota numerali 8 cubante abbreuiatum.
XI.	Warburtonium.	Scriptura capitalis, *mixta* literis vncialibus.	Knittelium.	Scriptura minuscula, mixta Neogothica.	Virgilium.	Scriptura vncialis mixta pluribus literarum generibus.	Cangium.	Nota numerali 8 inuersa & angulosa abbreuiatum.
XII.	Vaillantium.	Scriptura capitalis, mixta literis minutis.	Büttnerium.	Scriptura minuscula semi-gothica.	Horatium.	Scriptura vncialis mixta literis coarctatis.	Wachterium.	Abbreuiatura & signatum.
XIII.	Koelerium.	Scriptura capitalis, mixta literis cursuis.	Murrayum.	Scriptura minuscula mere gothica.	Celsicum.	Scriptura minuta pura.	Baringium.	Abbreuiatura & conuersa signatum.
XIV.	Froelichium.	Scriptura capitalis, mixta literis graecis & latinis.			Ouidium.	Scriptura minuta mixta literis capitalibus.	Waltherium.	Duplici s cursiuo (ſſ) abbreuiatum.
XV.	Buonaruotinum.	Scriptura capitalis, mixta & coarctata simul.			Liuium.	Scriptura minuta mixta literis vncialibus.	Baudissium.	Ductu quodam arbitrario abbreuiatum.
XVI.	Hirschium.	Scriptura capitalis, irregulari literarum situ conspicua.			Plinium.	Scriptura minuta mixta literis cursuis.	Gudenium.	Pluribus signis dominantibus abbreuiatum.
XVII.	Gesnerium.	Scriptura capitalis inaequalis, h. e. literis altioribus & humilioribus mixta.			Tacitum.	Scriptura minuta mixta pluribus literarum generibus.		
XVIII.	Ficoronium.	Scriptura capitalis, literarum figura inusitata insignis.			Quintilianum.	Scriptura cursiua pura.		
XIX.	Heynium.	Scriptura capitalis, inusitato scribendi modo (v. gr. a dextra sinistrorsum) conspicua.			Suetonium.	Scriptura cursiua mixta literis capitalibus.		
XX.					Gellium.	Scriptura cursiua mixta literis vncialibus.		
XXI.					Antoninum.	Scriptura cursiua mixta literis minutis.		
XXII.					Papinianum.	Scriptura cursiua mixta pluribus literarum generibus.		
	(ex *serie* I.) Romanum; (ex *serie* II.) 1) Langobardicum, 2) Wisigothicum, 3) Anglo-Saxonicum, 4) Merouingicum, 5) Carolingicum, 6) Capetingicum.		(ex *serie* III.) 1) Germanicum, 2) Italicum, 3) Britannicum, 4) Gallicum, 5) Hispanicum, 6) Danicum, 7) Suecicum, cet.		(ex *serie* I.) Romanum; (ex *serie* II.) 1) Langobardicum, 2) Wisigothicum, 3) Anglo-Saxonicum, 4) Merouingicum, 5) Carolingicum, 6) Capetingicum; (ex *serie* III.) 1) Germanicum, 2) Italicum, 3) Britannicum, 4) Gallicum, 5) Hispanicum, 6) Danicum, 7) Suecicum &c.	(ex *serie* I.) Romanum; (ex *serie* II.) 1) Langobardicum, 2) Wisigothicum, 3) Anglo-Saxonicum, 4) Merouingicum, 5) Carolingicum, 6) Capetingicum; (ex *serie* III) 1) Germanicum, 2) Italicum, 3) Britannicum, 4) Gallicum, 5) Hispanicum, 6) Danicum, 7) Suecicum &c.	

Additamenta, series et partitiones indicantia.

rarioribus tantum ac dispersis tuguriis, villis, opidulis distinctae sunt. Liceat igitur mihi in praesenti eorum vice fungi, qui missi a populo quodam vel Rege sunt in regionem eiusmodi vel vacuam, vel minus cultam, vt fines eius describant, agros dimetiantur, nouisque ciuibus ac colonis loca commoda vel assignent, vel certe commendent. Iam supra (§. 27.) diximus, Semioticae id esse propositum, vt varios characteres explicet, qui diplomatibus, praeter vsitatum scripturae genus, adiuncti cernuntur, quique in ipsis diplomatibus *signorum* plerumque nomine appellantur. Referuntur autem in eiusmodi characterum seu signorum numero 1) *Chrismon* s. *Chrismus*, 2) *Signa tam veterum Notariorum* siue *Cancellariorum, quam Notariorum recentiorum*, 3) *Symbola inuestiturae*, 4) *Cruces* varii generis, 5) *Monogrammata*, & 6) *Sigilla*. Existunt inde sex Semioticae partes siue scientiae singulares; quarum nomina haec esse possunt: 1) *Chrismologia*, 2) *Semiotica notarialis*, 3) *Symbolica*, 4) *Staurologia*, 5) *Monogrammatologia* & 6) *Sphragistica*.

CAPVT I.

CHRISMOLOGIA.

* *Nouveau Traité de diplomatique* T. IV. p. 597-611.

§. 230.

Definitio Chrismologiae & Chrismi.

Chrismologia de variis signis, quibus Chrismon siue Chrismus exprimitur, agit. Est vero *Chrismon* s. *Chrismus*, si eius originem spectes, nihil aliud, quam signum pietatis christianae, ac sigillatim inuocationis diuinae, vel etiam iurisiurandi taciti, quo quis se ad seruanda, quae promittebat, obligauit.

§. 231.

Chrismi figura varia.

Chrismi *figura* pro temporis diuersitate, immo eodem etiam tempore varia fuit: id quod vel ex solo diplomate Chlodouaei Iunioris, A. 653. dato, & in tabula aenea apud MABILLON. de re diplom. post p. 376. repraesentato, perspici potest. Id tamen perpetuum fere fuit, vt Chrismus siue Chrismon

1) ſub *Merouingicis Regibus** & ſub *Carolidis* literam maiuſculam *I* ſeu *J* referret, cui *C* maiuſculum, vel ſimplex, vel duplex, cochleatim, hoc eſt, anfractibus ſpiralibus exaratum, vel aliter etiam veſtitum, itemque *n*, interdum vero aliae quoque literae, vt *X*, *D*, *S*, *P* &c. innexae vel inſertae ſunt. Eiuſmodi ergo Chriſmon ſiglas, ad modum monogrammatum (§ 46.) coniunctas, has praecipue *J. C. n.* exhibet. Euenit autem, vt

2) ſub *Carolidis poſterioribus* in ſiglis modo dictis litera *C* maiuſcula dominari inciperet; donec haec litera *C*, ductibus vel veſtitis, vel nudis (§. 38. num. 6.) exarata,

3) ſub *Ottone III.* & *Henrico II*, hoc eſt, in confinio ſaeculorum X. & XI. reliquas ſiglas prorſus excluderet, ac ſola reſtaret.

Praeter hanc conſuetam Chriſmi formam, *Cruces* etiam varii generis, itemque *Monogramma Chriſti* ſ. *Labarum*, vel ſimpliciter poſitum (☧, ☧, ☧), vel adiunctis etiam literis graecis A & Ω, eodem ſenſu adhibita ſunt.

* Figurae Chriſmi 1) ex MABILLONII libris de re diplomatica, 2) ex SCHANNATI Vindiciis Archiui Fuldenſis, 3) ex WALTHERI Lexico diplomatico p. 451-453, 4) ex *Chronico Gottwicenſi*, 5) ex BARINGII Claue diplomatica, ad p. 186, 6) ex opere nouo diplomatico (*Nouveau Traité de Diplomatique*), T. IV. in tab. 73. ad p. 608, aliiſque libris, iis nempe, qui diplomata aere exſcripta habent, depromi ac colligi poſſunt. Adde etiam, ſis, *Tabulam* noſtram *aeneam III.*

§. 232.

Chriſmi epochae.

BARINGIVS in Claue diplomatica p. 186. originem Chriſmi diplomatici a Carolo M. repetit, ſed inſigniter errat. Chriſmus enim inde ab antiquiſſimis temporibus & ſub primis etiam Merouingicae ſtirpis Regibus, hoc eſt, inde a V. ſaeculo, ex quo antiquiſſima nobis diplomata ſuperſunt, occurrit, vt tabulae aeneae, in MABILLONII opere aliiſque libris exhibitae, teſtantur.

Definimus itaque *durationis tempus* inde a primis Regibus Merouingicis vſque ad Ottonem IV. Imperatorem, hoc eſt, a ſaeculo V. vſque ad ſaeculum XIII; quamquam enim haud ignoramus, adhuc ſaeculo XIV. Chriſma, in Codicibus praeſertim MSS. occurrere, tamen Chriſma haec poſteriorum temporum forma prorſus a Chriſmis, quae deſcripſimus, diſcrepant,

crepant. Vid. *Tab. aenea III.* In Gallia Chrismorum vsus Ludouici VI. Crassi tempore, hoc est, ineunte saeculo XII. negligi coeptus est.

§. 233.

Chrismi locus.

Chrismon non tantum in *fronte* diplomatum, vt BARINGIVS l. c. tradit, sed etiam ante formulam recognitionis *Cancellariorum*, quid? quod, licet rarissime, ante *Datum* expressum deprehenditur: quamquam Cancellarii Germaniae circa tempora Ludouici Germanici, Galliae autem Cancellarii post Ludouici Balbi regnum, a Chrismo se abstinuerunt.

§. 234.

Chrismi vsus.

Est Chrismi *vsus* tam in Codicibus manu exaratis, quam in diplomatibus: nec sola Imperatorum ac Regum, verum etiam Pontificum Romanorum, Principum, Episcoporum cet. diplomata hoc signum habent.

§. 235.

Chrismi significatio.

De Chrismi *significatione* tres potissimum sententiae huc vsque a viris doctis in medium prolatae sunt, quarum vna (*) IOH. GEORGIO ab ECKHARD debetur, reliquae vero duae (*1) BARINGIVM auctorem habent. BARINGIVS nempe, qui inter Chrismi siglas literam *C* potissimum pro dominanti sigla habebat, initio credidit, hac litera *C* vocem *Caput* siue *Capitulum* indicari, ita vt idem esset, ac si diceretur, eo loco, quo Chrismus esset positus, initium alicuius diplomatis, vel aliarum etiam scripturarum esse. Sed postea signum hoc pro vero Chrismo, id est, pro litera *C*, *nomen Christi* exprimente, habuit; in quam quidem sententiam is ab *auctore syntagmatis dictandi* adductus est, quippe qui apud MABILLON. de re diplom. L. VI. num. CCVII, quum de priuilegiis Pontificum Romanorum loqueretur, haec scripsit: „Signum autem in exordio priui„legii vel *Chrismon*, vel crux dominica cum supra scripto signo erit, quod „supra scriptum signum interpretatur *Christus*. Chrismon autem eiusmo„di effigiatur specie (apposita hic in autographo erat ipsa Chrismi figura), „vt plenius autem in hoc monogrammate (adscripta iterum eius figura

„erat), & vt Christi nomen appareat, tali mea effigiaretur sententia spe„cie (aderat hic alia Chrismi figura).„ Idem auctor syntagmatis, quum de priuilegiis Regum ac Principum exponeret, de Chrismo hunc in modum locutus est: „Proprie autem Regum vel Principum praecepta signum „certum non habent in exordiis; sed quod facere scriptoribus collibue„rit, vel crucem, vel Chrismon, vel literam quamlibet circumdatam ser„pentibus in hunc modum (adiuncta itidem figura Chrismi erat), vel „quodlibet aliud, quod voluerit „ At vero, quantum ego quidem existimo, ex auctore syntagmatis laudato nihil in vniuersum de Chrismi figura & significatione statui potest. Auctor enim hic Chrismon tale definiuit, quale illud sua aetate fuit: vixit autem ille ante quingentos, & quod excurrit, annos; quo quidem tempore, vt supra (§ 231.) monuimus, Chrismon nonnisi vnicam literam *C* exhibuit. Quare nos non poenitet, eius sententiae esse, quam IOH. GEORGIVS ab ECKHARD primus, quantum ego quidem scio, protulit, quamque deinde (†) SCHANNATVS & nuper adhuc (††) *Auctores systematis noui diplomatici*, velut in transcursu, assensione comprobarunt: Chrismon scilicet ab initio tribus his potissimum siglis *J. C. n.* seu *J. D. n.*, hoc est, *In Christi* s. *Dei nomine*; item pluribus aliis, vt: *J. n. J. X.*; *J. n. C. D. n.*; *J. n. C. S.*; *J. n. P. F. S.*; *J. n. D. S. n. X.*; *J. n. D. J. C. A. Ω.*; *J. n. S. J. T.* cet. hoc est, *In nomine Iesu Christi*; *In nomine Christi Dei nostri*; *In nomine Christi Saluatoris*; *In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*; *In nomine Dei Saluatoris nostri Christi*; *In nomine Domini Iesu Christi A & Ω*; *In nomine Sanctae & Indiuiduae Trinitatis*, cet. plerumque denotatum fuisse: cuius autem figura temporis progressu ita esset immutata, vt sola tantum sigla *C* inde relinqueretur. Vt hanc sententiam pro vera habeamus, primo Chrismi figuris, quas diplomata habent, deinde formulis religiosis, quae in quibusdam diplomatibus Chrismi loco vsurpatae sunt, commouemur. V. gr. in diplomate Chlodouaei Iunioris, A. 653. dato, & ap. MABILLON. post pag. 376. in tabula aenea exhibito, testium subscriptorum plerique quidem Chrismon nominibus suis praemiserunt: quidam vero pro Chrismo formulam hanc religiosam: *In Christi nomine*, vel ei similem: *in Dei nomine* verbis distis adhibuerunt. Singularis figurae Chrismon diplomati Ottonis III. Imperatoris, A. 997. dato, & in *Chronico Gottwicensi* in tabula aenea post pag 208. exhibito, praemissum est. Crispatis enim atque inter se vnitis literis maiusculis *I.* & *C.* triplex *d* & triplex abbreuiatura -voculae *est* (⁘) inserta sunt, quae, mea quidem sententia, significant: *Iesus Christus*

ſtus Deus eſt, ſed ita, vt duo poſteriora vocabula ter repeti debeant; vel etiam (†††): *Ieſus Chriſtus, qui eſt Deus;* poſſunt enim duae harum ſiglarum pro *q* hoc eſt, *qui* haberi. Denique hoc loco etiam monendum eſt, Caroliarum temporibus vocabulum *Amen*, notis Tyronis exaratum, Chriſmis adiunctum eſſe. Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 611.

(*) IO. GEO. ab ECKHARDT in Animaduerſionibus hiſtoricis & criticis in *Io. Frid. Schannati* Dioeceſim & Hierarchiam Fuldenſem (Wirceburgi 1727. fol.) §. 7. p. 17.

(**) BARINGII obſeruatio de ſignificatione literae *C*, quae in ipſa diplomatum antiquorum fronte poſita cernitur; itemque de illo *C*, quod diſtinctionis gratia in Codicibus manuſcriptis ab initio ponebatur; in eius *claue diplomat.* p. 186-196. Commentatio haec de re ipſa pauciſſima, de rebus aliis, quae huc non pertinent, multa dicit.

(†) SCHANNAT in Vindiciis Fuldenſis Archiui p. 49. ſq.

(††) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 628. & 682. Plura hac de re auctores libri huius egregii in T. IV. p. 597-611, attulerunt.

(†††) Ita Chriſmi huius ſiglas & abbreuiaturas interpretantur auctores operis noui diplomatici (*Nouveau Traité de Diplom.*) T. IV. p. 610.

CAPVT II.

SEMIOTICA NOTARIALIS.

§. 236.

De Semiotica notariali generatim: item de Notariis pauca.

Semiotica notarialis in duplici argumento explicando verſari debet, quorum vnum eſt *de ſignis notariorum veterum* ſ. *cancellariorum*, quae *recognitionis ſigna* dicere liceat, alterum de *notariorum recentiorum ſignis*, quae *Notariats-Signete* ſeu *Notariats-Zeichen* vulgo appellantur. Sub imperio romano (*) *Notarii* collegium certum fecerant, cuius caput *Primicerius* ſ. *Protonotarius* erat. Nec minus poſtea *Franco-Galli*, qui ſine dubio in hac etiam re inſtituta Romanorum ſequebantur, notariorum opera in cauſſis publicis priuatiſque vſi ſunt. Notariorum collegio praefuit tunc temporis *Archicapellanus* ſ. *Archicancellarius*. Atque ex hoc notariorum collegio *Referendarii*, *Apocriſiarii* & *Cancellarii* ſumebantur, quo-

rum illi secretioribus Regum atque Imperatorum ministeriis, isti caussis potissimum ecclesiasticis, & hi denique negotiis ciuilibus potissimum adhibiti fuisse videntur: quamquam innumera fere diplomata testantur, eos omnes etiam generali *notariorum* nomine fuisse appellatos. *Recentiorum notariorum* ratio & instituta inde *a saeculo XIII*, vel etiam *XII*, repetenda videntur: sollemnitates certe ac ritus, quibus nostra aetate notarii creari solent, maximam partem iam (**) *Friderico II.* imperante obtinuerunt; quamquam negari non potest, sequenti tempore, inprimis sub Maximiliano I. Imperatore, qui constitutione sua, A. 1512. facta (*Notariats-Ordnung*) notariorum res ad certam formulam redegit, nonnulla antiquis ritibus adiuncta esse. In Anglia nullum *Tabellionum* s. Notariorum vsum fuisse, (***) MATTHAEVS PARISIVS in vita Henrici III. Regis testatur. Latius patentem auctoritatem olim, quam hodie, *Notarii apostolici* & *imperiales* habuerunt: id quod cum diplomata, ab ipsis expedita, tum haec verba (****) *Speculatoris* (tit. de fide Instrumentor. §. Restat, n. 23) testantur: *Notarius vel Tabellio ab Imperatore, vel Papa, vel ab eo, cui hoc speciali priuilegio indultum erat, ordinatus, potest* vbique, etiam in Francia, vel Anglia, seu Hispania, non solum in terris eis specialiter subiectis, *suo officio vti, & instrumenta conficere*, cet. Haec consuetudo in Gallia singulari Caroli VIII. Regis edicto A. 1490. abrogata est.

(*) Legatur IO. WILHELMI DE GOEBEL elegans dissertatio de notariis (tam antiquis quam hodiernis), quam *Baringius* claui suae diplomaticae, p. 197-228. inserendam curauit. Adde, quae MABILLONIVS de re diplom. L. II. C. XIII. de notariis publicis tam in genere, quam speciatim de *notariis Episcoporum* & *Capitulorum*, item de notariis *Abbatum* & *Conuentuum*, ac denique de Notariis & Cancellariis *Romanorum Pontificum*, *Comitum aliarumque personarum illustrium* commentatus est.

(**) PETRVS DE VINEIS, Friderici II. Imp. Cancellarius, L. VI. epist. 32. haec verba Imperatoris attulit: „Notum facimus Vniuersitati vestrae, quod „T. Taurinensis, fidelis noster, iuxta sacrarum constitutionum nostrarum „tenorem examinatus, inuentus fidelis, & de genere fidelium ortus, & suf„ficiens ad Notariatus officium exercendum & per nostram curiam approba„tus. Propterque de ipsius prudentia & fidelitate, confici statuimus eum „publicum Notarium Taurinensem.„

(***) Vid. MABILLON. l. c. §. IV.

(****) Vid. DU FRESNE Glossarium s. v. *Notarius*.

§. 237.

§. 237.

De signis recognitionis in genere.

Iam de ipsis notariorum tam veterum, quam recentiorum signis pro instituti nostri ratione breuiter summatimque dicemus. Ac primo quidem loco quid de *veterum notariorum s. cancellariorum signis*, quae paragrapho praecedenti *recognitionis signa* appellata sunt, & a Gallis *Ruches* siue *Paraphes* dicuntur, sentiamus, aperiendum est. Tota autem haec disputatio de eiusmodi re futura est, quam alii docti viri vel neglexerunt, vel minus recte interpretati sunt. Nobis omnia, quae de recognitionis signis dicenda sunt, ad quinque potissimum capita reduci posse videntur, cuiusmodi sunt: Recognitionis signorum 1) *figura*, 2) *epochae*, 3) *locus*, 4) *vsus* & 5) *significatio*.

§. 238.

De figura signorum recognitionis.

Intuentibus nobis *figuram* signorum recognitionis, quorum quamplurima inter se contulimus, tria potissimum occurrunt, quae distingui a se inuicem possunt, 1) *circumductus* (in vernacula *der Umzug*), hoc est, peripheria s. ambitus figurae, 2) *area* (in vernacula *das Feld* siue *der innere Plaz*), hoc est, spatium interius, quod circumductus ipse ambit s. includit, ac 3) *appendix* (in vernacula *der Nebenzug*), id est, ductus varii, qui circumductui & lateribus figurae, sinistris praesertim, & interdum etiam culmini adiuncti cernuntur. Quoniam circumductui formando vel literae, vel lineae adhibitae sunt, *circumductus* ipse in *literalem* & *linearem* diuidi potest. Ille formatus est ex litera *ſ* longiori, cuius apex spatiose, ac dextrorsum quidem, arcuatus, hoc est, ad modum arcus spatiosi dextrorsum curuatus est. Sed sunt etiam signa, in quibus apex literae *ſ* arcuatus cum litera *t* longiori coniunctus est. Hic itaque circumductus literalis *compositus* est, ille *simplex*. Iam quod ad *circumductum linearem* attinet, is circumductu literali recentior, & ex huius figura sine dubio ortus est. Linearis autem a nobis dicitur, quia ex lineis variis, tam rectis, quam curuis, constat. Atque huius generis circumductuum quatuor potissimum formae nobis occurrerunt, quarum tres priores in eo conueniunt, quod lineam transuersam pro basi, duasque perpendiculares, basi insistentes, pro lateribus habent, & eatenus quidem quadrati oblongi speciem prae se ferunt: sed in hoc tam inter se, quam a quadrati oblongi

gi figura differunt, quod prima forma ſuperne lineam arcuatam, altera ſuperne ſimilem quidem lineam, ſed caſtella ſimul pro lateribus, ac tertia ſuperne triangulum, tamquam culmen ſibi impoſitum, habet. Quarta denique forma quadratum quidem refert, ſed tale, cuius tota conſtructio ex cincinnis lineiſue criſpatis atque intortis facta eſt. Quoniam circumductus in prima forma latera habet, quae plerumque in parte inferiore extrorſum curuata ſunt, eamque ob cauſſam campanae ſimilis eſt, in altera autem caſtella pro lateribus habet, in tertia turriculae ſpeciem prae ſe fert, ac in quarta denique cincinni dominantur; *circumductus linearis* in *campanaeformem*, *caſtellarium*, *turritum*, & *cincinnatum* diſpertiri poteſt. Sed ex his ſimul intelligitur, ipſa *recognitionis ſigna*, ratione circumductus, multifariam diuidi poſſe. Sunt enim

1) vel *literalia*
   a) *ſimplicia* (1).
   b) *compoſita* (2).
2) vel *linearia*
   a) *campanaeformia*, in vernacula *Glockenförmige* (3).
   b) *caſtellaria*, in vernacula *Caſtellförmige* (4).
   c) *turrita*, in vernacula *Thurmförmige* (5).
   d) *cincinnata*, in vernacula *Lockenförmige* ſeu *Gekräuſelte* (6).

Alteram partem, ex qua figura ſignorum recognitionis conſtat, *aream* ſupra appellauimus. Eſt autem area

1) vel *diſtincta*, vel *indiſtincta* ſ. *ſimplex*. Illa nempe lineis, vel ductibus etiam criſpatis, aream ipſam tranſuerſe ſecantibus, in plures *cellulas* (in vernacula *Quartiere* ſiue *Feldlein*) duas (7), tres (8), quatuor (9) &c. diuiſa eſt; haec vero minus (10).
2) vel *vacua* (11),
   vel *repleta*, & quidem
   a) *ductibus arbitrariis*, literam *ſ*, ſaepius repetitam, praecipue referentibus (12).
   b) *notis*
      plerumque *tironianis* (13),
      interdum *arbitrariis* (14).
   c) *literis* nonnullis, inprimis ex voce *ſubſcripſi* vel *ſubſcripſit* deſumtis (15).

d) *vo-*

d) *vocibus disertis*, e. gr. *subscripsit* (16), item *franco praepositus* (us) *ambasciauit*, *frotharius ambasciauit*, id est, deprecatus est, *hat beym König oder Kaiser &c. Vorbitte eingelegt* (17).

Tertia denique pars, ex qua figura signorum recognitionis constat, *appendix* supra dicta est. Haec appendix semper fere cum reliqua signi recognitionis figura coniuncta est (18): rarissime ab illa separata cernitur (19). Varie autem appendix formata est in diplomatibus. Nam

1) in *signis literalibus*, simplicibus praesertim, appendix lineis interdum obliquis vel curuatis (20), plerumque autem transuersis, ac prominentibus (21), in plura *tabulata* (in vernacula *Stockwerke*) diuisa est: ita quidem, vt notae tironianae pariter atque arbitrariae partim lineis innexae, partim tabulatis insertae deprehendantur.

2) in *signis linearibus*, & quidem

a) in signis *campanaeformibus* appendix

α) plerumque ex superiori cellula areae ipsius prorumpit, & ab initio quidem arcui tantum innexi sunt ductus quidam prominentes, & ad modum literae *f* formati (22); mox vero ex sinistra simul parte cellulae superioris prosilire coeperunt lineae obliquae, quae ductus modo dictos vel cancellatim secabant (23), vel iis adiungebantur tantum (24). Sed sunt etiam signa campanaeformia, quorum cellula superior lineola quadam perpendiculari in duas partes diuisa est; vnde, tamquam tot ramusculi, multae lineae obliquae vtrimque, hic dextrorsum, illic sinistrorsum prominent (25). Singularis appendix cernitur in diplomate Ottonis II. Imperatoris. Arcui enim campanae ductus tam subtiles tenuesque impositi sunt, vt flammis surgentibus, quibus totum culmen quasi ardeat, similes esse videantur (26).

β) Interdum, sed rarissime, appendix in crispatis tantum ductibus, qui circumductui campanae innexi sunt, consistit (27).

γ) Sunt denique signa campanaeformia, quamquam pauciissima, quae appendice prorsus carent, nisi ductum vnum alterumque, ex sinistro potissimum latere campanae inferne prorumpentem, huc referre velis (28).

b) In signis *castellariis* appendix ex literis quibusdam, ad modum monogrammatis coniunctis, vel potius, vt nobis quidem videtur,

tur, ex notis tironianis constat, quae sinistro castello lineola quadam deorsum curuata, tamquam funiculo quodam, annexae sunt (29). Praecipuam partem recognitionis hac appendice designari, res ipsa loquitur.

c) In signis *turritis* appendix in crucicula quadam, culmini turris impositа, consistit (30). Interdum aliud signum, e. gr. circellus (31). vicem cruciculae sustinet: quamquam signa omnia turrita inter rarissima sint numeranda.

d) In signis *cincinnatis*, itidem rarissimis, appendix, lateri sinistro adiuncta, ex iisdem cincinnis contortus est, ex quibus tota figura constat, nisi quod cincinni appendicis transuersim formati sint (32).

(1) Vid. *Tab. nostra aenea* IV. fig. 2, 4, 6; *Tab.* V. fig. 2-6, *Tab.* VI. fig. 1, 2; add. MABILLON. de re diplom. Tab. 23-26, item Tab. 28-30. & SCHANNAT. in vindiciis Fuldens. Tab. 3, 4, 5.

(2) *Tab. nostra* IV. fig. 3, 5, item *Tab.* V. fig. 1; add. MABILLON. Tab. 20. & 22.

(3) *Tab. nostra* VI. fig. 2-5, it. *Tab.* VII. fig. 1-5; add. SCHANNAT. Tab. 6-9. & *Chronicon Gottwicense* in Tabb. p. 89, 94, 106, 139, 140, 159, 161, 164, 194.

(4) *Tab. nostra* VII. fig. 9, item WALTHERI Lexicon diplomat. in appendice Tab. V.

(5) *Tab. nostra* VII. fig. 6, 7, 8, item *Chronicon Gottwicense* in Tab. p. 162. Aliam figuram signi turriti exhibet BARING. in praef. clauis diplomat. p. 20, & rursus aliam in tabula ad p 20, quae posterior partem quamdam palatii potius, quam turriculam refert. Nos signum turritum tale potissimum descripsimus, quale in diplomate autographo Henrici III. Rom. Regis, A. 1046. dato, quod in manibus nostris est, ostendimus, & in *Tab. aenea* VII. fig. 7. exhibuimus.

(6) *Tab. nostra* VII. fig. 10; add. MABILLON. Tab. 40.

(7) *Tab. nostra* V. fig. 1. & 5, *Tab.* VI. fig. 1. & 2; it. SCHANNAT. Tab. 4. & 5.

(8) *Tab. nostra* VI. fig. 2, & *Tab.* VII. fig. 1, 2, 7; add. SCHANNAT. Tab. 7. in superiori diplomate, & FALCK. in codice Tradit. Corbeiens. Tab. III. 1. it. *Chronic. Gottwic.* in Tab. p. 164.

(9) *Tab. nostra* VI. fig. 3-5, item *Tab.* VII. fig. 3, 4, 6, 9; add. SCHANNAT. Tab. 8.

(10) *Tab. nostra* VII. fig. 5, item SCHANNAT. Tab. 9. in diplomate inferiori.

(11) *Tab. nostra* V. fig. 6, item MABILLON. Tab. 33, in diplomate inferiori.

(12) *Tab.*

(12) *Tab. noſtra* V. fig. 2. & 5, item *Tab.* VI. fig. 3. & 4, & *Tab.* VII. fig. 4, 7, 9; add. MABILLON. Tab. 24, Tab. 26. in diplomate ſuperiori, Tab. 28. itidem in ſuperiori diplomate, Tab. 33. ſimiliter in diplomate ſuperiori; item *Chroniçon Gottwic.* in Tab. p. 140.

(13) *Tab. noſtra* IV. fig. 2, 3, 4, 6, *Tab.* V. fig. 4. & 5, *Tab.* VI, fig. 1, 2, 5, *Tab.* VII. fig. 1, 2, 3, 5, 6, 9; add. MABILLON. Tab. 23, *Chronicon Gottwic.* in Tabb. p. 89, 106, 139, 159, 161, 162, 164. & SCHANNAT. Tab. 7, 8, 9.

(14) *Tab. noſtra* VI. fig. 3. & 4, item *Tab.* VII. fig. 4. & 7; add. *Chronicon Gottwic.* in Tabb. p. 94. & p. 194. SCHANNAT. Tab. 6.

(15) *Tab. noſtra* IV. fig. 1, 2, 4. & *Tab.* V. fig. 1; add. MABILLON. Tab. 19, Tab. 22. in ſecundo diplomate, & Tab. 31. in diplomate ſuperiori.

(16) *Tab. noſtra* IV. fig. 3. & 5; itemque MABILLON. Tab. 31. in diplomate inferiori, & in *Nouveau Traité de diplomatique* T. III. Tab. 68. ad p. 671.

(17) *Tab. noſtra* V. fig. 3; item MABILLON. in Tab. 32, & in *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. Tab 73. ad p. 608.

(18) Id teſtantur omnia fere exempla, quae in *Tabulis noſtris* IV-VII. exhibita ſunt. Adde MABILLON. Tab. 22, 24, 25, 26; item SCHANNAT. Tab. 3, 4, 5.

(19) *Tab. noſtra* V. fig. 2, item MABILLON. Tab. 23. in diplomate primo.

(20) *Tab. noſtra* IV. fig. 1 - 3, item *Tab.* V. fig. 2; add. MABILLON. Tab. 22. in duobus prioribus diplomatibus; item SCHANNAT. Tab. 3.

(21) *Tab. noſtra* IV. fig. 2, 4, 6, item *Tab.* V. fig. 1 - 5; add. MABILLON. Tab. 23, in diplomatibus duobus inferioribus, Tab. 24. & 25; item SCHANNAT. Tab. 4. & 5.

(22) *Tab. noſtra* VI. fig. 3; add. SCHANNAT. Tab. 6; *Chronicon Gottwic.* in tab. p. 89; FALCK. Tab. VII. 3. Idem FALCKIVS in Tab. III. 1. ſignum campanaeforme ex diplomate Arnulphi Regis Rom. A. 888. dato exhibuit, quod contra morem huius aetatis in culmine non magis, quam ad latus ſiniſtrum appendices habet.

(23) *Tab. noſtra* VI. fig. 2; item SCHANNAT. Tab. 7. in diplomate ſuperiori. Add. *eiuſd.* Tradit. Fuldenſ. p. 210.

(24) *Tab. noſtra* VI. fig. 4. & 5, item *Tab.* VII. fig. 1; add. SCHANNAT. Tab. 7. in diplomate inferiori, item Tab. 8. Addatur *Chronicon Gottwic.* in Tabb. p. 94, 106, 139, 140, 159. Obſeruandum eſt hoc loco, ſignum recognitionis, quod SCHANNAT. Tab. 7. in diplom. inferiori in aës incidendum curauit, toto, quod aiunt, caelo ab illa eiuſdem ſigni figura differre, quam idem SCHANNAT. in *Tradition. Fuldenſ.* p. 224. aere exſcriptam exhibuit: quae quidem diuerſitas argumento eſſe poterit, quam parum accurati artifices in his rebus exprimendis eſſe ſoleant, niſi manus eorum a viris doctis quaſi dirigantur,

(25) *Tab. noſtra* VII. fig. 2. & 3; add. SCHANNAT. Tab. 9, & *Chronicon Gottwic.* in Tabb. p. 161. & p. 164.

(26) *Tab. noſtra* VII. fig. 4. & *Chron. Gottwic.* in Tab. p. 194.

(27) *Tab. noſtra* VII. fig. 5, & SCHANNAT. Tab. 9. in diplomate poſteriori.

(28) FALCK. Tab. VII. 4.

(29) *Tab. noſtra* VII. fig. 9. & WALTHER. in Lexici diplom. appendice, Tab. V. Habemus in praeſenti ipſum autographum, quo Waltherus vſus eſt, in manibus, & teſtari poſſumus, Waltheri apographum aere exſcriptum in omnibus cum autographo conuenire.

(30) Vidimus hoc in *autographo* Henrici III. Rom. Regis, A. 1046. dato, quod in manibus noſtris eſt. Signum ipſum in *Tab. noſtra* VII. fig. 7. exhibetur.

(31) *Tab. noſtra* VII. fig. 6. & *Chron. Gottwic.* in Tab. p. 162.

(32) *Tab. noſtra* VII. fig. 10. & MABILLON. in Tab. 40.

§. 239.

Epochae ſignorum recognitionis.

Iam ſequitur, vt, quamdiu durauerint ſigna recognitionis, oſtendamus.

1. In genere *duae* ſignorum recognitionis *epochae* conſtituendae nobis videntur, quarum
   a) *prior* ab antiquiſſimis *Merouaeadum* temporibus vſque ad *Ottonem II.* Imp. ſiue vſque ad finem fere ſaeculi X. excurrit. Atque toto hoc tempore ſignorum recognitionis vſus conſtans ac perpetuus fuit, niſi quod in *Gallia* iam ſub *poſterioribus Carolidis*, qui tamen Ottonis II. fere aequales fuerunt, ſigna haec rariora fieri inciperent (1).
   b) *poſterior* inde ab *Ottone II.* Imp. ad *Henricum V.* Imp. qui A. 1125. obiit, computanda videtur (2): quo temporis ſpatio ſigna recognitionis in diplomatibus mox omiſſa, mox poſita ſunt (3).
2. In ſpecie
   a) *ſigna literalia* antiquiſſima omnium ſunt, & vnica ſub *Merouaeadibus* & prioribus *Carolidis*.

      In Germania poſt Ludouicum Germanicum ceſſarunt (4): in Gallia autem adhuc ſub finem ſaeculi IX. occurrunt, ita quidem vt litera *ſ* longior, hoc eſt, circumductus literalis totum paene ſignum conſtitueret; ſigillum enim areae locum occupabat, apex vero literae *ſ* arcuatus ſigillum ambire ſolebat (5). Obſerua-

seruauimus tamen adhuc A. 988. in diplomate quodam Hugonis Capeti, Regis Galliae, signum recognitionis literale, & compositum adeo, cuius area tota reliquis literis vocis *subscripsit* est repleta (6).

b) *signa linearia* in locum literalium, in Germania certe, inde a *Ludouico III. Saxone*, Ludouici Germanici filio, successerunt. Ac in his quidem signis *campanaeformia* sola fere regnarunt. In diplomatibus Ottonis I. Imp. *castellaria* (7) etiam, & *turrita* (8), quamquam rarissime occurrunt. Ac signum turritum quoque in autographo quodam Henrici III. Rom. Regis, A. 1046 dato, quod in manibus nostris est, animaduertimus. *Cincinnatorum* nonnisi vnicum, idque in diplomate Philippi I. Galliae regis, A. 1068. dato (9), cernere nobis licuit.

(1) Vid. specimina scripturae ap. MABILLON. Tab. 36. & 37.

(2) Auctor saltem *Chronici Gottwicensis* p. 366. §. VI, ex diplomatum intuitu ita statuendum dixit; licet in omnibus scripturae specimibus, quae in Chronico Gottwic. inde ab Ottonis III. Imp. tempore vsque ad Fridericum I. exhibentur, nullum recognitionis signum occurrat. Sed vsum horum signorum inter Ottonem III. & Fridericum I. non prorsus nullum fuisse, statim dicemus.

(3) V. gr. diploma Ottonis II. Imp. A. 980. datum, caret signo recognitionis; sed in alio diplomate eiusdem Imperatoris, A. 982. scripto, signum recognitionis occurrit. Vid. *Chron. Gottwic.* in Tabb. p. 193. & p. 194. Addatur etiam SCHANNATI in Vindic. Fuldens. Tab. 9, in diplomate posteriori, & Tab. 10. Henrici III. Imp. diploma, A. 1056. datum, & a SCHANNATO in Tab. 11. exhibitum, nullum habet recognitionis signum: quamquam fortasse literae contiguae maiusculae (CR), nisi imperatoriae manus signum sint, & has quatuor literas I ⅄ PR. (pro *Imperator*) significent, vicem signi recognitionis sustinent, quippe quae literae etiam pro duabus siglis coniunctis (C. R.) hoc est, *Cancellarius Recognouit*, haberi possunt. Sed est etiam in manibus nostris diploma autographum Henrici III, adhuc Regis, A. 1046. datum, in quo *turritum* signum recognitionis, vt supra iam diximus, occurrit. Vid. *Tab. nostra* VII. fig. 7. Plura signa recognitionis, quae in Henrici III. diplomatibus obseruantur, exstant in HEINECCII Antiquitat. Goslarienf. L. I. p. 47, in AVENTINI Annal. Boior. p. 553, & in aliis etiam libris. Vsum signorum recognitionis sub Henrico IV. Imp. non prorsus desiisse, vel ex his verbis MABILLONII (L. II. C. 12. §. 12. p. 116.) patet: „De Imperatorum „Henricianorum cancellariis hic tantum obseruo insolitum subscribendi mo„dum Herimanni cancellarii in diplomate Henrici IV. Imperatoris pro eccle„sia Virdunensi, qui Herimannus post solitam subscriptionem, signo suo, de „more variis calami ductibus efformato, includit haec verba, literis partim

„graecis exarata: IΔEA EPPHMANNI *Cancellarii.*„ (Idea Errimanni Cancellarii). In *Tab. noſtra* VII. fig. 8. exhibetur ſignum recognitionis, cui haec verba literis graecis inſcripta ſunt: YΔEA VVYNYΘHEPYY KANKELLARYY, hoc eſt, Idea Winitherii Cancellarii. Contra ea ſignum recognitionis in alio diplomate Henrici IV. Imp. A. 1066. dato, & in *Chronico Gottwic.* in Tab. p. 279. exhibito, deeſt.

(4) Vid. SCHANNAT. in Tab. V. diploma inferius, collato diplomate ſuperiori, quod in Tab. VI. exhibetur.

(5) *Tab. noſtra* V. fig. 6, & MABILLON. Tab. 33.

(6) *Tab. noſtra* IV. fig. 5, & *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. Tab. 68. ad p. 671.

(7) *Tab. noſtra* VII. fig. 9, & WALTHERI Lexic. diplom. in appendic. Tab. V.

(8) *Tab. noſtra* VII. fig. 6, & *Chronicon Gottwicenſe* in Tab. ad p. 162.

(9) *Tab. noſtra* VII. fig. 10, & MABILLON. in Tab. 40.

§. 240.

Locus ſignorum recognitionis.

Locus ſignorum recognitionis, iſque *ordinarius*

1. in ſignis *literalibus* & *campanaeformibus* fuit inter formulam recognitionis & ſigillum, quamdiu nempe formula recognitionis & ſignum recognitionis ope voculae *Et*, tamquam vinculo quodam mutuo, coniuncta fuiſſent: id quod vſque ad Ottonem I. Imp. perpetuo obſeruatum fuit; ſed in huius Imperatoris diplomatibus vocula *Et* mox poſita cernitur, mox omiſſa (1). Idem de diplomatibus Ottonis II. dicendum eſt (2). Atque eo tempore, quo ſigna recognitionis inter formulas recognitionis & ſigilla collocata fuiſſe diximus, appendices ſignorum recognitionis ſaepe ita prolongatae ſunt, vt vltra ſigillum ipſum extenderentur (3), vel ſigillum ambirent (4), quid? quod ſunt quoque ſigna recognitionis, quorum appendices ipſi cerae ſigillorum inſcripti fuerunt (5). Illa vero ſigna campanaeformia, quibus vocula *Et* non adiuncta eſt, indiſcriminatim nunc ante (6), nunc poſt ſigilla (7), poſita fuerunt.
2. Signa *caſtellaria* (8) & *turrita* (9) ordinarie ante ſigilla collocata ſunt.
3. Signa *cincinnata*. Huius generis vnum tantummodo, vt ſupra diximus, nobis occurrit, quod quidem infra verba duo poſteriora formulae recognitionis *et notauit* poſitum, ac ſigillo quidem praemiſſum fuit (10).

(1) Vid.

(1) Vid. *Chronicon Gottwic.* in Tabb. p. 159, 161, 162, 164.

(2) *Chronic. Gottwic.* in Tab. p. 194. & SCHANNAT. in Vindic. Fuld. Tab. 9. in diplomate posteriori.

(3) SCHANNAT. Tab. 5. in diplomate superiori, it. Tab. 7. & 8; MABILLON. Tab. 23, 28, & 31. in diplomate primo; *Chronicon Gottwic.* in Tabb. p. 106, & p. 139.

(4) MABILLON. Tab. 33, & 34.

(5) MABILLON. Tab. 30, & 32; FALCK. Cod. Tradit. Corbeiens. Tab. III. 1. & Tab. VII. 4; WALTHERI Lexic. dipl. in append. Tab. III.

(6) *Chronic. Gottwic.* in Tab. p. 161; & SCHANNAT. Tab. 9. in diplomate inferiori. Superius diploma huius tabulae 9. Ottonem I. Regem auctorem habet: & in hoc singulare quid habet, quod signum recognitionis sigillo postpositum est, licet voculam *Et* sibi adiunctam habeat; id quod ipse etiam Schannatus p. 91. obseruauit.

(7) *Chronicon Gottwic.* in Tab. p. 194. Idem etiam obseruare nobis licuit in diplomate autographo Ottonis II, adhuc Regis & patris in Germania vicarii vel collegae potius, A. 963, dato, quod in manibus habemus.

(8) WALTHERI Lexicon diplom. in append. Tab. V.

(9) Testante id diplomate autographo Henrici III. regis, A. 1046. dato, quod in manibus nostris est. In *Chronico Gottwic.* p. 162. occurrit signum turritum, quod supra sigillum positum est, nisi forte in exscribenda hac tabula aenea erratum fuerit.

(10) MABILLON. Tab. 40.

§. 241.

Vsus signorum recognitionis.

Initio & antiquis praesertim temporibus, signa recognitionis omnibus hominibus, qui diplomata vel ipsi scribenda curarunt, vel data ab aliis testimonio suo confirmarunt, in *vsu* fuerant. Quum itaque olim quilibet, siue auctor fuerit diplomatis, siue testis, manus propriae vestigia quaedam diplomati inesse voluerit (1); dilucide patet, signa haec non a solis notariis s. cancellariis antiquitus fuisse adhibita. Sed quia primo notarii siue cancellarii cultiorem regulisque nonnullis adstrictam formam horum signorum sub vltimis Merouaeadibus introducere coeperunt, quae deinde sub Carolidis magis magisque exculta fuerat, vt autographa non magis, quam apographa s. exempla aere exscripta testantur (2): deinde quia eodem tempore ceteri fere omnes, praeter notarios s. cancellarios, ab his, quae diximus signis, abstinere coeperunt; sollemne inde atque vsita-

vsitatum factum est, vt, quoties nunc de signis recognitionis sermo instituitur, semper fere signa tantum notariorum s. cancellariorum intelligantur. Id vero simul hoc loco monendum est, non eos tantum notarios, qui Regum atque Imperatorum diplomata scripserunt, sed illos etiam, qui e. gr. personarum illustrium (3), abbatum (4) &c. chartas confecerunt, eiusmodi signa recognitionis adhibuisse.

(1) Vid. e. gr. subscriptiones in diplomate Chlodouaei Iunioris ap. MABILLON. Tab. 17. Adde etiam diploma Chrotildis matronae ap. eumd. MABILLON. Tab. 19.

(2) Compara e. gr. subscriptionis signa, quae apud MABILLON. in Tab. 22. occurrunt, primo cum iis, quae in Tab. 17, 19. & 20. exhibentur: deinde haec omnia cum signis, quae in Carolidarum diplomatibus exarata sunt, & ap. MABILLON. in Tab. 23, 24, 25. &c. exstant.

(3) Vid. ap. MABILLON. Tab. 19. diploma superius. Adde diploma Ansemundi eiusque vxoris, A. 520. datum, ap. eumd. MABILL. p. 463. num. III.

(4) SCHANNAT. Tab. 12. in diplomate primo.

§. 242.

Significatio signorum recognitionis.

De *significatione* signorum recognitionis duae potissimum sententiae ab hominibus eruditis hucusque sunt allatae, quarum vna PAPEBROCHIVM (1) auctorem habet, quam deinde MABILLONIVS (2) secutus est; altera ab illustri auctore *Chronici Gottwicensis* (3) excogitata fuit. Papebrochius & cum eo Mabillonius existimarunt, signis cancellariorum, quae nos signa recognitionis appellare solemus, verba haec: *signaui*, vel *subscripsi*, vel *registraui*, vel alia his similia, occultata fuisse: quoniamque haec signa etiam literas varie contortas exhiberent, has *notis* iis *Tironis & Senecae*, quas GRVTERVS publicauit, similes esse dixerunt; ita tamen, vt Mabillonius, quid de his notis sentiret, prorsus non indicauerit; Papebrochius autem contenderit, notas has, praeter eam, quam definierat vt diximus, nullam aliam vim habuisse, sed pro lubitu adhibitas esse, eodem modo, quo nunc quoque notarii publici *signa notariatus*, qualia vellent, sibi sumerent (4). At vero haec opinio Praesuli Gottwicensi quodammodo displicuit. In hoc quidem is Mabillonio & Papebrochio assensus est, quod his signis verba *subscripsi*, *signaui*, cet. declarata essent; sed notas, quae his signis insint, pro arbitrio a notariis s. cancellariis fictas esse, neque quidquam praeterea illis esse significatum, negauit. Haud in-

incredibile enim sibi esse dixit, sub his notis *nomen cancellarii* latere, quod ad modum monogrammatis signo ipsi esset illatum: cancellarios enim hac in re, Imperatorum atque Regum, qui nomina sua monogrammatis expressissent, fuisse imitatores. Atque hae quidem aliorum sententiae de signis recognitionis sunt. Iam quid nos ipsi de iis sentiamus, distinctius aperiemus. Sed res inde ab origine sua repetenda esse videtur. *Reges Merouingici* plerumque manu propria diplomatibus nomina sua subscripserunt. Idem quoque fecerunt alii diplomatum auctores, vt Pontifices Romani, feminae illustres, Episcopi &c. itemque Referendarii s. Cancellarii, ac testes: id quod ex diuersitate scripturarum dilucide patet (5). In his subscriptionibus vox *subscripsi*, vel *subscripsit*, vel alia ei similis, semper compendiose scripta deprehenditur, ita videlicet, vt pleraeque literae, praeter initialium vnam alteramque, ductibus varie contortis crispatisque exprimerentur, vel occultarentur potius. Sed iam tum additae interdum sunt his ductibus *notae quaedam Tironis*, praesertim inde a tempore Theoderici III. circa an. 678. (6): de quibus notis infra dicendi aliquid locus erit. Chilperici II. subscriptio (7) primum in hoc singularis est, quod vocis *subscripsit* litera initialis *s* cum finali *t* superne semicirculo coniuncta est (*ſt*), in eumdem fere modum, quo notarii sub Carolidis literam *s* (siglam vocis *subscripsi*), apice arcuatim prolongato, in signis recognitionis exprimere solebant. Deinde hoc quoque in Chilperici II. subscriptione notatu dignum est, quod intra lineas duas transuersas & vtrimque prominentes, quae modo dictas literas *ſt* secant, voces *Bene Val.* (Bene Valete) exhibentur: quae in aliis quidem diplomatibus etiam occurrunt, sed plerumque ad latus sigilli sinistrum collocatae sunt (8).

Ex his, quae hactenus dicta sunt, patet, 1) signum, de quo quaerimus, si originem spectes, ad indicandam vocem *subscripsi* vel *subscripsit* adhibitum esse, 2) aliarum quoque rerum, vt *notarum Tironis*, verborum *Bene valete*, fuisse receptaculum, ac 3) non proprium notariorum s. Cancellariorum signum, sed commune potius illis cum Regibus, testibus, cet. fuisse.

Sed sub *Carolidis* haud exiguam haec res mutationem experta est. *Pipinus* enim, Carolidarum parens, ab hoc signo se abstinuit, siquidem pro eo crucem (9) adhibuerat: *Carolus* autem, quem *Magni* cognomine ab aliis distinguere solemus, perpetuum monogrammatum vsum (10) introduxit. Reges itaque & Imperatores omnes per totum illud tempo-

ris spatium, quo recognitionis signa in vsu fuerant, tale signum recognitionis, quali Merouaeades vsi sunt, neglexerunt. Sed per idem tempus testium quoque subscriptiones cessarunt. Remanserunt itaque sola fere notariorum s. cancellariorum signa recognitionis. Sub Carolidis praeterea hic mos inualuit, vt Cancellarius s. Notarius plerumque pro Archicancellario, siue, vt tum loquebantur, *ad vicem* seu *vice* Archicancellarii (11) diplomatibus subscriberet. Denique ipsa signorum recognitionis figura, vt supra diximus, cultiorem habitum induit. Sed haud intempestiue nunc quaeritur, quae potissimum vis atque potestas signorum recognitionis inde a Carolidarum tempore fuerit? Tota res, quantum nos quidem existimamus, ad ea, quae signis recognitionis insunt, redire videtur. Ex formulis enim recognitionis parum aut nihil, quod e re sit, depromi potest. Nam ex ipso intuitu autographorum, quorum sat multa vidimus, atque inter se comparauimus, dilucide patet, notarium eum, qui diploma aliquod manu sua scripsit, formulam quoque recognitionis addidisse. Sed autographa etiam docent, notarium, qui diploma scripsit, signi quoque recognitionis exteriora adiunxisse. Primo enim ille *circumductum*, eumque pro temporum diuersitate vel *literalem*, vel *linearem* formauit: deinde *aream* in cellulas & *appendicem* in tabulata distinxit. Atque haec fecit notarius, qui scripsit tantum diploma, non vero simul recognouit & subscripsit, hoc est, is notarius, qui cum notarii officio non simul dignitatem ac munus cancellarii administrauit. Ea igitur postquam ab eiusmodi notario facta essent, diploma ipsum cancellario, cuius in formula recognitionis mentio fit, traditum est, qui deinde signo recognitionis notas quasdam sibi sollemnes easque tironianas (12) vel siglas etiam, aliasue literas (13), tamquam recognitionis & subscriptionis suae testes, intulit. Notae hae, quae fortasse nomen cancellarii, vel symbolum aliquod illius indicauerint, sunt adhuc diplomaticorum aenigmata, quae vero haud difficulter solui poterunt, si notae Tironis ita, vt supra (§. 71.) dictum est, explicentur. Sed sunt etiam diplomata, quorum signis recognitionis cancellarius ipsum nomen suum, literis disertis scriptum, inseruit (14).

Postquam de iis diplomatibus diximus, quae a diuersis personis scripta & recognita sunt: sequitur, vt de illis etiam agamus, quae ab eadem persona & scripta sunt & recognita. Atque horum quidem diplomatum ab illis prioribus distinguendorum duplex potissimum modus est. Primo scilicet dispiciendum est, num signum recognitionis notas aliquas,

hoc

hoc est, vel notas Tironis, vel siglas aliasue literas, vel integras denique voces contineat, an vero vacuum sit? Qua in re id simul cauendum est, ne ductus arbitrarios, e. gr. literam *ſ* longiorem, saepius repetitam, vel cincinnos, hoc est, ductus intortos, pro notis literisue habeas, ac nubem adeo pro Iunone amplectaris. Hi enim ductus eo tantum consilio a notariis adhibiti sunt, vt sua signa a signis aliorum notariorum distinguerent, vel etiam, vt eorum ope cellulas areae & tabulata appendicis formarent: quamquam concedamus, eos ductus originem a primordiali litera vocis *ſubſcripſi* vel *ſubſcripſit* duxisse, vt significaretur, signum hoc, ex eiusmodi ductibus conflatum, *commune recognitionum & ſubſcriptionum receptaculum* esse. Quando igitur diplomata occurrunt, quorum signa recognitionis cellulas ac tabulata vacua habent; ea diplomata a notariis s. cancellariis scripta pariter, atque recognita esse videntur: nisi quis existimare malit, eiusmodi diplomata *plane non recognita*, atque eam ob causam nullius vel parui momenti esse. Huius generis sunt duo diplomata, vnum Lotharii I. Imperatoris, alterum Ludouici III. Germaniae Regis, quae SCHANNATVS (15) vna cum signis recognitionis in aes exscribenda curauit. Referimus huc quoque alia tria diplomata, quae in *Chronico Gottwicenſi* p. 94, 140. & 194. aere exscripta cernuntur.

Sed possunt diplomata, quae a notariis s. cancellariis & scripta & recognita sunt, ab illis, quae cancellarii tantum recognouerunt, non simul scripserunt, alio etiam modo dignosci. Notarii videlicet, seu cancellarii, qui diplomata scripserunt pariter, atque recognouerunt, signum recognitionis ex sola voce *ſubſcripſit* formarunt: ita quidem, vt circumductus signi ex literis *ſt* coniunctis fieret, area autem intermediis literis vocis *ſubſcripſit* compleretur. Huius generis diplomata duo in medium proferemus, quorum vnum a Carolo Caluo Imperatore (16): alterum ab Hugone Capeto, Galliae Rege (17), datum est. Prius diploma etiam in hoc singulare est, quod Gozlinus Cancellarius s. Archicancellarius nomen suum literis maiusculis iisque rubris scriptum, formulae recognitionis atque adeo nomini notarii, Audacheri, qui diploma scripsit & recognouit, superimposuerit: licet Audacherus notarius in formula recognitionis professus sit, se diploma ad vicem Gozlini recognouisse & subscripsisse. Inducit nos hoc diploma, vt suspicemur, *Archicancellariorum* quoque notas aliquas in signis recognitionis exstare, quibus illi diploma aliquod consensu suo scriptum esse declarauerint: nisi iam ipsum nomen suum plene scriptum, vt Gozlinus fecerat, formulae recognitionis adiunxissent. Fortasse

taſſe etiam notas aliquas *Regiſtratorum*, *Secretariorum* aliorumque hominum, quorum vſus aliquis in cancellaria Regum, Imperatorum, cet. eſſe poterat, in ſignis recognitionis cernere licet. Nos adeo *Ambaſciatorum*, hoc eſt, deprecatorum (*der Fürbitter*) ſubſcriptiones, verbis diſertis expreſſas, in his ſignis animaduertimus; cuiuſmodi hoc exemplum in diplomate quodam Caroli Calui Imp. eſt: *franco p̄poſit* (praepoſitus) *ambaſciauit* (18). Quis vero deprecatoris ſubſcriptionem ſigno cuidam recognitionis ineſſe ſuſpicaretur, ſi ſubſcriptio ſiglis, vel notis Tironis exarata eſſet? Sunt etiam recognitionis ſigna, quibus *plura ſubſcriptionum genera* indita eſſe, vel ex pluribus *Chriſmi*, quae illis inſunt, figuris, nemo eſt, qui non cognoſcat (19). Nota denique Tironis, qua vox *ſignaui* (𝔖), item verbum *ſubſcripſi* vel *ſubſcripſit* (𝔖), ac nota 7̃8 & (ר) exprimitur, in reliquis notis facile animaduerti poteſt (20). Vt vno verbo dicamus, de omnibus his rebus, quae ſignis recognitionis inſunt, tunc demum certiora afferre licebit, cum ſyſtema notarum Tironis tale, quale ſupra (§. 68 - 71.) deſcripſimus, congeſtum explicatumque fuerit. Id vero nunc iam dicere pro certo poſſumus, erraſſe *Papebrochium*, qui notas ſignorum recognitionis omnes pro ductibus otioſis ac nihil ſignificantibus habere non dubitauit; erraſſe deinde etiam *auctorem Chronici Gottwicenſis*, qui non niſi cancellariorum nomina ac monogrammata ſignis recognitionis ineſſe credidit.

(1) PAPEBROCH. in propylaeo antiquario apud *Baring.* in claue diplom. p. 265. ſq. §. 53.

(2) MABILLON. L. II. C. 21. §. 14.

(3) *Chronicon Gottwic.* p. 98. ſq.

(4) MABILLON. L. II. C. 16. §. 3. & PAPEBROCH. l. c.

(5) MABILLON. in Tabb. 17, 19, 20, 21, 22.

(6) MABILLON. Tab. 20. in diplom. ſuperiori.

(7) *Tab noſtra* V. fig. 1, & MABILLON. Tab. 22. in diplom. ſecundo.

(8) MABILLON. Tab. 19. in diplom. poſteriori, item Tab. 20. in diplom. primo, & Tab. 23. in diplom. itidem primo.

(9) MABILLON. Tab. 23. in diplom. primo & SCHANNAT. Tab. 3.

(10) Vid. Scripturae ſpecimina in MABILLON. SCHANNAT. & in *Chronico Gottwic. cet.*

(11) Vid. itidem diplomata in excitatis modo, aliiſque diplomatum collectionibus.

(12) Vid.

(12) Vid. *Tab. noſtra* IV-VII. paſſim, item SCHANNAT. Tab. 4, 7, &c.

(13) *Tab. noſtra* VII. fig. 3, & SCHANNAT. Tab. 9, item *Chronicon Gottwic.* ad p. 164.

(14) Vid. *Tab. noſtra* VII. fig. 8, & *Chronicon Gottwic.* p. 98. ſq.

(15) SCHANNAT. Tab. 5. in diplom. ſuperiori & Tab. 6. in diplom. ſuperiori; add. etiam *Tab. noſtra* VI. fig. 3. & 4, item *Tab.* VII. fig. 4.

(16) *Tab. noſtra* IV. fig. 3, & MABILLON. Tab. 31. in diplom. inferiori.

(17) *Tab. noſtra* IV. fig. 5, & *Nouveau Traité de diplomatique* T. III. p. 671. in ſuperiori parte tabulae 68. Add. etiam T. IV. Tab. 73. Num. II. fig. 7. ad p. 608.

(18) *Tab. noſtra* V. fig. 3, & MABILLON. Tab. 32. Add. etiam *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. Tab. 73. Num. II. fig. 3. ad p. 608, vbi ſignum recognitionis exhibetur, in quo leguntur haec verba: *frotharius ambaſciauit.*

(19) Vid. inprimis *Tab. noſtra* VI. fig. 1. Adde MABILLONII Tab. 25. p. 391.

(20) Vid. *Tab. noſtra* IV. fig. 3, & *Tab.* VI. fig. 1. & 5; quibus merito adiungenda ſunt ſigna, quae MABILLONIVS in Tab. 24. p. 389. in diplomate inferiori, & in Tab. 25. p. 391, item SCHANNATVS in Tab. VII. in diplomate inferiori, & in Tab. VIII. in vtroque diplomate, exhibuit.

§. 243.

De ſignis ſeu ſignetis notariorum recentiorum.

Notarii recentiores ad exarandа ſigna ſua, quae vulgo *ſigneta notariatus* appellantur, vel typarium quoddam, atramento intinctum, vel calamum ſeu pennam adhibere ſolent. In antiquiſſimis horum ſignetorum formis notariorum nomen plerumque non apparet: accidit vero interdum, annis praeſertim aliquot interiectis, vt ſignetis areola quaedam vacua ſubiiceretur, eo quidem conſilio, vt notarii nomina ſua calami ſeu pennae ope iis inſcribere poſſent. Sed ſunt etiam ſigneta, in quorum iam typariis nomina notariorum vel ſiglis, vel literarum conſequentia expreſſa fuerunt. Praeter nomina, interdum quoque ſententiae quaedam, e. gr. *Pace quid eſt melius?* ſignetis inſcriptae cernuntur. Figurae horum ſignetorum, vt hodie notariorum arbitrio relictae ſunt, ita ſuperioribus etiam ſaeculis arbitrariae fuiſſe videntur. Beatus vir, BARINGIVS, duodeuiginti notariatus ſigneta, tabulis aeneis expreſſa, in claue ſua diplomatica poſt pag. 228 publicauit. Antiquiſſimum eorum eſt Iac. Arnaldi, diplomati A. 1345. dato, adiunctum. Sed in TREVERI *Geſchlechtshiſtorie der Herren von Münchhauſen*, in cod. diplomat. p. 19. occurrit inſtrumentum publicum, iam A. 1304. a notario Ioh. Schnuphaſte confectum,

ctum, signoque notariatus instructum: figura tamen huius signi, quod dolendum est, non fuit aere exscripta. In (*) *nouo opere diplomatico* ex instrumento aliquo publico, A. 1296. exarato, hic epilogus asseritur: *Et ego idem Raimundus de Pradali notarius publicus ante dictus subscribo & signo, Domino Philippo Rege Franciae*: ex quibus verbis, si quidem ego ea recte intelligam (nihil enim hac de re nobiles huius operis auctores monuerunt), signeta notariatus iam exeunte saeculo XIII. vsitata fuisse patet. Sed quid opus est coniecturis in re, cuius exempla certa manu tenemus? Prouoco nempe ad signetum illud, quod (**) MVRATORIVS, vir harum rerum, quas alii, tamquam minutias, negligunt, curiosissimus, in aes incidendum curauit. Signetum hoc, primum atque antiquissimum omnium illorum, quae mihi quidem videre contigit, adiunctum est instrumento cuidam publico, in caussa grauissima A. 1236. scripto. Placet, verba ea, quae in huius instrumenti epilogo leguntur, vna cum ipso signeto, quod nomen NICOLAVS, ad instar monogrammatum scriptum, exhibet, huc transscribere. „Ego Gregorius, sa„crosanctae Romanae Ecclesiae Scriniarius, iis omnibus interfui, & hoc „instrumentum scripsi & compleui, *meoque signo* signaui, & in publicam „formam redegi.

„Et ego *Nicolaus Ferentinus*, sanctae Romanae Ecclesiae Scriniarius, „hoc Instrumentum, sicut inueni in praedicto publico Instrumento, ni„hil addens, vel minuens, vel mutans, de verbo ad verbum, auctorita„te Apostolicae Sedis exemplaui & in publicam formam scripsi & *signum* „*feci*:



(*) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 435. not. (1). Adde etiam, quae ibid. p. 436. in not. itemque T. IV. p. 63, & p. 287-289. commemorantur.

(**) MVRATORII Antiquitatum Ital. medii aeui T. VI. p. 9. Eadem huius signeti figura occurrit etiam ibid. p. 12.

CAPVT

CAPVT III.

SYMBOLICA.

* DU FRESNE seu Du *Cange* in Glossario mediae & infimae Latinitatis, sub voce *Inuestitura*.

** *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 645 — 651, coll. p. 468 — 470.

§. 244.

Definitio symbolicae & symbolorum inuestiturae.

Inuestitura, vox barbara, nihil aliud est, quam admissio in rei alicuius (muneris scilicet, praedii, iuris) possessionem: quae quidem admissio quum non verbis tantum, vel literis scriptis, sed etiam *symbolis* quibusdam adhibitis, quae cum re vendita, donata, concessa, restituta, cet. aliquid cognationis haberent, facta sit; patet, quid *inuestiturae symbolis* denotetur. Illa vero disciplina, quae in his symbolis inuestiturae exponendis versari debet, haud exigua Semioticae (§. 229.) pars est, quam si *Symbolicae* nomine insigniamus, haud incommode facere nobis videmur.

§. 245.

Auctoritas symbolorum inuestiturae.

Quanta symbolorum inuestiturae *auctoritas* sit, ex hoc facile poterit iudicari, quod ea inter diplomatum *sollemnia* numerata sunt, in quibus, vt supra (§. 5.) diximus, omnes gentes, & barbarae etiam, summam diplomatum ipsorum fidem ac robur inesse voluerunt. Symbola haec sigillorum & subscriptionum vim atque auctoritatem iis diplomatibus, quae his praesidiis destituta sunt, largiuntur; ceteris vero documentis omnibus fidem maiorem conciliant.

§. 246.

Antiquitas & duratio symbolorum inuestiturae.

Quamquam inuestiturae antiquissimis iam temporibus vsitatae fuerunt, earumque etiam in diplomatibus, saeculo VII, immo ante hoc saeculum scriptis, mentio initur; multo tamen saepius inuestiturae earumque symbola inde a saeculo IX. in diplomatibus commemorantur: ex hoc certe tempore ad fidem ipsis diplomatibus faciendam, tamquam sollemnia

(§.

(§. 245.) adhiberi coepta sunt. Inuestitura, per cespitem facta, adhuc saeculo XIV. in Gallia in vsu fuit: in Belgio vero haec inuestiendi ratio ad recentiora vsque tempora continuata est. In quibusdam terris symbolorum quorumdam vsus nunc quoque durat.

§. 247.

Diuisio symbolorum inuestiturae in stata s. naturalia & arbitraria.

Si CANGIUM audiamus, *symbola* inuestiturae in *stata* & *arbitraria* dividenda sunt. *Stata* seu *fixa* (quae rectius fortasse *naturalia* dici possent) Cangius ea symbola dixit, quae legibus vel consuetudine apud omnes fere populos recepta & vsu definita erant, & quoniam cum rebus ipsis, quae tradebantur, affinitatem aliquam habuerunt, eodem fere modo iisdemque ritibus apud gentes diuersas inuestituris celebrandis adhibebantur: *arbitraria* vero, quae, posthabitis vetustioribus traditionum formis, introducta sunt, Cangio ea dicuntur, quae neque legibus moribusue erant definita, neque cum rebus traditis cognationis aliquid habebant. Statorum siue naturalium inuestiturae symbolorum hoc exemplum Cangius posuit. „Vt agri vel praedii inuestituram factam denotarent, cespitem, gle„bam, seu *Wasonem*, vti loquebantur, ex ipso agro desumtum, in manus „illius, cui donabatur, tradebant: quo symbolo fundi proprietas pror„sus in eum translata innuebatur. At ne tantum solum ipsum concessum „crederetur, addebatur & *ramus*, quo comprehenderetur soli superficies „(id est, si quid satum & aedificatum esset, vt sunt vites, arbores, plan„tae, segetes): quae quidem vsque eo soli pars est, vt non illud sine „hac tradi vel vsucapi possit, cum superficies *solo cedat*, vt aiunt iurisconsulti. Addebatur hisce symbolis *festuca*, quae interdum *fustis* dici„tur, *baculus*, *virga* &c. cuius traditione, dominium rei pariter trans„latum crederetur: cum *baculus* ac virga domini in suos ac res suas ius & „potestatem denotet — Praeter ista quandoque adhibita *cultelli* traditio, „seu *gladii*, qui potestatis, cuius signum est, vicem praeberet, vt qui „magis ad manum esset, seu hocce symbolo significaretur, eum, qui rei „dominium subibat, ius habere euertendi, disiiciendi, succidendi, me„tendi &c. in eo praedio, cuius possessionem adibat„. Sigillatim deinde Cangius ad stata s. naturalia inuestiturae symbola refert inuestituras 1) *per cespitem*, 2) *per herbam & terram*, 3) *per ramum & cespitem*, 4) *cum*

4) *cum ramo & guasone vel wasone*, id est, cespite, 5) *per guazonem, andelaginem* (manum datam vel secundum alios, baculum longiorem) *& ramos de arboribus*, 6) *per baculum*, 7) *per baculum & annulum*, 8) *per fustem*, 9) *cum ligno*, 10) *per cultellum*, 11) *per cultellum, festucam nodatam, wantonem* (chirothecam) *& wasonem terrae*, & 12) *per cultellum plicatum*. Sed, vt bene recteque iam obseruarunt nobiles noui operis diplomatici auctores, tota haec symbolorum diuisio, in stata s. naturalia & arbitraria, lubrica est, neque Cangius, vir ceteroqui doctissimus, hac in re defendi vllo modo potest, nisi forte eum de iis temporibus, quae omnia omnino diplomata nunc exstantia antecesserunt, locutum esse dixeris. Constat enim, symbola naturalia & arbitraria inde ab ineunte saeculo IX. indiscriminatim fuisse vsurpata: nisi quod cespites, glebae, rami, aliaque symbola naturalia reliquis symbolorum generibus tunc plerumque praelata sunt, cum traditio eo ipso in loco, qui tradebatur, facta est.

§. 248.

Aliae symbolorum inuestiturae diuisiones.

Quoniam inuestitura triplex potissimum est, munerum, tam sacrorum, quam ciuilium, bonorum ac iurium; sequitur, vt etiam symbola, quibus inuestitura denotabatur, trifariam diuidi possint, in *symbola* scilicet 1) *munerum*, tam *sacrorum*, quam *ciuilium*, 2) *bonorum*, ac 3) *iurium*. Ac munerum sacrorum s. ecclesiasticorum haec potissimum symbola fuerunt: Annulus, mitra, pedum, portae vel claues ecclesiarum, & campanarum seu clocarum vel funes, vel sonitus etiam. Contra gladius, vexillum, hasta, sceptrum seu baculus munerum siue dignitatum ciuilium praecipua symbola fuerunt: ita tamen, vt mox gladius & vexillum indiscriminatim pro Imperiorum, Regnorum, Ducatuum, Comitatuum & feudorum nobilium symbolis vsurparentur, mox vero sigillatim Regna gladio, Prouinciae vexillis, & Ducatus hasta vel sceptro significarentur. Sic Thassilo, Dux Bauariae, vt in Annalibus Francorum S. Nazarii ad a. 787 legitur, ad Carolum M. veniens, *reddidit ei cum Baculo ipsam patriam, in cuius capite similitudo hominis erat*. Symbola bonorum qualia fuerint, ex iis exemplis symbolorum naturalium, quae paullo ante (§. 247.) Cangii verbis descripsimus, quodammodo intelligi potest. His addimus nunc symbola quaedam arbitraria, quae INGVLFVS, Anglus, qui A. 1109. obiit, his verbis p. 901. commemorat: „Conferebantur etiam pri-

„mo multa praedia nudo verbo, absque scripto, vel charta, tantum cum „domini gladio, vel galea, vel cornu (id est poculo), vel cratera, & „plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu, & nonnulla „cum sagitta„. Sed iurium etiam symbola varia erant. Sic cum lites, inter Monasteria & Praesules ortae, dirimerentur, ei parti, quae caussam obtinebat, *baculus* quidam datus est. Deinde symbola inuestiturae etiam in *symbola* 1) *donationis* s. *traditionis*, 2) *venditionis*, 3) *cessionis*, 4) *permutationis*, ac 5) *restitutionis* dispertiri possunt: id quod per se facile intellectu est. Inuestiturae non vno tantum symbolo, sed pluribus etiam interdum symbolis adhibitis significatae sunt, e. gr. *per wasonem* (cespitem) *terrae & fistucam nodatum* (nodatam), *seu ramo arborum atque per cultellum & wantonem* (chirothecam) *seu andelaginem* (manum datam s. secundum alios, baculum longum). Cespites inprimis & ramos coniunctim adhibere, admodum sollemne fuit, ita quidem, vt ramus virescens cespiti infigeretur. Existit inde noua symbolorum diuisio in *simplicia* & *composita*. Quoniam denique symbola inuestiturae non modo a largitoribus s. donatoribus, venditoribus, restitutoribus cet. sed etiam vicissim a donatariis, emtoribus cet. data sunt; symbola quoque in *symbola tradentium & accipientium* diuidi possunt. Ad accipientium symbola pertinent e. gr. annulus aureus, crater s. poculum, equus phaleratus, vestis aliqua sacra, certa pecuniae summa, pelles, frumenta: quamquam symbola accipientium rarius, quam tradentium, in diplomatibus commemorantur.

§. 249.

Index alphabeticus praecipuorum inuestiturae symbolorum.

Liceat mihi nunc *praecipua symbolorum inuestiturae genera* ordine literarum commemorare, additis simul vocum barbararum explicationibus.

Per alapam, vid. infra *per colaphum*, sub lit. C.

Per amphoram plenam aquae maris.

Per andelaginem (*andilaginem*, *andilagon*) siue *andelangum*. Vocabulum hoc barbarum secundum aliquos cantherium s. sustentaculum focarium, Gall. *Landier*, Germ. *Feuerbock*, vel etiam fustem s. baculum longiorem significat; quamquam veri est similius, illud ex vocibus theotiscis *in handen langen*, h. e. in manus tradere, conflatum esse.

Sym-

Symbolum ipsum plerumque cum aliis symbolorum generibus coniungitur, cuiusmodi haec exempla sunt: *per guasonem* (cespitem), *andelaginem, & ramos de arboribus; per festucam & andelaginem; per guasonem & andilagon; per cultellum, & guantone* (chirotheca), *simulque andilagine.*

Per annulum. Traditione annuli maiorum praesertim dignitatum ac praediorum inuestiturae factae sunt. Annulus plerumque aureus fuit. Singulare exemplum huius rei in Iohanne, Domino Turonii, habemus, de quo haec in Tabulario Episcopatus Parisiensis leguntur: „A. 1249. „Ioannes frater Anselli, Militis D. Turnonii, fecit homagium dicto „Episcopo de illa parte, quam tenebat in dicto castro — ad quod „homagium admisit eundem D. Episcopus, volens ipsum inuestire *per „baculum, vel festucam*, prout moris est: quam Inuestituram noluit „recipere dictus Ioannes, dicens, quod ipsam non reciperet, *nisi per „annulum aureum* inuestiretur„. Annuli eiusmodi oblati catena saepe altaribus in rei gestae memoriam annexi sunt.

Per annulum de campana (campanae) *Ecclesiae.* Vid. infra symbolum: *per cordam signi.*

Per baculum. Baculus ipse vel altari imponebatur, vel in manum etiam eius, qui inuestituram obtinuit, tradebatur: nec raro ipsis diplomatibus insutus deprehenditur. Definita plerumque simul est species arboris, ex qua baculus factus est, e. gr. Baculus querceus, miriceus, fraxineus, coldrinus, h. e. ex corylo (*coudrier*) factus. Interdum formam etiam baculorum descriptam inuenimus. Sunt praeterea baculi huius generis, qui inscriptionibus ornati sunt, vt infra videbimus.

Per baculum (pedum) *& annulum.* Hoc symbolo compositio Inuestituras ecclesiasticas factas esse, vel tirones historiae ex cruenta illa, quae diu orbem Christianum afflixit, inter Imperium & Sacerdotium controuersia norunt.

Per beretam & *birretum*, notum pilei genus.

Per barbae capillos.

Per berillum, h. e. conspicillum, ex voce theotisca *Brille*, Gall. *Besicle.*

Per bibliothecam, h. e. per sacra Biblia veteris & noui Testamenti.

Per calicem s. *cum calice.* Intelligitur calix sacer.

Per calicem aureum cum patena sua.

Per cambutam (pedum s. baculum) *Episcopi.* Appellant eam Episcopi etiam *virgam auctoritatis suae.*

Per candelabrum. Impositum candelabrum plerumque altari est.

Canum venaticorum apprehensione.

Per capellum (mitram) *Prioris.*

Per capillos capitis.

Per capillos barbae.

Per cespitem. Cespes altari plerumque impositus, & ex ipso agro, praedio cet., quo quis inuestiebatur, depromtus est.

Per ramum & cespitem, s. *cum ramo & cespite, cultelloque cum manubrio albo.* Ramus cespiti plerumque infigebatur & altari imponebatur.

Per chartam super altare, h. e. altari impositum.

Per chirothecam s. *cyrothecas.*

Per claues Ecclesiae, s. *cum vna claue*, item *per traditionem libri & specialiter per traditionem clauium.* Claues semper fere altari impositae sunt.

Per clocas (campanas) *Ecclesiae*, item per *clocas & ostia* s. *portas Ecclesiae.* Vid. paullo post symbolum: *per cordam signi.*

Per coclear (cochlear) *de turibulo.* Cochlear altari imponi solebat.

Per colaphum. Huius symboli exemplum in charta fundationis Abbatiae S. Petri Pratellensis in dioecesi Lexouiensi, quae in MABILLONII Annal. Bened. T. IV. ad an. 1034. p. 393. exstat, his verbis commemoratur: „Sed quia Willelmus adhuc puerulus eiusdem Roberti Comitis „(Nortmannorum) filius, post illum erat regnaturus; eum pater Pra„tellum misit, vt suo iussu etiam puer propria manu donationem Tur„stini villae super altare poneret. Huic rei interfuerunt vetulus Nigel„lus Turaldus, qui vnum de supra scriptis caballis a Comite Roberto „dono suscepit; Radulfus Camberarius filius Geraldi, Goscelinus Ru„fus de Formouilla, Humfridus constructor eiusdem loci cum filiis suis „Rogerio & Roberto Willelmo, qui etiam a patre ob causam memo„riae *colaphum* suscepit. Suscepit etiam *aliud colaphum* Richardus de „Lillabona, qui ocream vini Comitis Roberti ferebat: qui, cum re„quireret, cur sibi Hunfridus *permaximum colaphum* dedisset, respon„dit: quia tu iunior me es, & forte multo viues tempore, erisque te„stis huius rationis, cum res poposcerit. Suscepit etiam *tertium co„laphum* Hugo filius Waleranni Comitis„.

Per

Per colonnam (columnam, quantum ego quidem existimo) *de ipsa curte.*

Per inuestituram communionis tam corporaliter, quam spiritualiter.

Per cordam signi vel *signorum*, h. e. per funes campanarum: item *per annulum de campana Ecclesiae.* Cum hoc symbolo, quo Episcopi & Abbates potissimum dignitatibus suis inuestiebantur, alia etiam symbolorum genera coniuncta sunt. Eiusmodi symbolorum compositorum exempla haec sunt: *per Cordam signi & per hostium domo*, h. e. per funem campanae & per ostium domus, item *per cordam de signo ad hostia de domo & cespitem de terra, siue ramum de arboribus.* Inprimis huc pertinent verba chartae, A. 1122. datae, quae DU FRESNE ex Archiuis Maioris Monast. attulit: „Quo peracto, cum tertia die in „Ecclesiam S. Petri praedictam venissemus, dictus Iacob & filius eius „per Cordas signorum in manu nostra eandem Ecclesiam reddiderunt „& nos praedictum Abbatem & Monachos per ipsas signorum Cordas „de eadem Ecclesia plenarie inuestiuimus, qui susceptis de manu no„stra Cordis, *signa illa protinus sonauerunt*, & per hoc inuestituram „suam de eadem Ecclesia omnibus, qui aderant, innotuerunt„. In Tabulario Dunensi haec exstant: „Eidem Monacho Ecclesiam ipsam per „Cordam signi tradidit, Monachusque susciplens *cordam traxit & si„gnum insonuit*, quod parrechia (parochia) omnis audiuit & vidit„. Referenda etiam huc sunt, quae in Tabular. Kemperleg. hunc in modum commemorantur: „Signorum ipsius ecclesiae Cordis coadunatis, „coram Principe & filio suo fratrem suum Benedictum Abbatem idem „Praesul propria manu libentius inuestiuit de Ecclesia praedicta„.

Per coronam, auream praesertim. Coronae symbolo Ludouicus Pius a patre Carolo M. an. 813. imperium accepit.

Per cornu, triplici sensu, 1) vas, quo bibitur, s. poculi genus, 2) cornu venatorium, 3) atramentarium.

Per corrigiam, vel *per corrigiam cincturae meae*, s. *per corrigiam mei bautei* (baltei): item *corrigia cerui cultellum continente.* Definita plerumque corii species est, cuius generis haec exempla sunt: „Corrigia „cincturae meae ceruina est, Corrigia filii mei vaccina est„. Corrigiis interdum nodi, vnus, vel plures, signi & memoriae caussa innectebantur: nec rarum est, videre diplomata, quibus eiusmodi corrigiae adsutae sunt; plerumque tamen altaribus imponebantur.

Cum crocia (pedo s. baculo) *Abbatis*, item *per traditionem crossae.* Baculus nempe inuestiendo in manum dabatur.

Per cultrum s. *cultellum*, altari semper fere impositum.

Per cultellum, *festucam nodatam*, *wantonem* (chirothecam), & *wasonem* (cespitem) *terrae.*

Per cultellum fractum, h. e. qui in conspectu omnium frangebatur.

Per cultellum plicatum, h. e. qui propria largitoris, restitutoris &c. manu in conspectu omnium complicabatur, & semper fere altari imponebatur. Ritus hi plerumque in restitutione bonorum ablatorum obseruari solebant.

Cum ramo & cespite cultelloque, *cum manubrio albo.*

Per cupam aueam. Cupa, vas vinarium maius, Germ. *Kufe*, Gall. *Coupe.*

Per denarios, item per *denarios perforatos* (in conspectu omnium) altari impositos, vel chartae *adpensos* ad instar sigillorum. Denariis interdum aliud symbolum addebatur, cuius generis hoc est exemplum: *per vnum denarium Andegauinum & vnum cultellum.*

Per dextrum pollicem s. *in dextro pollice.*

Per digitum, vel *digito*, item *digito & lingua promittere*, *confirmare.*

Per eleemosynariam, hoc est, marsupium. In diplomate Simonis de Balgentiaco A. 1149. leguntur haec verba: „Et super altare ipsius Eccle„siae per Eleemosynariam meam, lapidem berillum intus habentem pro„pria manu imposui„.

Per traditionem ensis euaginati. Hoc symbolo Comitatuum erectio & inuestitura plerumque facta est.

Per ferulam pastoralem.

Per festucam s. *fistucam.* Festucae eiusmodi mox donatorum, venditorum cet. nominibus inscriptae, mox imis chartarum limbis intextae erant: interdum altaribus etiam imponebantur, inuestiendis in manus tradebantur &c. Per fistucam s. festucam etiam rem aliquam *werpire* s. *guerpire* (*gurpire*, *gripire* &c.), hoc est, dimittere ac concedere solebant.

Per floccillum capillorum.

Per folium.

Per folium nucis.

Per

Per forfices. Tabularium S. Martini Pontisar. de hoc symbolo hoc exemplum habet: „Odo Comes de Corboilo concessit Deo & S. Ger„mano Pontisariensi quandam vieriam, quam habebat in terra Moris„sarti, deprecante matre sua Comitissa de Croceio, cum forficibus, „quas in manu tenebat, cum quibus forficibus Robertus Monachus re„inuestiuit eum de beneficio loci. Quibus etiam forficibus statim idem „Comes totondit quendam armigerum Walterii Tosardi„.

Per fossilem chartae inhaerentem.

Per funes s. *chordas campanarum.* Hoc symbolo Episcopi & Abbates dignitatibus suis haud raro inuestiti sunt, & bona etiam, amissa praesertim acceperunt. Vid. supra symbolum: *per cordam signorum.*

Per furcam ligneam.

Per fustem, altari haud raro impositum. Idem saepe, quod *festuca* significat. Vid. supra. Anonymus in miraculis *S. Columbani* n. 24. apud MABILLONIVM hoc exemplum singulare habet: „Venientes, inquit, „ad sacratissimum corpus, *mittebant in peram Sancti* (Columbani) „*singulos Fustes*, vt per hoc cunctis clarescceret, res S. Columbani, „quas antea iniuste inuasas habebant, ipsi Sancto restitutas„.

Per gantum s. *gwantum*, item *wantum* s. *wantonem*, h. e. chirothecam, quae plerumque in manus inuestiendorum tradita est.

Cum ganto dextro, h. e. chirotheca dextra.

Per gladium, s. *per spatham* (ensem s. gladium maiorem), item *per mucronem gladii.* Hoc symbolo Regna plerumque tradita & accepta sunt.

Per gladium, capam & circulum aureum. De hoc symbolo composito in literis A. 1557. datis, ap. RYMER. T. XV. p. 462. haec leguntur: „Ipsumque Thomam Baronem Perey huiusmodi statu, gradu, stilo, ti„tulo, honore & dignitate *per cincturam gladii, & vnius capae hono„ris & dignitatis, & circuli aurei super caput suum positionem* in„signimus, inuestimus & realiter nobilitamus, habenda & tenenda no„men, statum, gradum, stilum, titulum, honorem & dignitatem Co„mitis Northumbriae„. Haec formula etiam occurrit ibid. p. 497.

Per grana incensi, h. e. turis. Singuli nempe plerumque singula grana turis altari imposuerunt, quo quidem symbolo se ad praestanda ea, quae promiserunt, obligabant.

Per wasonem (cespitem) *terrae, & per fistucam nodatum* (festucam nodosam)

sam) *seu ramo arborum, atque per cultellum* & *guantone* s. *gwantone* (chirotheca) *simulque andilagine.*

Per ramum & guasonem s. *wasonem*, h. e. cespitem, item *cum ramo & guasone*: quae quidem symbola plerumque altari imponebantur.

Per festucam, per cultellum, per wantonem (chirothecam), *per guasonem* s. *wasonem* (cespitem). Hoc symbolum compositum itidem plerumque altari imponebatur.

Per festucam & andelaginem, per guasonem & andilagon, per terram & cultellum & ramos arborum.

Per guazonem & andelaginem & ramos de arboribus.

Per haspam, h. e. sibulam, qua ostium s. ianua posti annectitur, ex theotisco vocabulo *Haspe* s. *Häspe*. BRACTON. Lib. II. cap. 18. §. 1: „Fieri debet traditio per ostium, *per haspam* vel annulum, & sic erit „in possessione de toto„.

Per hastam. Hasta, signifera praesertim, symbolum Ducatuum datorum fuit.

Per herbam & terram, h. e. per cespitem, qui constat terra & herba. Praediorum traditorum symbolum.

Per iuncum, s. *viridem scirpum.* Aedium traditarum, vel restitutarum symbolum, propterea quod aedium aliqua pars & materia ex iuncis constabat.

Per lapidem, item *per traditionem vnius parui lapidis.*

Per lapillum, qui inuestiendis in manus tradebatur.

Per librum, item *per libri donationem & osculi susceptionem*, vel *per impositionem libri super altare.*

Per librum collectarium.

Per librum Euangeliorum. Addita plerumque ac definita sunt libri forma, ligaturae ratio, ornamenta.

Per librum Euangeliorum & calicem.

Per librum manualem.

Per librum missalem, qui altari plerumque imponebatur.

Per librum & panem. Hoc symbolo composito etiam ad conferendas praebendas, quas dicunt, ecclesiasticas vtebantur.

Cum libro regulae, & *cum regula* (S. Benedicti).

Per

Per lignum, item *per resciſuram*, vel *fruſtum* ſ. *fruſtulum ligni*. Definita plerumque arboris ſpecies, vnde lignum decerptum erat, & adiunctus interdum etiam eſt annulus aureus. *Dona* haec *lignea*, vti in chartis ſaepe vocantur, altari plerumque impoſita ſunt. Praeterea ſunt chartae, quarum imis limbis puſilla ligni fragmenta intexta fuerunt.

Cum ligno, item *cum ligno & cartula.*

Cum ſemipede ligni lauri & vna libra piperis in ſacculo ligneo.

Per lini portiunculam.

Per linteum.

Per lituum, qui ſaepe in omnium conſpectu frangebatur vel diſſecabatur.

Per manicam Hoc ſymbolo villae, terrae cet. interdum *in manu alterius graffiabantur*, hoc eſt, alteri tradebantur. *Graffiare* ſ. *grafiare* proprie eſt ſcribere, deinde tradere, in poſſeſſionem mittere, quia traditiones maximam partem chartis ſcriptis fieri ſolebant.

Per mappulam, h. e. muccinium.

Cum marmore, quod altari imponebatur.

Per particulam marmoris, ſeu *marmorei lapidis.*

Per marſupium de pallio.

Per martyrologium.

Per vnam mitram.

Per mucronem gladii. Vid. ſupra *per gladium.*

Per nodum. De hoc ſymboli genere in Tabulario S. Seuerini Burdegal. haec leguntur: „Sibi in allodio conceſſi, & vt auctoritate propria ſae„pe fieri ſolet, conceſſae hereditatis *nodum priorem* manibus propriis „colligaui, *ſecundum* Geraldus Miles, *tertium* Ramundus de Vlnico: „quo facto nodum ſuper altare pro meis debitis, & pro meis delictis, „& pro defunctorum parentum criminibus obtuli„ cet.

Per notulas, ſ. *per traditionem notularum quarundam.* Vox *Notula* chartam ſ. ſcriptum, inprimis vero commentariolum ſ. breuem eorum, quae alibi fuſius pertractata ſunt, conſignationem, Gall. *Minute* dictam, ſignificat.

Per nummum: qui chartae haud raro inſtar ſigilli appenſus eſt.

Per oſculum. De hoc ſymbolo in Tabular. S. Albini Andegau. haec le-

guntur: „Maino filius Gualonis, annuente Eudone filio & Vieta vxo„re sua, dedit Deo & S. Albino terram de Brilchiot, pro cuius doni „confirmatione Walterium Monachum pater & filius in fidei nomine „osculati sunt. Vxor autem illius, eo quod a femina Monachum o„sculari inusitatum habemus, Lambertum quemdam praefectum S. Al„bini, iubente Walterio Monacho, eadem sententia deosculata est„.

Per ostium domus, item *per ostia & clocas* (campanas) *Ecclesiae.*

Per palam s. *pallam ex serico*, h. e. mappam, qua altare cooperitur.

Per pallium s. *pallam*, item *per pallium altaris.*

Per panem & librum. Vid. supra *per librum & panem.*

Per pannum sericum.

Cum penna & calamario. Tabelliones hoc symbolo inuestitos constat.

Per pergamenum: signatum interdum crucibus, & in conspectu testium altari impositum.

Cum duobus phylacteriis, h. e. arculis, in quibus Sanctorum reliquiae reconduntur.

Per pileum, item *per virgam & pileum.* Per pileum Richardus I, Rex Angliae, Henrico VI, Romanorum Imperatori, in cuius costodia detinebatur, regnum Angliae tradidit, eumque de hoc inuestiuit. Per virgam & pileum Ducatus, praesertim in Anglia, collati sunt.

Cum semipede ligni lauri & vna libra piperis in sacculo ligneo. Vid. supra *per lignum.*

Per pisces. Huius symboli hoc exemplum in Tabulario Maioris Monasterii exstat: „Testes habuimus legitimos, qui omni lege probare sue„runt parati, quod Hildegardis ad opus emerit, & *per pisces ex eius „piscaria* inuestituram dederit in vita sua Monachis Maioris Monasterii„.

Per pollicem, item *per dextrum pollicem.* Vid. supra *per dextrum pollicem.*

Cum ponto alicuius spathae. Vid. infra s. v. *spatha.*

Per clocas & portas Ecclesiae. Vide supra *per clocas s. campanas Ecclesiae.*

Per psalterium.

Pugillo terra impleto. Terra ex ipso agro vel praedio, quo aliquis inuestiebatur, depromta est.

Per ramum & cespitem. Vid. supra *per cespitem.*

Cum

Cum ramo & guaſone ſ. waſone (ceſpite). Vid. ſupra cum *guaſone*.

Per guazonem, andelaginem & ramos de arboribus. Vid. ſupra *per guazonem*, item *per andelaginem*.

Per regulam. Vid. ſupra *cum libro regulae.*

Per ſceptrum. Admodum vſitata inueſtiendi ratio.

Per ſcirpum viridem ſ. *iuncum.* Vid. ſupra *per iuncum.*

Per ſcyphum: qui altari plerumque imponebatur, ac diligenter in templis memoriae cauſſa cuſtodiebatur. Definitur etiam interdum materia, ex qua ſcyphus paratus eſt, e. gr. ſcyphus argenteus, marmoreus cet.

Per cordam ſigni, h. e. per funes campanarum. Vid. ſupra ſ. v. *campana, cloca & corda.*

Per ſpathae (enſis ſ. maioris gladii) *capulum*, ſiue, quod idem eſt, *cum ponto cuiuſdam ſpathae.* Symbolum hoc itidem altari imponi ſolebat.

Per ſtipulam werpire, h. e. ſtipulatione facta dimittere aliquid. Stipula ſeu feſtuca admodum ſollemne ac vetuſtum inueſtiturae ſymbolum eſt. Inſerta haud raro ſtipula inferiori chartarum margini deprehenditur. Expreſſa ſtipulae eiuſmodi veſtigia in *Tab.* noſtra *aenea* IV. fig. inuenies: lineolis ſcilicet nonnullis tranſuerſis infra ſignum recognitionis indicata ſunt.

Per tellurem. De hoc ſymbolo haec habet Tabularium Kemperleg.: „Ego „Karaduc filius Kentlaman dedi Monaſterio S. Crucis villam vnam, in „qua eſt eccleſia S. Caradoci, & afferens *ex ipſa terra* mecum *Tellu-* „*rem* pro ſigno conceſſionis in ipſius pariete Monaſterii ſuſpendi„.

Per herbam & terram, h. e. per ceſpitem, qui conſtat terra & herba. Vid. ſupra ſ. v. *herba.*

Pugillo terra impleto. Vid. ſ. v. *pugillo.*

Per textum Euangelii, item ſimpliciter *cum Textu.* Tabul. Vindocin. fol. 245: „Donum conceſſerunt, & ſuper altare *cum Textu argenteo & aureo* obtulerunt„. Vetus Codex apud Seldenum ad Eadmerum p. 144: „Per textum Euangelii ſpiritualem cauſam Epiſcopatus, per „annulum autem Regalium poſſeſſionem accepit„. Tabul. Briuat. fol. 193: „Per traditionem cuiuſdam libri Textus Euangeliorum cum po- „ſtibus argenteis & imagine crucifixi praeſentialiter inueſtiuit„. Vid. etiam ſupra ſ. v. *Liber.*

Cum veru. De hoc symbolo in Tabul. Abbatiae Deiparae de Longoponte, & Maioris Monasterii haec commemorantur: „Pro huius doni „confirmatione *fregit veru*, & portiunculam de ipso bene extersam „dedit Henrico Priori, dicens, vt auferret, & ex sua parte super al„tare poneret„. DU FRESNE *veru* pro *fude lignea* accipiendum putauit: sed, quantum ego quidem existimo, veru ligneum commode intelligi potest.

Per vexillum. Admodum vsitata inuestiendi ratio, qua inprimis prouinciae, ducatus, immo & regna conferebantur.

Per virgam vel *virgulam:* quae plerumque altari imponebatur. Definita etiam saepe est arboris seu fruticis species, ex qua virga decerpta fuit. E. gr. *cum virga oserii* (viminis, Gall. *osier*) *duplicata.* Vid. etiam supra s. v. *baculus.*

Per wantum s. *wantonem*, *gantum*, *guantum* & *guantonem*, h. e. per chirothecam. Vid. supra s. v. *gantus.*

Cum ramo & guasone s. *wasone* (cespite). Vid. supra *guaso.*

Per zonam, e. gr. argenteam.

Atque haec sunt praecipua symbolorum inuestiturae genera, quorum multa CANGIVS in glossario suo, partim s. v. *Inuestitura*, partim aliis in locis, pluribus explicauit. Amplior huius generis materia ex MVRATORII potissimum Antiquitatibus Italic. medii aeui colligi potest.

§. 250.

Ritus quidam, in tradendis accipiendisque inuestiturae symbolis obseruari soliti.

Etsi de *ritibus*, qui in tradendis accipiendisque inuestiturae symbolis obseruari solebant, multa iam, quum de singulis symbolorum eiusmodi generibus (§. praeced.) exposuimus, dicta sunt; placet tamen, his nonnulla addere, vel quae summatim diximus, latius explicare. Symbola inuestiturae ab iis, qui aliquid donarunt, vendiderunt, concesserunt, vel restituerunt, plerumque arae principi aedis alicuius sacrae imposita sunt: quaedam etiam, baculi inprimis ac sestucae, in gazophylacia Ecclesiarum sunt coniecta. Cultri haud raro in conspectu omnium complicabantur, vel frangebantur etiam, antequam donatariis oblati, vel altaribus impositi sunt. Praeter cultros, buccinas etiam, gladios cet. frangere solebant: quem-

quemadmodum nummi, qui offerebantur, perforati, nec raro ipsis chartis ad instar sigillorum appensi sunt. Annuli pari modo diplomatibus adiungebantur, vel etiam arae principi catena annectebantur. Glebae ac cespites non tantum altaribus impositi, sed in templis etiam magno studio custoditi, ac posterorum oculis obiecti sunt. Quaedam symbolorum genera, vt stipulae, festucae cet. diplomatibus adsuta, vel imis eorum limbis inserta deprehenduntur: quid? quod comae etiam, ac capillorum, e barba euulsorum, certus numerus sigillis adiungi solebant. Chirothecae, vti apud omnes fere populos, ita inprimis apud Saxones antiquos symbolorum loco vsurpatae sunt. Saxones eas plerumque Sanctorum reliquiis, alii vero populi altaribus imposuerunt. Chirothecae interdum glebis vel cespitibus, ex ipso solo, quod tradebatur, depromtis, repletae fuerunt. Saxonum principibus admodum familiare fuit, clientum seu vasallorum suorum donationes digitis extensis confirmare. Definitus etiam plerumque est symbolorum habitus ac forma, vt donorum ligneorum, quae vocant, librorum, annulorum, gladiorum, cet. In inuestituris, per vexillum factis, hoc fere perpetuum fuit, vt tot vexilla inuestiendis traderentur, quot prouinciae, vel vrbes, vel feuda s. beneficia concessa sunt. Neque inusitatum fuit, plura simul inuestiturae symbola, e. gr. ramum & cespitem, h. e. ramum cespiti infixum; stipulam nodosam, ramum, chirothecam, cultrum ac cespitem, coniunctim offerre. Atque haec consuetudo me induxit, vt supra (§. 248.) symbola inuestiturae in simplicia & composita diuiserim. Praeterea obseruare licet, inuestituras non semper iis ipsis, ad quos illae spectabant, ὐμέσως s. immediate collatas fuisse; sed symbola interdum iudicibus, Principibus, Praesulibus, vno verbo iis, quorum potestati inuestiendi fuerant subiecti, commissa, & ab illis deinde iis, ad quos pertinebant, reddita esse. Sunt denique inuestiturae symbola, vt baculi inprimis ac cultri, quibus inscriptiones quaedam additae fuerunt. Huc pertinet inprimis baculus quidam, qui nunc quoque Turonii asseruatur. Contectus ille est lamina quadam plumbea, cui hoc decretum Lucii II, Pontificis Romani, literis maiusculis inscriptum est: *Anno. Inc. Dnice* (Incarnationis dominicae) *M. C. XLIV. Lucius. PP. II. inuestivit. Rome. iudicio. Sce. Aplice.* (Sanctae Apostolicae) *Sedis. cum. baculo isto ligneo.* † *Turonse. Ecliam.* (Ecclesiam) *de. subiectione. Dolesis. Eclia. et. Tregorensis. et. Briocensis. p.* (per) *manum. Dni.* (Domini)

Hugonis. Turonenſis. Archiepiſcopi. En tibi ipſam huius baculi formam, prout ille in *Nouveau Traité de Diplomatique*, T. IV. p. 470. adumbratus cernitur:



In tabulario Eccleſiae Pariſienſis cuſtoditur baculus quidam, pedem dimidium longus, & vnciam vnam craſſus, cui actus recognitionis, quam duo mancipia Eccleſiae Pariſienſis in conſeſſu totius capituli cathedralis ratione bonorum quorumdam praeſtiterant, literis minuſculis inſcriptus eſt. Sed nihil in hoc quidem genere magis curioſum eſt, quam virgula illa, in qua, quomodo Ludouicus VII, Rex Galliae, Canonicis Pariſienſibus, de iniuria quadam leuidenſi, ab ipſo his imprudenter illata, ſatis facere placuerit, annotatum eſt. Pari modo cultrorum capulis ſ. manubriis inſcriptiones ſaepe fuerunt adiectae. Aſſeruatur adhuc Pariſiis in tabulario B. V. Mariae culter quidam acutus, in cuius capulo eburneo actus quidam donationis, ineunte ſaeculo XII. factae, his verbis deſcriptus eſt: „Hic cultellus fuit Fulcheri de Buolo, per quem Wido dedit areas Dro„gonis archidiaconi eccleſie ſce Marie ante eandem eccleſiam ſitas pro an„niuerſario matris ſue„. Huius generis culter etiam Andegaui (*dans l'abbaie de Roncerai*) exſtat, quippe cuius capulo nigro emtio feudi cuiuſdam vectigalis ſ. cenſualis inſcripta cernitur. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 468. ſqq.

§. 251.

De cuſtodia ſymbolorum inueſtiturae.

Quoniam ſymbolorum inueſtiturae magna vis eſt ad fidem ipſis diplomatibus, quae illis munita ſunt, faciendam (§. 245.); aequum profecto eſt, vt ea, quam fieri poteſt diligentiſſime cuſtodiantur, & ad poſteros tranſmittantur. Quorumdam ſymbolorum ideo facilis eſt cuſtodia, quoniam ea, vt ſupra (§. 249. ſq.) hinc inde dictum eſt, diplomatibus vel intexta ſunt, vel aſſuta, vel alio modo adiuncta. Neque tabulariorum praefectis moleſtum eſſe poterit, ea cuſtodire ſymbola, quae, vti ſub finem

nem paragraphi praecedentis obseruatum est, inscriptionibus instructa sunt. Contra facilis admodum est, ac multiplex ratio quorumdam symbolorum vel inter se confundendorum, vel amittendorum; ea nempe dico, quae ab ipsis diplomatibus seiuncta sunt, atque inscriptionibus carent. Huius generis symbola quum haud raro in manus hominum incidissent, qui harum rerum vel omnino rudes fuerunt, vel iusto negligentiores; dici non potest, quanta hinc strages rei diplomaticae illata sit. Sunt enim tabularia multa, in quibus vel nulla, vel pauca admodum symbola cernere liceat, quamuis permulta in iis diplomata exstent, quae symbolorum iis adiunctorum faciunt mentionem: in aliis vero tabulariis tanta obseruatur symbolorum confusio, vt, ad quod diploma hoc vel illud symbolum referendum sit, ipsi archiotae ignorent. Cui incommodo vt in posterum occurratur, iniungendum erit tabulariorum praefectis, vt primum ea symbola, quae neque chartis adiuncta, neque in templis aliisue in locis suspensa vel collocata sunt, sed liberius quasi vagantur, singularibus arculis includant, & ad quaenam diplomata pertineant, diligenter adnotent; deinde omnia omnino symbola, quae in diplomatibus, ipsorum fidei ac curae commissis, commemorantur, in tabulas referant, & in quibus singula locis asseruentur, verbis distertis indicent.

CAPVT IV.

STAVROLOGIA.

* IAC. GRETSERI, S. I. opera omnia de sancta cruce (Ingolst. 1616. fol.), T. I. L. II. C. XVI-XIX, XXXVII-XXXIX, L-LVI; item T. III. L. I. de numis crucigeris.

CANGIVS in Glossario latin. s. v. *Crux.*

MABILLON. in libris de re diplomatica passim (vid. index), inprimis vero L. II. C. XXII.

CHRIST. WILDVOGELII de venerabili signo crucis schediasma iuridicum. Ien. 1733. 4.

Nouveau Traité de Diplomatique, passim, praecipue vero T. IV. p. 755-768, coll. T. III. p. 483, 485, 487. & 676.

§. 252.

§. 252.

Definitio Staurologiae.

Staurologia in explicandis omnis generis crucibus versari debet: quae quidem cruces quum variarum rerum signa sint, atque eam ob caussam haud raro etiam simpliciter ac per eminentiam signa appellentur; staurologiam optimo iure ad partes Semioticae (§. 229.) referri, nemo est, qui non intelligat. Dignam autem hanc Semioticae partem esse, quae diligentius, quam adhuc factum est, explicetur, ex iis, quae nunc dicere parati sumus, facile patebit.

§. 253.

Signorum crucis antiquitas.

Signorum crucis *vsus antiquissimus* est. Ac de iis crucibus, quae in (*) *Ethnicorum* nummis aliisque monimentis iam ante Christum natum vsurpatae cernuntur, iam nihil attinet dicere. *Christiani* autem, qui, quanta & quam innumera sibi commoda Seruatoris Optimi Maximi crux attulerit, pie cogitabant, cruce tamquam *publico* aliquo *religionis* suae sanctissimae *signo* antiquitus vsi sunt; & quemadmodum nihil se rite atque auspicato agere & suscipere absque crucis signo existimarunt: ita non facile quidquam scribere instituerunt, quod non signo hoc religioso veluti munirent.

(*) Vid. GRETSERI opera de sancta cruce T. I. L. II. C. 38. sq item T. III. L. I. C. 3. Adde *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 598. not. (1.), & p. 599. not. (1.).

§. 254.

Signorum crucis figura.

Signorum crucis *figuram* pluribus describere, superuacaneum ducimus. Tota enim horum signorum ratio vti ex hominum arbitrio pendebat, ita nullo non tempore varia atque inconstans erat. Cruces quasdam *decussatas* esse, quas etiam *Andreanas* vocare solent, (X), alias ordinarias (+), alias denique ex vtroque hoc genere ad modum stellularum (✳ seu ✳) compositas, res in vulgus nota est. Accesserunt crucibus haud raro aliae res, tamquam additamenta, quae ornatus, vel discriminis etiam caussa adiungebantur, vt puncta, accentus, stellulae, cet. linearum, ex quibus cruces coagmentatae sunt, spatiis vacuis inserta.

Huius

Huius generis cruces *vestitas* appellare liceat, vt a nudis crucibus distinguantur. Vestitis crucibus etiam illae annumerandae sunt, quarum lineae extremae lineis diagonalibus inter se ita coniunctae cernuntur, vt rhombi speciem prae se ferant (). Qui, quam varia fuerit figura crucium, in vno eodemque diplomate obuiarum, nosse cupit, eum ad MABILLONII Tab. 53-55, item 57, ablegamus. Addatur etiam *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. Tab. 75, itemque *Tab. nostra* II.

§. 255.

Signorum crucis color.

Atramenti *color*, quo crucis signa exarata sunt, tam varius fuit, quam atramentum, quo libri ac diplomata (§. 31.) scripta deprehenduntur. Nullum scilicet atramenti genus est, quod non crucibus ducendis adhiberetur. Sunt itaque cruces nigrae, virides, caeruleae, rubrae, argenteae & aureae. *Niger* tamen color, hoc est, atramentum proprie dictum, omnium vsitatissimus fuit: nisi quod Imperatores Constantinopolitani *sacro encausto*, id est, atramento purpuraceo, in subscriptionibus semper vsi erant: quam quidem praerogatiuam sibi etiam Reges Neapolitani ac Siciliae, ex Normannorum gente oriundi, item Principes atque Archiepiscopi Capuani, ac denique interdum etiam Imperatores Romani, praesertim Carolus II. Caluus ac Ferdinandus III, aliique Reges ac Principes vindicarunt. Angli, praesertim ante Normannorum dominationem, non nisi *aureas cruces* in diplomatibus adhibuerunt, quibus quidem tantam vim atque auctoritatem tribuebant, vt illae cruces ipsorum sigillorum vicem supplerent, omniumque fere aliorum sollemnium (§. 5.) loco haberentur. Neque praetermittendum est hoc loco, quosdam eo vsque vel superstitionis, vel impietatis progressos, vt atramentum, quod ad exarandas cruces & subscriptiones adhibituri erant (*), *vino consecrato* s. *eucharistico* diluerent: cui quidem scribendi modo plus fidei roborisque inesse crediderunt.

(*) Vid. CANGII Glossarium s. v. *Crux*, p. 1191. Adde MABILLON. L. II. C. 22.

§. 256.

Signorum crucis vsus.

Signa crucis 1) in labaris seu vexillis, galeis, aliisque armorum generibus, 2) in coronis, sceptris, globis imperialibus, vestibus ceterisque

imperialis seu regiae dignitatis symbolis, 3) in armis siue insignibus gentilitiis, 4) in epitaphiis aliisque monimentis, 5) in codicibus MSS. atque epistolis, ac 6) denique in diplomatibus eorumque sigillis potissimum occurrunt. Nihil itaque obstat, quo minus ipsas *cruces* in *militares*, *maiestaticas*, *heraldicas*, *lapidarias*, *librarias* & *epistolicas*, ac denique *diplomaticas* & *sphragisticas* dispertiamus.

§. 257.

Cruces librariae.

Crucis signa in *codicibus manuscriptis* vario consilio adhibita deprehenduntur. Primo enim *punctorum* loco orationi interpungendae inseruierunt: sunt etiam (1) codices saeculi VIII, in quibus signum *paragraphi* cruce ordinaria denotatum est. Deinde cruces quoque inter (2) *signa critica* numeratae sunt. Sic crux decussata, eaque vel quatuor punctis vestita ⁂, vel ad modum stellulae * exarata, omissionis signum, quod *asteriscus* appellatur, fuit. Crux decussata, eaque vel simplex X, vel duobus punctis, vel commate etiam vestita ⁘ ⁙ ad significandas *sententias notatu dignas* adhibita est. Huc quoque referri debet *ceraunion* ⁕, quo quidem signo plures versus improbandi denotabantur. Margini adiunctum / cursiuum, idque *ſ* cursiuo ad modum crucis traiectum, rem denotare videtur, quae sensu mystico accipienda est. Inprimis vero crucis signa varia Chrismi, hoc est, inuocationis diuinae tacitae, loco (§. 230.) titulis librorum manu exaratorum praemissa sunt; cuius generis hoc exemplum ex collectione canonum Corbeiens. apud (3) MABILLON. in Tab. VII. num. 2. ponemus: ✻ INCIPIVNT ✝ NOMINA ✝ APOSTOLORVM †. In *epistolis* signa crucis haud raro subscriptionibus non magis, quam fronti, pro chrismo adiuncta cernuntur; cuiusmodi (4) haec exempla sunt, primo in fronte epistolarum: „✝ Sanctissimo & a Deo semper conseruato Lullo, item: „✝ Sancto & venerabili in Christo fratri Guthberto„; deinde in epilogo: „✝ Opto te, charissime frater, orantem pro me, orantem pro te, „in Domino valere, item: „✝ Omnipotens Deus vos omnes diu incolu„mes — custodire dignetur„.

„Dilectiss. ff. ac filii ✝

„✝ Cuthberchtus Archiepiscop.

„✝ Lullo Coepiscopus.

Inter-

Interdum crux fini epistolarum subiecta est, vt in hoc exemplo: „Lon„gaeuam ac valentem — beatitudinem vestram perenniter Saluator mun„di custodiat. †„

(1) Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 485.

(2) Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 483, 485, & 487. Adde *Chronicon Gottwicense* p. 25. sq. & HVGONIS librum de prima scribendi origine, ex editione TROTZII p. 274. sqq.

(3) Add. etiam exempla, quae in *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. p. 487. §. IX. commemorantur.

(4) Vid. haec & id genus alia exempla in GRETSERI operibus de sancta cruce L. II. C. 19. p. 405.

§. 258.

Crucium diplomaticarum antiquitas.

Cruces in diplomatibus *inde a saeculo V*, hoc est, ab iis inde temporibus, ex quibus omnium, quae exstant, antiquissima diplomata nobis superstant (§. 15.), visitatae fuerunt. Huius rei exempla exhibentur in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. Tab. 63. sq. Adde diploma Childerici I, Regis Francorum, A. 583. datum, ibid. in Tab. 66. num. I.

§. 259.

Crucium diplomaticarum locus: 1) cruces in fronte diplomatum positae.

Cruces diplomaticae non tantum in subscriptionibus, sed etiam in fronte diplomatum, ante Datum, quod vocant, in margine chirographorum s. Cyrographorum, ac denique in ipsis chartariis exaratae deprehenduntur. Ac primo quidem quae in fronte diplomatum occurrunt cruces *Chrismi*, hoc est, tacitae inuocationis diuinae, potissimum vim atque auctoritatem habent (§. 231. p. 146.). E. gr. in diplomate Childerici I, Francorum Regis, A. 583. dato, in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. Tab. 66. num. 1; deinde in charta Leonis, Archiepiscopi Rauennatensis, A. 1001. scripta, apud MABILLON. in Tab. 51; item in diplomate Philippi I, Galliae Regis, A. 1068. dato, ap. MABILL. in Tab. 40. Posterius hoc diploma ideo quoque notatu dignum est, quod, praeter crucem, fronti eius loco chrismi praefixam, alia crux, eaque ipsius Regis manu monogrammati regio subscripta est. Pari fere modo duae cru-

ces, vna chrismi, altera monogrammatis loco; vtraque vero singularis formae, exaratae cernuntur in diplomate Alphonsi IX, Regis Hispaniae, A. 1156. scripto, apud MABILL. in Tab. 45; item in diplomate Ferdinandi III, Regis Hispaniae, A. 1230. dato, in *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. Tab. 71. num. IV. In *Italia*, ac potissimum in eius regionibus meridiem versus spectantibus, haud raro accidit, praesertim saeculo XII, vt diplomatum textui subscriptiones praemitterentur; quo in casu plerumque etiam crucis signum in fronte diplomatum apparet. Vid. MABILLON. L. II. C. V. §. XII, & *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 766. sq. *Anglo-Saxonum* vero inprimis commemoranda consuetudo est, qui, quoniam sigillorum vsum in diplomatibus regiis ante Edwini (A. 955.) & Edgari (A. 959.) tempora, in reliquis vero chartis ante Wilhelmum I. Conquestorem (A. 1066.) ignorarunt, in *crucibus* suis *aureis* omnem diplomatum vim ac robur inesse volebant. Quorsum pertinent, quae in Concilio Celichitensi, A. 816. habito, hunc in modum decreta legimus: „De omni re, quaecumque cum vexillo sanctae crucis „Christi roborata est, sic stare seruarique praecipimus„. Atque hae cruces aureae non in subscriptionibus tantum, verum etiam in fronte diplomatum exaratae cernuntur. Reges inprimis crucis signum manu propria diplomatum suorum fronti, subscriptionis ac sigilli loco, adiungere solebant: id quod cum ex ipso diplomatum intuitu, tum ex his verbis MATTHAEI PARISII p. 52. cognoscitur: „Cumque inspicerentur Regum „Anglicanorum, Offae scilicet ac ceterorum, scripta, in quibus pro si„gillis, nouo more dependentibus, vereri consuetudine cruces aureae ma„nu Regum depictae, in principio positae erant, cet.„. Sunt viri celebres & in his etiam MABILLONIVS (L. II. C. XXII. §. 18.), qui vsum sigillorum a Wilhelmo I. Conquestore in Angliam introductum esse contendunt. Decepti scilicet sunt viri hi, ceteroqui doctissimi, auctoritate INGVLFI, qui in Historia Crulandensi p. 901. edit. Savil. haec refert: „Chirographorum confectionem Anglicanam, quae antea vsque ad *Ed„wardi Regis* tempora fidelium praesentium subscriptionibus cum cruci„bus aureis, aliisque sacris signaculis firma fuerunt, *Normanni* conde„mnantes chirographa chartas vocabant; & chartarum firmitates cum cerea „impressione per vnius cuiusque speciale sigillum, sub instillatione trium „aut quatuor testium astantium conficere constituebant„: item alio loco (edit. Oxon. T. I. p. 62.) apud eumdem Ingulfum haec leguntur: „Coe„pit ergo tota terra sub Rege & sub aliis Normannis introductis Anglicos

„ritus

„ritus dimittere & Francorum mores in multis imitari — chartas & chi„rographa sua more Francorum conficere„. Sed quantum ego quidem existimo, Ingulfus non de regiis, sed de reliquis diplomatibus loquitur: doctissimi certe auctores noui operis diplomatici (*Nouveau Traité de Diplom.*) T. IV. p. 200-205. pluribus exemplis allatis demonstrarunt, Anglorum Reges iam inde ab Edwini ac Edgari temporibus sigillis fuisse vsos. Neque hoc praetermittendum est, quod MABILLONIVS (l. c.) plurium exemplorum auctoritate fretus, ait, crucis signa apud Anglos adhuc exeunte saeculo XII, in subscriptionibus certe, vsitata fuisse; licet sigillorum vsus dudum introductus esset. Vid. etiam *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 763. sq.

§. 260.

2) *Cruces, ante datum, in margine chirographorum, & in chartulariis collocatae.*

Cruces, *Dato*, quod vocant, praemissae, rarae quidem sunt, nec tamen nullae. Exemplo esse potest bulla Leonis IX, Pontificis Romani, A. 1049. exarata, apud MABILLON. in Tab. 50. Cruces huius generis vim chrismi seu tacitae inuocationis diuinae habere, nemo est, qui non per se intelligat. Eamdem potestatem tribuimus crucibus, quae margini (*) *Chirographorum*, tam *partitorum*, quam *indentatorum*, quae dicunt, adiectae fuerunt; cuius generis chirographum idque partitum, A. 1071. Rothomagi exaratum, atque ob id omnium Galliae chirographorum, quae mihi quidem innotuerunt, antiquissimum exhibetur in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. Tab. I. num. II. Qui, quid chirographorum nomine intelligatur, haud ignorat, is etiam me non monente nouit, dimidiam tantum crucis figuram in chirographorum margine apparere posse. In alio chirographo partito, A. 1177. confecto, margini adhaeret imago dimidia Seruatoris nostri cruci affixi, eaque vocabulo *cyrographum*, literis dimidiatis scripto, hunc in modum interiecta: *Cyro* (locus imaginis Iesu cruci affixi) *graphum*. Vid. in *Nouveau Tr. de Dipl.* Tab. cit. I. num. III. Neque hoc loco praetereundum est, eos, qui Ecclesiis aliquid dono dederunt, interdum ipsis Ecclesiarum *Chartulariis* nudum crucis signum, nullis aliis sollemnibus obseruatis, inscripsisse: ita tamen, vt plerumque donatarii crucis signo formulam quamdam adiicerent, ex qua, quis donationis & ipsius simul crucis auctor fuerit, cognosceretur. De

hoc singulari ritu haec habentur in CANGII Glossario s. v. *Crux* p. 1190: „Interdum vero in ipsis Chartulariis *Crux* subscribebatur ab iis, qui quid„piam Ecclesiis donabant. Liber Chirographorum Absiae fol. 61: *Con„cessit iisdem Monachis omnia dona matris suae, faciendo crucem cum „matre in Chartulario.* Huiuscemodi subscriptiones complures exstant „in Tabulario eiusdem Monasterii, hisce formulis ad Crucis figuras ad„scriptis: *Hanc crucem fecit Goffridus Rufus: Hanc fecit Paganus frater „eius. Istam fecit Raginaudus frater eius*, & cet.

(*) De *Chirographis partitis* & *indentatis* aliquid dicere, haud alienum hoc loco existimamus. Chirographa in locum *chartarum pariclarum* (s. *paricularum*, item *paricolarum* cet.) successerunt. Etsi vero chirographis multa sunt cum chartis pariclis communia: illa tamen probe ab his distinguenda sunt. In eo quidem duo haec diplomatum genera conueniunt, quod sint duo pluraue vnius instrumenti siue chartae exempla aeque autographa; sed in chirographis hoc etiam requirebatur, vt primum omnia, quibus opus erat, exemplaria in vna eademque membrana scriberentur: deinde inter bina exemplaria, eo scilicet in loco, vbi exemplaria dissecanda erant, nunc verba quaedam, e. gr. *cyrographum* (h. e. chirographum), item *Sancta Maria*, *Sanctus Dionysius* cet. literis maiusculis, nunc imagines quaedam, nunc literae alphabeti, nunc plura horum simul, in latitudinem, vel pro re nata etiam in longitudinem membranae ducerentur: singula denique exemplaria forcipe alioue instrumento ita dissecarentur, vt sectio per medias literas & imagines, de quibus diximus, transiret, atque adeo in singulorum exemplarium margine superiori, vel laterali, vel etiam, licet rarius, inferiori, pars dimidia *inscriptionis marginalis* (sic dicere nobis liceat literas & imagines dissectas) emineret. Ex his, quae diximus, nemo est, qui non intelligat, chirographa ideo chartis pariclis substituta esse, quoniam in his plus fraudis, quam in illis inesse poterat, praesertim si vtrumque chartarum genus sigillis aliisque sollemnibus destitutum fuerit, id quod apud Anglo-Saxones potissimum locum habuisse constat.

Sectio chirographorum initio ad lineam rectam, deinde vero per lineam dentatam fiebat. Prioris generis chirographa *chartae partitae* siue *diuisae*, posterioris autem *chartae indentatae*, seu *indentaturae* appellatae sunt. MABILLONIVS p. 6. duo haec chirographorum genera (quod velut in transcursu hic monebimus) inter se confundebat. Porro, chartae

tae partitae, pro inscriptionis marginalis diuersitate, in *instrumenta per alphabetum diuisa* s. *partita*, & in *chartas per cyrographum intersectas* s. *diuisas* (quae posteriores etiam *chartae chirographatae* s. *chirographizatae*, frequentius vero *cyrographa* s. *cirographa*, item *cyrographi* vocabantur) diuisae sunt.

Durauerunt chartae *partitae* 1) in *Anglia* ab A. 855. vsque ad finem saeculi XIII, vel etiam fortasse XIV: quamquam postremis temporibus chartae indentatae vsitatiores, quam partitae, factae sunt; 2) in *Gallia* inde ab A. 1071. (in *Nouveau Traité de Diplom.* T. I. p. 366. falso anni 1061. & 1106. ex Mabillonio definiti sunt); 3) in *Hispania*, ac praesertim in *Aragonia* chartae per alphabetum partitae saeculo XIII. vsitatissimae fuerunt. Chartae *indentatae* autem in *Anglia* iuxta cum partitis inde a saeculo XI. (secundum Mabillonium X, vel in prima editione IX. per errorem), vel secundum alios ab an. 1185. inualuerunt, vsitatiores deinde factae sub Henrico III. (A. 1216-1272.), solae denique dominatae sunt inde a saeculo XIV. vel XV, vsque ad hoc, quo vivimus, saeculum: quamquam postremo figura earum immutata est, ita nempe, vt lineis plerumque vndulatis (non amplius dentatis) & absque intersectione literarum diuiderentur.

Inscriptio marginalis chartarum partitarum & indentatarum, vno verbo chirographicarum vsitatissime superiori parti, aut alterutri laterum, rarius inferiori parti diplomatum adiungebatur. Si chartarum inferiori parti inscriptio subiecta fuit, vel sigilla nulla adiuncta sunt, cuiusmodi Anglo-Saxonum inprimis chirographa esse solent, vel sigilla superiori parti sunt appensa.

Partitio & *indentatura* chartarum initio vicem *sigillorum*, *subscriptionum* ac *testium* sustinuerunt; postea *testium* praesentia, ac denique a saeculo inde XII. etiam sigillorum vsus, fidei augendae causa accessit. Conf. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. p. 354-373. Adde ill. PISTORII amoenitatum historic. iurid. P. I. p. 45. & praefat. P. III, item DREYERI, V. C. commentat. de chartis indentatis, & *chartular. Moelnens.* num. 119. in fine, vbi huius generis chartarum exempla quaedam exstant.

§. 261.

§. 261.

3) *Cruces, subscriptionibus additae.*

Subscriptionum duo potissimum genera sunt, aliae propria subscriptorum hominum, aliae notariorum vel secretariorum manu exaratae: hae *alienae*, illae *propriae subscriptiones* appellari possunt; & quia propriarum subscriptionum quaedam ex toto, aliae vero ex parte tantum ab iis, quibus tribuuntur, hominibus profectae sunt: possunt *propriae subscriptiones* in *totales* & *partiales* subdiuidi. Atque omnibus his subscriptionum generibus cruces plerumque additae sunt, ita nempe, vt in subscriptionibus propriis, tam partialibus, quam totalibus, propria hominum subscriptorum, in alienis autem secretariorum vel notariorum manu exaratae cernantur: id quod ex atramenti & scripturae diuersitate iudicatu haud difficile erit.

§. 262.

Solum crucis signum subscriptionis loco habitum.

Quod in Codice Iustiniano (*l. scimus C. de iure deliberandi*) de testamentorum subscriptionibus hunc in modum sancitum legitur: „Subscriptionem supponere heredem necesse est, significantem & quantitatem rerum, & quod nulla malignitate circa eas ab eo facta, vel faciendа, res apud eum remaneat, vel si ignarus sit literarum, vel scribere praepediatur; speciali Tabulario ad hoc solum adhibendo, vt pro eo literas supponat, *venerabili signo crucis antea heredis manu praeposito*„; id latius patet, & ad omnia diplomatum genera pertinet, quae inde a saeculo V, magis vero VIII, vsque ad saeculum XII. cum in oriente, tum inprimis in Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Germania cet. exarata sunt. Ii enim, quos subscribere chartis oportebat, si subscriptione literali vel non possent vti, vel nollent etiam, signum crucis, vel etiam, quamquam rarissime, aliud manus propriae signum adiunxerunt: cuius quidem rei exempla mox dabimus.

§. 263.

Causſae, cur signa crucis subscriptionum loco introducta sint?

Variae autem fuerunt causſae, cur signa crucis subscriptionum loco introducta sint. Alii scilicet subscriptione literali vti *non poterant*: alii vero *nolebant*. In illis fuerunt primo ii, qui scribendi artem non callebant,

bant, deinde ii etiam, qui neceſſitate quadam impediti, e. gr. ob caecitatem, morbum, ſenectutem, negotiorum molem, cet. per conſequentiam literarum nomen ſuum vel aliud quidpiam, ſubſcriptionis loco habitum, ſcribere non poterant. Sed fuerunt etiam, qui, etſi diplomatibus propria manu ſubſcribere nomina ſua potuiſſent, id tamen facere nollent, propterea quod vel commoditati nimium ſtudebant, vel faſtu quodam ignobili inducti, ſcribendi artem infra conditionem ſuam ac dignitatem eſſe credebant, vel denique cedebant tempori ac conſuetudini. Ex his patet, quinque potiſſimum cauſſas neglectae ſubſcriptionis literalis fuiſſe, ignorantiam, neceſſitatem, pigritiam, faſtum ac conſuetudinem: id quod nunc exemplis ſingularibus illuſtrare placet.

I.) *Ignorantiae* exempla. *Siſiuera*, honeſta femina, in charta donationis, circ. A. 540. Eccleſiae Rauennatenſi data, ignorantiae ſuae mentionem his verbis fieri iuſſit: „Bono tabellioni huius ciuitatis Rauennae „rogatorio meo (h. e. notario, qui rogatus chartam confecit) ſcribendam „dictaui, in qua ſubter propria manu pro ignorantia literarum ſignum ve„nerabilem ſanctae Crucis feci — ſignum † Siſiuerae honeſtae feminae „ſupra ſcriptae donatricis, omnia ſupra ſcripta agnoſcentis & conſentientis, „cui & relecta eſt„. *Withredus*, Cantiae Rex, ſaeculo VII. ad finem properante his verbis ignorantiam ſuam profeſſus eſt: „Ego Withredus „Rex Cantiae omnia ſupra ſcripta confirmaui, atque a me dictata propria „manu ſignum ſanctae crucis pro ignorantia literarum expreſſi„. *Taſſilo*, Baioariorum Dux, Caroli M. Imperatoris aequalis, diploma, Ottoni Abbati Salzburgenſi datum, ita ſubſignauit: „Quod manu propria, vt „potui, characteres chirographi inchoando, depinxi coram iudicibus at„que optimatibus meis — † Signum manus meae propriae Taſſilonis „donante atque confirmante„. Huc etiam pertinet *Heribaldus*, Comes, qui Ludouico II. imperante vixit; is enim hunc in modum placito manuſcripto chartarii Caſaurienſis ſubſcriptus eſt: „†Signum Heribaldi Comitis „ſacri palatii, qui ibi fui, &, propter ignorantiam literarum, ſignum ſan„ctae crucis feci„. Sed inter homines etiam, ſacro ordini adſcriptos, fuerunt, qui literas omnino, atque adeo nomen ſuum ſcribere neſcirent, vt *Gratianus*, Subdiaconus quidam, de quo in charta plenariae ſecuritatis, Iuſtiniano imperante Rauennae data, haec habentur: „† Signum iſti „Gratiani V. S. ſubdiaconi literas neſcientem & alia manu ſit ſcripto„. Referendus huc quoque eſt *Gerardus*, cuius ſubſcriptio in Marini, Abbatis Caſſinenſis, diplomate, A. 1306. dato, his verbis concepta eſt: „ †Si-

„gnum crucis propriae manus mei supra dicti Gerardi testis scribere ne„scientis„. Prorsus singularis ac portenti fere similis est subscriptio *Antonii*, qui, etsi scribere nesciebat, testis tamen literatus (hoc est, vt videtur, studiosus sacrarum literarum) vocatus est: de eo namque haec in charta Angeli Raue de Cucurutio, per omnes & singulas terras & loca ecclesiae Cassinensis ad causas & contractus iudicis, A. 1416. facta, leguntur: „† Signum crucis propriae manus supra dicti D. Antonii, testis li„terati, scribere nescientis, cet.

II.) *Necessitatis* exempla. Qui necessitate quadam, vt senectute, caecitate, morbo, negotiorum mole, cet impediti, chartis ipsi subscribere non potuerunt, vel aliam adhibuerunt manum, ad suam regendam, vel crucem saltim subscriptionis loco adiunxerunt. Ita *Eugenius*, Presbyter & Prior monasterii Leucadii libello cuidam per manum Paulli, Diaconi ipsius monasterii, subscripsit, *cum ego*, inquit, *non potuerim propter senectutem.* Sanctus *Audomarus*, Morinorum Episcopus, quum sub vitae suae finem oculorum vsum amisisset, testamentum suum ita concludendum duxit: „Haec abocellis feci, & alius manum meam tenens scripsit „& subscripsit„. Pari modo *Inchadus*, Parisiorum praesul, in literis synodicis, A. 832. scriptis, haec de se ipse profitetur: „† Inchadus, Pari„siacensis ecclesiae episcopus interfui, & quia ob amissionem luminum „scribere nequiui, manu propria signum crucis subterfirmaui„. Morbo autem impeditus *Aribertus*, Mediolanensis Archiepiscopus, chartam pro coenobio Ambrosiano A. 1045. datam hunc in modum subsignauit: „† „Signum Ariberti, archiepiscopi, qui propter aegritudinem scribere mi„nime potui„. *Pipinus*, Rex Francorum, cognomine *Brevis*, si non ignoratione literarum, negotiorum certe mole commotus est, vt diplomata adiuncto crucis signo corroboraret, quum ante eum Merouaeades nomen suum, & integram adeo subscribendi formulam manu propria exarauissent. Huc quoque (ex *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. p. 676.) referendum est exemplum *Philippi I*, Regis Galliae, qui, quum contra Wilhelmum, Ducem Normanniae & Angliae Regem, proficiscereturr, in re tam trepida A. 1076. diploma aliquod non nisi crucis signo muniuit, quod quidem signum vim simul sigilli habebat, quo Rex tunc temporis destitutus erat. Idem Galliae Rex, quum A. 1106. Andegaui commoraretur, omnia bona Abbatiae S. Nicolai ita confirmauit, vt Stephanum, Cappellanum suum, omnibus monasterii chartis sigillum regium adiungere iuberet, ipse vero pleriſque harum chartarum signa crucis manu

pro-

propria adscriberet, quibus Cancellarius indicationis, quam dicunt, formulam, hoc est verba: *Signum Philippi Regis*, cet. sua manu adiecit. Eiusmodi subscriptiones, dato ipsorum diplomatum recentiores inde a labente potissimum saeculo X. vsque ad XII. admodum vsitatae fuerunt, variamque errandi occasionem iis, qui huius consuetudinis ignari sunt, praebuerunt, & adhuc praebere possunt.

III.) *Pigritiae*, vel *fastus* etiam exempla. Coniungimus haec duo, quia dictu difficile est, num quis ex commoditatis ac pigritiae amore, an ex affectata quadam dignitatis praerogatiua totum fere subscribendi munus in notarium vel cancellarium reiecerit. De *Carino* autem Imperatore constat, eum non fastu quodam, sed pigritia commotum esse, vt subscribendi laborem detrectaret: is enim, VOPISCO teste, *fastidium scribendi tantum habuit, vt impurum quemdam, cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret: quem obiurgabat plerumque, quod bene suam imitaretur manum.* Maiori autem iure haec pigritiae vel fastus exempla huc referimus: 1) *Ego* Aripaldus *scribere me iussi & testes adhibere.* 2) *Signum sanctae crucis domni* Rotberti. 3) *Signum crucis factum per manum dicti* Petri *Guardensis Episcopi.* 4) *Confirmo signum nostrum per manum notarii paginae imprimendo.* SIGNVM INGELRAMNI EPISCOPI ☩

IV.) *Consuetudinis* exempla. Huc pertinent inprimis *testium* subscriptiones, quae quum sub Merouingeadibus sua ipsorum manu factae essent, postea plerumque per notarios exarabantur, nisi quod testes ad saeculum vsque XII. cruces, vel alia manus propriae signa subscriptioni nominum, a notariis confectae adiicere solerent.

* Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique*, T. III. Tab. 64. ab initio, & MABILLON. L. II. C. XXII. §. 2-6. Adde IOH. CAR. CONR. OELRICHS egregiam commentationem de stampilla diplomatica p. 3-8.

§. 264.

Triplex cruces exarandi modus.

Cruces, aeque ac monogrammata & subscriptiones omnino, *triplici* potissimum *modo* exaratae sunt, *penna* s. calamo, *lamina interrasili*, & *stampilla* s. typo anaglyptico. *Laminae interrasiles* ex auro alioue metallo, vel ex ebore etiam confectae sunt, atque ita perforatae, vt hiatus pro re nata, literarum, crucium cet. speciem prae se ferrent, per quos,

velut sulcos, calamus s. penna ducebatur: *stampillae* vero ita sculptae sunt, vt figurae superficiem eminerent, quae deinde atramento tinctae sunt chartaeque impressae. Ac *laminam* quidem *interrasilem* ad subscribendum nomen suum adhibuit *Theodericus*, Ostrogothorum Rex (A. 493-526.), de quo IOH. COCHLAEVS in vita Theodorici p. 199. haec commemorat: „Igitur Rex Theodericus illiteratus erat, & sic, obruto sensu, vt in „decem annos regni sui quatuor literas subscriptionis edicti sui discere „nullatenus potuisset. De qua re *laminam auream* iussit *interrasilem* fie„ri, quatuor literas Regis habentem, vnde, vt, si subscribere voluisset, „posita lamina super chartam, per eam pennam duceret, & subscriptio „eius tantum videretur„. His, quae a Cochlaeo dicta sunt, IOH. PERINGSKIÖLD addidit, ap. Cochlaeum l. c. p. 577: „Ex consuetudine „illa ducendi literas per laminam auream interrasilem, potius industriae, „quam socordiae notabilioris percipi debere rationem. Hoc scribendi „compendio (pergit Peringskiöld) in expeditionibus adeo crebris & fre„quenti literarum scribendarum vsu, regem vti conueniebat, iuxta re„ceptum hodieque Regum Hispanorum, Asiae etiam Africaeque Princi„pum morem: quum nomina propria, implexis in gyrum literis, artifi„ciosius exprimenda volunt„. Pari modo *Iustinus I*, Imperator (A. 518-527.) quatuor nominis sui literas IVST tabellae s. laminae ligneae ac perpolitae incidendum curauit, qua, purpureo colore s. sacro encausto tincta, ad subscribendum vsus est. *Stampillae* s. typi anaglyptici vsum in subscriptionibus haec comprobant exempla, quae simul docent, crucis etiam signum stampillae s. typi cuiusdam ope fuisse exaratum: 1) *Signum sanctae crucis anulo sancti Michaelis* (patroni ecclesiae cathedralis Wlturarienſis in Italia) *figuratum affiximus*, sunt verba, *Arderadi*, Wlturarienſis Episcopi, nomine proposita. 2) *Hanc meam donationem* (saec. XI. in Anglia factam) *cum sigillo* (hoc est, typo s. stampilla) *sanctae crucis impressi.* 3) *Meum donum* (saec. XI. in Anglia datum) *cum sigillo crucis conclusi.* 4) *Meum donum* (Edgari Regis Angliae) *proprio sigillo confirmaui.* 5) *Meum donum* (eiusdem Regis) *proprio sigillo sanctae crucis impressi.* Vt taceamus exemplum Wilhelmi, Ducis Normanniae, qui, antequam Rex Angliae factus esset, stampilla ad subscribendas cruces vsus est.

* Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 764. sq. & OELRICHS de stampillis diplomatica p. 4, 5, 6, coll. not. 15.

§. 265.

§. 265.

Locus crucium, subscriptionibus additarum.

Cruces, subscriptionibus additae, nunc ante, nunc post subscriptionum formulas, nunc vtrimque simul, interdum etiam in mediis his formulis, plerumque vero post vocabulum *signum* collocatae sunt; vno verbo crucibus huius generis arbitrarius atque inconstans locus fuit. Clarius hoc ex iis, quae nunc seruato temporis ordine proponemus, exemplis patebit.

Pronuntiatio magistratuum de publicandis expediendisque actis publicis Rauennatensibus, ab A. 480. vsque ad A. 552. exaratis, vna cum magistratuum eorumque officialium subscriptionibus: *Gesta vobis lex his, quae acta sunt, competens ex more edere curauit officium* X. † *Edantur* †. † *Fl. Seuerus exceptor* (tabularius primarius) *pro bonilu* (Probo Nilo s. pro Bonilo) *praerogatiuarum edas* X. *Edantur* X. Hae subscriptiones non continua oratione, sed diuersis varieque dispositis versibus exaratae sunt, crucesque andreanae, quas vocant, vltimis vocum literis innexae apparent. Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. Tab. 74.

Charta venditionis, Rauennae A. 546. data: *Sinum* (signum) *manus* † *Thulgilonis h f* (honestae feminae) *vindetrice ff* (venditricis supra scriptae). *Sinum* (signum) *manus* † *Domnicae h f vindetrice ff.* Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 63. num. III.

Charta donationis, Rauennae circ. A. 540, vel non ita multo post data: *Subter propria manu* (Sisiuera, honesta femina & donatrix, loquitur) *pro ignorantia literarum signum venerabilem sanctae Crucis feci & testibus a me rogitis* (rogatis) *optuli subscribendam* — (locus chrismi, h. e. literarum I. C. N. pro in Christi Nomine) *signum* † *Sisiuerae honestae feminae supra scriptae donatricis omnia supra scripta agnoscentis & consentientis, cui & relecta est* (locus chrismi alius). Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 64. ab initio.

Diploma Childeberti I, Francorum Regis, A. 558. datum: *Signum Childeberti Glorioſiſſimi regis* ⁝ *Am.* (Amen, vel aliud quidpiam) ✠ Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 67. ab initio.

Diploma Chilperici I, Regis Francorum, A. 583. datum: † *Signum Chilperici glurioſi Regis*, Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 66.

Diploma Chlodouaei Iunioris, A. 653. datum: † IN XPI (Christi) NOMINE ELIGIVS EPS (Episcopus) SVBSCRIPSI, apud MABILLON. Tab. 17.

Diploma Theoderici Francorum Regis, A. 660 datum: † *in XPI nomene Theuderieus Rex subs.* apud MABILL. Tab. 19. sq.

Diploma Anglo-Saxonicum, circ. A. 670. datum: † *Ego Sebbi Rex Eastsaxonum pro confirmatione subscripsi.* Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 70. dipl. I.

Charta Vandemiris, viri illustris, A. 690: † *Ego in Dei nomine Vandemiris hanc epistola* (epistolam) *a me facta* (factam) *religi* (relegi) *& sub. – Sign.* (signum) † *vir inl* (inlustris) *Acerelio* (forte Aurelio), *sign* † *bosone – – sign* † *bosittone, sign* † *Chlodoardo, sign* † *ingoberto, sign.* † *gamardo, sign* † *gandulfo.* Vid. MABILL. Tab. 20. dipl. II, ad quod a Mabillonio haec annotata sunt: „Subscriptiones quaedam propriae sunt „cum signis figuratis (*signis recognitionis*): quaedam notarii manu factae „praeter signum crucis idiographum„.

Diploma Pipini Breuis, Regis Francorum A. 767: *Signum* †. *Pippino gloriosissimo rege*, ap. MABILL. Tab. 23. num. 1; item diploma eiusdem Regis A. 768: *signum* ✠ *Pippini gloriosissimi Regis.* Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 67. dipl. III.

Diploma Carolomanni, Regis Francorum, fratris Caroli M., A. 769: *Signum* † *Carolomanno gloriosissimo rege*, ap. MABILL. Tab. 23. num. 2.

Charta Anglo-Saxonica, A. 773. exarata: † *Ego Ecgberht Rex hanc meam donationem* cet. Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 70. dipl. IV.

Fulradi Abbatis testamentum, anno nono & quarto regnante domno Carolo gloriosissimo rege Francorum & Langobardorum ac patricio Romanorum: *Signum* † *teuderico. signum* † *hadritto. signum* † *hainrico. signum* † *uulfardo. signum* † *Chrodone. signum* † *Arihardo Comite. signum* † *baldulfo*, cet. Vid. MABILL. Tab. 52.

Charta Anglo-Saxonica, A. 790. scripta: † *Ego Aethaelbearth* cet. Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 70. dipl. III.

Diploma Giselae, sororis Caroli M., A. 791. datum: *Sign* (signum) † *Ghysile nobilissima filia Pippini Regis, qui hanc donatione fieri rogaui. Signum* † *Caroli nobilissimi filii domni Caroli Regis precellentissimi Regis. Signum* † *Pippini nobilissimi filii domni Caroli precellentissimi Regis. Signum*

gnum † Chlodoici nobiliſſimi filii domni Caroli praecellentiſſimi Regis. Vid. MABILL. Tab. 24. dipl. II.

Placitum Caunenſe ſub Carolo M. anno regni eius XXIV: *Si....* (ſignum) † *uincilani clerico ..... ſign † ualentino,* ap. MABILL. Tab. 27.

Placitum ſub Ludouico pio, anno eius primo: *Sign † benito. ſign. † elereo, qui as* (has) *condiciones iuraberunt. ſign † maure .... qui unc iuramentum recepit — ſign † francoberto. ſign* X *uenerello. ſign* X *teudrio* (ſ. vt Mabill. legit *teuderico*), ap. MABILL. Tab. 27. num. 2.

Aliud placitum ſub Ludouico Pio, circ. A. 825: *Sign † Iſpanildes qui hunc teſtamentum fieri uolui..... ſign † anſemundi..... † elias In xpi nomine presbyter a ſupra ſcripto hunc teſtamentum ſcripſi & ſſſ* (ſubſcripſi) *ſub die & anno quod ſupra,* ap. MABILL. Tab. 27. num. 5.

Praeceptum ſynodale A. 833: *Si* (ſignum) † *Aldricus Archiepiſcopus* †. † EBO INDIGNVS REMENSIS ARCHIEPISCOPVS S (ſubſcripſi). † *otgarius archiepiſcopus* †. † DROGO EPISCOPVS *ſ* (ſubſcripſi) †. Vid. MABILL. Tab. 53. n. 2.

Charta Anglo-Saxonica A. 847: † *Ego Aetheluulf Rex ad confirmandam hanc donationem uenerabiliter trophei ſignum ſanctae crucis exarrabi* (exaraui). Vid. *Nouv. Tr. de Dipl.* T. III. Tab. 70. dipl. V.

Bulla Benedicti III. Pontificis Romani, A. 855: †BENE VALETE†, ap. MABILL. Tab. 47. Eodem modo ſubſcriptae ſunt duae bullae Nicolai I, Pontificis Romani, A. 863. exaratae, *ib.* Tab. 48. ſq. Sub Leone IX. Pontifice Romano, qui verba *Bene Valete* primus ad monogrammatis formam exarari iuſſit, circuli introducti ſunt, quibus crux cum nomine Pontificis & dicto aliquo inſerebatur. Vid. MABILL. Tab. 50. ſq.

Synodus Piſtenſis, A. 861. celebrata, a multis tam Epiſcopis, quam abbatibus ſubſcripta eſt, quorum plerique crucem, alii monogramma Chriſti, alii denique nullum prorſus ſignum nominibus ſuis praemiſerunt. Inter Epiſcopos Aeneas, Ionas & Godelſadus nominibus ſuis inuſitatum aliquod ſignum praefixerunt, quod quidem ſignum MABILLONIVS pro litera graeca y, auctores vero *noui operis diplomatici* pro cruce quadam negligentius formata habent; nos contra hoc ſigno nihil aliud, quam ſiglam vocis *ſignum*, id eſt, literam *ſ* denotari ſuſpicamur, praeſertim quum in Synodo Sueſſionenſi, A. 862. habita, eodemque fere modo, quo Synodus Piſtenſis, ſubſcripta, Godelſadus Epiſcopus ſigno huic, de quo

quae-

quaeritur, crucem ordinariam poſtpoſuerit, vt itaque tota Godelſadi ſubſcriptio ita, mea quidem ſententia legenda ſit: *ſ* (ſignum) † *Godelſadus Cabilonenſium epiſcopus ſubſcripſit.* Vid. MABILL. Tab. 54. ſq.

Placitum ſub Carolo Caluo Imperatore, A. 873: *Sig* (ſignum) ✠ *arenardo. ſig* ✠ *Ilperico. ſig* ✠ *Stefano. ſig* ✠ *ſalamon, qui has condiciones iurauimus*, ap. MABILL. Tab. 27. num. 3.

Charta Roriconis, Epiſcopi Laudunenſis, A. 961. data, & anno ſequenti in ſynodo quadam confirmata: 𝔖 (Litera *S* duplici linea diagonali ad modum crucis andreanae traiecta pro vocabulo *ſigno* ac ſimul pro ipſa cruce) *Roriconis indigni laudunenſium praeſulis* — ✠ *Ego adalbero S. Remenſis eccleſiae archiepc* (archiepiſcopus) *ſubſcripſi & corrobor aui.* ✠ *Ego Guido ſueſſionenſis eccleſiae epc* (epiſcopus) *ſſ* (ſubſcripſi) ✠ *Ego Tetboldus ambianenſis epc ſſ.* ✠ *Ego Hadulfus nouiomenſis epc ſſ.* ✠ *Ego hildegarius beluacenſis epc ſſ.* His ſubſcriptionibus ad latus in duabus columnis aliorum hominum tam eccleſiaſticorum quam ſaecularium ſubſcriptiones adiunctae cernuntur, quorum alii literam *S*, ſimplici, alii duplici linea diagonali traiectam, 𝔖 𝔖 pro vocabulo *ſignum* & pro cruce ſimul nominibus ſuis praemiſerunt. Vid. MABILL. Tab. 53. num. 3.

Charta Leonis, Archiepiſcopi Rauennatis, A. 1001. data: *Quam praeceptionis noſtrae paginam* DEVS DEDIT *Notario ſanctae noſtrae Rauenn. eccleſiae ſcribendam iuſſimus, in qua nos ſubſcripſimus ſub die menſis & indictione ixta quarta-decima Rauennae.* † LEGIMVS †. Archiepiſcopus hic ſubſcripſiſſe ſe huic chartae ait; nec tamen nomen ſuum, ſed tantum vocabulum *Legimus*, duabus crucibus cinctum, adiunxit: quod quidem ſubſcribendi genus ſingulare eſt. Vid. MABILL. Tab. 51.

Diploma Wilhelmi, Regis Angliae (A. 1066-1087.): *Manu propria preſentem cartam ſigno ſancte crucis † inpreſſi & confirmaui, Signum Wil † lelmi regis Anglie. Signum † Thome eboracenſis Archiepiſcopi. Signum Willelmi † Dunelmenſis epiſcopi* — *Sig † num Baldewini Abbatis Sancti Eadmundi.* — *Signum Hugonis † Comitis de ceſtre. Signum Roberti co † mitis northymbrorum. Signum Ricardi de † curceio.* — *Signum Mauricii ca † pellani.* cet. Omnes hae ſubſcriptiones praeter crucis ſigna, notarii manu exaratae ſunt. Vid. *Nouveau Traité de Dipl.* T. IV. Tab. 77. dipl. II.

Cyrographum Abbatis Rotberti, Pariſiis A. 1070. ſcriptum: 𝔖. (nota tironis, verbum *ſubſcripſi* ſ. *ſubſcriptio* exprimens) DOMNI

PHY

PHY † LIPPI REGIS. Vid. *Nouveau Traité de Dipl.* T. IV. Tab. 77. dipl. I.

Charta donationis Hugonis Petuerensis, militis, A. 1071. data: *Vt autem haec carta omni tempore firmior haberetur, ego Hugo & frater meus Albertus Domino nostro Philippo Regi eam obtulimus ad corroborandum, qui libentissime eam dignatus est corroborare & sui sigilli authoritate & proprii nominis subscriptione. — Signum Philippi Regis † Segnum † Hugonis filii Tescelini Petuerensis militis, qui hanc donationem fecit Signum † Alberti fratris Hugonis & Milesindis matris eorum* ⸸ (litera *s*, linea curua ad modum crucis traiecta, pro signo *crucis* & vocabulo *signum* simul) *Tescelini filii Alberti.* Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. Tab. 68. dipl. IV.

Diploma Dunecani II. Regis Scotiae, A. 1094. exaratum: *Crux Dun † ecani regis. Gr † entonis scribtoris. ace † ard. ul † f. malcolumb †. eadgari †. her † mèr. hem † ming. alf † ric. teo † dbold. vin † get. ea † rnulf.* Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. Tab. 70. Sect. II. dipl. I.

Charta venditionis, quam Didagu Furtiniz in Hispania A. 1094. exarari iussit: *Didagu furtiniz † rouoraui* (roboraui) *pro testes Nuno testis. Aluito testis. Godino testis. Monio testis.* Testium nominibus nullum crucis signum additum est. Vid. *Nouv. Tr. de Diplom.* T. III. Tab. 71. dipl. III.

Diploma Ludouici VI. Galliae Regis, A. 1113. datum: ⸸ (figla vocis *signum*, linea diagonali ad formam crucis decussatae traiecta) *lugdouici regis.* † ⸸ *anselli dapiferi.* ⸸ *Gisleberti buticularii.* ⸸ *Hugonis constabularii.* ⸸ *Guidonis camerarii.* Vid. MABILLON. Tab. 41.

Diploma Ludouici VI. Regis Galliae, A. 1120. datum: *Astantibus nobiscum* (cum Rege) in ipso monasterio, quorum nomina subtitulata sunt & signa. *S* (hoc *S*, pro voce signum, linea diagonali curua ad modum crucis decussatae traiectum est: idem de sequentibus literis *S* tenendum) *Anselli dapiferi* †. *S Hugonis constabularii* †. *S* Gilberti buticularii ⸸ *S Widonis camerarii* ⊕. *Data per manus Ste* (locus monogrammatis regii) *phani cancellarii.* Omnia haec verba notarii manu exarata sunt: sed signa crucis, vtpote diuersa, subscriptorum hominum manus produnt. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. Tab. 68.

Diploma Ludouici VI. Galliae Regis, A. 1133. datum: *Astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Radulfi Viromandorum comitis. S. Guillermi buticularii. S. Hugonis camerarii. S. Hugonis constabularii. Data per manum* (locus monogrammatis regii) *Srephani cancellarii.* Omnia *S* in hac subscriptione ad modum crucis decussatae linea diagonali sunt traiecta, cunctaque vocabula notarii manu scripta cernuntur. Cruces nullae adsunt, quarum vicem tamen litera *S* traiecta sustinet. Vid. *Nouv. Tr. de Diplom.* T. III. Tab. 76. dipl. II.

Cirographum Ludouici VII. Galliae Regis, A. 1167. datum: *Astantibus in palatio nostro quorum apposita sunt nomina & signa. S. Comitis Theobaldi dapiferi nostri. S. Guidonis buticularii. S. Mathei camerarii. S. Radulfi constabularii. Data per manum Hugo* (locus monogrammatis regii) *nis cancellarii.* De hoc diplomate idem tenendum, quod de praecedenti dictum est. Vid. MABILLON. Tab. 42.

Diploma Philippi Augusti, Galliae Regis, A. 1196. datum: *Astantibus in palatio nostro quorum nomina suppositа sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. S* (S, hoc est sigla vocis *signum*, linea perpendiculari ad formam crucis ordinariae traiectum) *Mathei camerarii. S* (eodem modo decussatum) *Droconis constabularii. Data vacante* (locus monogrammatis regii) *cancellaria.* Vid. MABILLON. Tab. 43. Adde etiam tab. sequ. 44.

In diplomate Ferdinandi III. Regis Castiliae, A. 1230. dato, intra duas testium columnas collocatus cernitur magnus circulus isque duplex, cuius centro crux inscripta est. Interiorem seu concentricum circulum haec verba, literis capitalibus scripta, ambiunt: *Signum Ferrandi Regis Castelle & Toleti, Legioni & Gallie:* circa exteriorem vero siue eccentricum circulum leguntur verba, literis minusculis exarata: *Lupus didaci de faro alferiz domini Regis confirmat. Gonçaluus roderici maiordomus curie Regis confirmat.* Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. Tab. 71. diploma medium, item Tab. nostra VIII. num. 57.

Eiusmodi circulos, eosque multo maiores, eiusdem operis diplomatici tabula 76, item tabula 73. exhibet. Monogrammatum loco eos haberi posse ac debere, res ipsa loquitur: vide tamen ea quoque, quae hac de re in *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 754. habentur.

Similibus circulis etiam Romani Pontifices vsi sunt, qualis est Leonis IX. in tab. cit. 73. Add. MABILLON. Tab. 50. sq. & SCHANNATI Vind. Tab. 1. sq. item Tab. nostra VIII. num. 73.

In

In Alphonsi IX. Hispaniae Regis, signo, ap. MABILLON. Tab. 45. crux quadrato inclusa est, & inscriptio addita: SIGNVM IMPERATORIS. Vid. Tab. nostra VIII. num. 56.

Neque hoc loco praetermittenda videtur subscribendi ratio, qua Mathildis, celebris illa Italiae Comitissa, vsa est. Adhibuit illa nempe stampillam, quae crucem exprimebat, cuius angulis verba haec literis capitalibus inscripta erant: *Matilda Dei gratia si quid est.* Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. III. Tab. 73. coll. T. IV. p. 755. In MVRATORII Antiquit. medii aeui T. VI. p. 71. exhibetur Mathildis Comitissae concordia cum Abbatissa Monasterii Placentini S. Sixti, A. 1102. confecta, cui eadem stampilla impressa est, nisi quod vocabulum SVBSCRIPSI infra stampillam adiunctum cernatur. Vid. Tab. nostra VIII. n. 61.

§. 266.

Significatio crucium subscriptionibus additarum.

Quemadmodum veteres tactu crucis alicuius, vel certe in conspectu eiusmodi symboli sacri, iureiurando sese obligarunt, item cruci affixi Seruatoris imaginem securitatis ac fidei publicae caussa absentibus miserunt; ita signum crucis eodem consilio subscriptionibus adiunxerunt, eosque, qui, quae interposita signi huius sacri religione promiserant, non seruabant, inter σαυροπάτας siue crucis conculcatores et inter periuros numerarunt. Vid. GRETSERI opera de sancta cruce T. I. L. II. C. 16-18. p. 397-404. Quo factum est, vt *manu propria iurasse* dicerentur, qui instrumentis signum crucis subscripserunt; cuius rei hoc exemplum ponemus: *Comes Tolosanus hanc eandem donationem ibi deueniens rogatu nostro corroborauit, firmauit manuque propria iurauit.* Vid. CANGII glossarium s. v. *cruce subscribere*, p. 1191.

§. 267.

Cruces Sphragisticae.

Cruces Sphragisticas ea crucis signa, quae in sigillis apparent, supra (§. 256.) appellauimus. Atque hoc satis quidem constat, nullum facile reperiri sigillum aeui medii, cuius inscriptio non a crucis aliquo signo inciperet, durauitque haec consuetudo ab antiquissimis inde temporibus vsque ad saeculum XIV. Nescio, quibus rebus factum sit, vt (*) HEINECCIVS, vir de sigillorum doctrina ceteroqui meritissimus, cruces

sphragisticas a crucibus, quae subscriptionibus diplomatum adiunctae sunt, arcesseret. Id enim satis constat, vtriusque generis cruces ex vno eodemque fonte, quem supra (§. 253.) indicauimus, fluxisse. Ineunte autem saeculo XIV. ab hoc prisco more recedere paullatim coeperunt homines, ita quidem, vt nunc cruces prorsus omitterent, nunc rosas stellulasue, & id genus alias res in eorum locum substituerent. Neque vero in fronte tantum epigraphes, sed in campo etiam sigillorum cruces varii generis cernere licet. Sic, vt alia exempla taceamus, in sigillis Regum Merouingicorum, Theoderici III. Chlodouaei III. & Childeberti III. praeter crucem in principio inscriptionis positam, aliae duae cruces, vna ad dextrum, altera ad sinistrum latus capitis regii, collocatae sunt. Vid. MABILLONII Tab. 20 & 22.

(*) HEINECCIVS de sigillis p 68. §. XI. In eo etiam se aliosque fefellit vir beatus, quod vsum perpetuum crucium sphragisticarum ad extremum vsque saeculum XIV. durauisse scriberet: namque ineunte iam saeculo hoc, ab auito more recedi coeptum esse, nemini, qui in sigillorum doctrina paullo versatior est, obscurum dubiumue esse poterit. Vide e. gr. HVEBERI Austriam ex archiuis Mellicensibus illustratam, Tab. VIII. num. 5. 11. 18. 19.

§. 268.

De iudicio crucis velut in transcursu agitur.

Antequam ab hoc loco discedamus, de *iudicio crucis*, cuius mentionem diplomata pariter atque scriptores medii aeui haud raro faciunt, pauca velut in transcursu dicenda ducimus. Quemadmodum scilicet priorum temporum superstitione factum est, vt homines, crimine aliquo accusati, ferro candenti, vel aqua calida innocentiam suam iudicibus probare posse crederentur; ita crucis etiam iudicium ad explorandam morum integritatem, vel omnino ad declarandam causae alicuius dubiae iustitiam olim adhibitum fuisse constat. Quale autem hoc crucis iudicium fuerit, non vno modo viri docti, vt fit in rebus parum cognitis, interpretantur. Quantum ego quidem existimo, (*) CANGII sententia, cui etiam MABILLONIVS & MVRATORIVS subscripserunt, magnam prae ceteris veri speciem habet. "Res sic agebatur (sunt „verba MABILLONII L. VI. Num. LI. in nota): Missae tempore, siue „dum Psalmi oratioque Dominica recitarentur, homines duo conducti „ad crucem stabant brachiis expansis. Qui prior lassus brachia deposuisset, aut titubantia habuisset; eius pars victa censebatur.„

(*) Vid. CANGII Glossarium s. v. *crucis iudicium.*

CAPVT

CAPVT V.

MONOGRAMMATOLOGIA SIVE MONOGRAMMATICA.

* GOTTFR. LEONHARDI BAVDISII Praeparatio ad analyſin Monogrammatum Imperatorum & Regum Germanicorum. Lipſ. 1737. 4.

Eiusd. Monogrammatum Imperatorum ac Regum Germanicorum a Carolo M. vſque ad exceſſum Conradi III. analyſis & vſus in probationibus. Lipſ. 1737. 4.

1) MONOGRAMMATOLOGIA GENERALIS.

§. 269.

Monogrammatologiae & Monogrammatum definitio.

Monogrammatologia ſiue *Monogrammatica* eſt ſcientia monogrammatum. Eſt autem monogramma (Gallis *un Chifre*; Germanis, quamquam minus commode *ein verzogener Name*, ſiue *der Namenszug*, item *das Handzeichen*, dictum) character, ſingulas vnius, vel plurium etiam vocum literas, vario ordine diſpoſitas, exprimens. Ex quo ſimul patet, monogrammata a ſiglis (§. 62.) pariter atque a notis Tironis (§. 68.) diſcrepare: quamquam, vt infra (§. 276.) dicemus, tam ſiglae, quam alia ſcripturae compendia monogrammatibus ineſſe poſſunt, nec raro inſunt.

§. 270.

Vocabuli monogramma ſynonyma.

Monogrammatis. vocabulum in ipſo diplomatum contextu rariſſime inuenitur. Placet itaque, quibus nominibus diplomatum auctores ad ſignificandum monogramma vſi ſint, paucis oſtendere. Dicitur autem monogramma plerumque *ſignum*, hoc eſt, ſignum crucis; item *nominis* vel *manus ſignum*, *manus propria*, *manus propriae nota*, *chirographum*, *ſignaculum*, *character*, *character nominis*, *regius character*, *regii*

nominis character, signi character, nominis figura, cet. Vid. Cel. BAVDISII praeparat. ad analyſ. monogrammatum p. 4. ſq. Quum itaque monogrammata ſignorum aliquod genus ſint; Monogrammatologiam, quae de iis exponit, iure meritoque inter partes Semioticae (§. 229.) numerari, patet.

§. 271.

Monogrammatum definitio genetica.

In quolibet monogrammate prae ceteris ad *ductus fundamentales* attendendum eſt. Sunt autem ductus monogrammatum fundamentales vel lineae, vel literae, & eiuſmodi quidem, quibus, tamquam fundamentis, totum monogrammatis alicuius aedificium inniti poſſit. Reliqua ſcilicet compages ex quadruplici *literarum coarctatarum* genere, hoc eſt, ex *literis contiguis*, *innexis*, *inſertis* & *columnatis*, de quibus iam ſupra (§. 46. 56.) dictum eſt, exiſtit. Sunt tamen etiam, quod hic, tamquam in loco, monendum eſt, literae, quae reliquis literis lineiſue ſimpliciter ac ſine vllo compendio adiunctae cernuntur; quas quidem ſi ob id ipſum *adiunctas literas* appellamus, haud incommode facere videmur. Exemplo eſſe poſſunt literae K & S in monogrammatibus Carolorum (Vid. Tab. VIII. num. 5.). Sunt ergo *quinque* omnino monogrammatum conſtruendorum *modi:* contignatio, innexio, inſertio, columnatio & adiunctio.

§. 272.

Tabula, praecipuas monogrammatum diuiſiones exhibens.

Quo facilius ea, quae de *monogrammatum diuiſionibus* dicenda ſunt, memoria teneri queant, placet rem totam hac tabula complecti. Monogrammata ſcilicet ſunt

I. ratione ductuum fundamentalium

1. linearia

a. cruciformia

1) ſimplicia
2) compoſita

vel

rhombata. Tab. VIII. num. 5 & 9. 25-30. 32-34. item num. 36.

non rhombata. Tab. VIII. num. 10. ſq. item 20 & 23.

b. quadri-

b. quadriformia s. quadrata. Tab. VIII. num. 21. sq. item 56.
c. circularia. Tab. VIII. num. 19. 57. 73.

2. literalia, quae sunt
a. ratione numeri literarum fundamentalium
1) simplicia. Tab. VIII. num. 6. 7. 8. 14-18. 24. 37. 74. 75. 78. sq.
2) composita
a) duplicia
b) triplicia
vel
coarctata. Tab. VIII. num. 3. 69. 74.
copulata, praesertim ope cuiusdam lineae horizontalis. T. VIII. n. 12. 35. 42. 44 46. 48. 52. sq. 66. &c.
interrupta. Tab. VIII. num. 39. 43.

b. ratione figurae literarum fundamentalium
1) cruciformia, Andreana praesertim, quorum litera fundamentalis X est. Tab. VIII. num. 69. sq.
2) quadriformia s. quadrata, quorum literae fundamentales sunt H. M. N; H (duo T copulata), ⊢⊣ (L & C copulata), cet.
a) quadriformia partita. Tab. VIII. num. 18. 31. 58. 78.
b) quadriformia decussata
α. simpliciter. Tab. VIII. n. 37.
β. dupliciter. T. VIII. n. 15.
c) quadriformia partita simulque decussata
α. simpliciter. T. VIII. n. 14.
β. dupliciter. T. VIII. n. 16.
d) quadriformia nuda, h. e. neque partita, neque decussata. T. VIII. n. 6. 7. 8.
3) angulosa, quorum litera fundamentalis V. vel alia ei similis est. Tab. VIII. n. 79.

II. ratione contentorum
1. nominalia. Tab. VIII. n. 2-11. 26-30. 32-50.
2. titularia. Tab. VIII. num. 1. 12-18. 20-23. 25. 31. 55. 69. 71. 76.
3. verbalia. Tab. VIII. num. 74.
4. mixta. Tab. VIII. num. 19. 24. 56. sq. 59. 60. 61. 63. 73. 77.

III. ratione perfectionis
1. consummata. Tab. VIII. n. 5-37.
2. manca. Tab. VIII. num. 2. 3. 39. 40. 43. 46. 49. 50. 64. 65.

IV. ratione quantitatis s. moduli
1. magna s. maximi moduli. Tab. VIII. n. 19. 38. 56. 57. 77.

2. media

2. media ſ. medii moduli. Tab. VIII. num. 4-6.
3. parua ſ. minimi moduli. Tab. VIII. num. 7. 64. 76.

V. ratione materiae, in qua exarata ſunt,
1. nummaria.
2. vexillaria.
3. parietaria ſ. Hrabaniana. Tab. VIII. n. 66-71.
4. ſphragiſtica.
5. diplomatica, cet.

VI. ratione perſonarum, & quidem
1. vel ratione dignitatis
a. ciuilia ſ. politica
1) Merouingicorum Regum ac Reginarum. Tab. VIII. n. 1-4.
2) Imperatorum ac Regum Germaniae, ideoque vel
a) regia.
b) imperialia.
} Horum monogrammatum maximam partem, ea ſcilicet, quae inde a Carolo M. vſque ad exceſſum Conradi III. occurrunt, Cel. BAVDIS explicauit: reliquorum enodatio adhuc exſpectatur. Vid. Tab. noſtra VIII. n. 5-24.
3) Imperatorum Conſtantinopolitanorum.
4) Regum Galliae. Tab. VIII. n. 25-45.
5) Regum Italiae, Hiſpaniæ, cet. T. VIII. n. 46-57.
6) Principum. T. VIII. n. 58-60.
7) Comitum. T. VIII. n. 61. 62. 64.
8) Nobilium. T. VIII. n. 63.
9) Magiſtratuum. T. VIII. n. 65.
10) Notariorum, cet. Vid. ſupra §. 243. p. 166.
} Omnia haec monogrammatum genera architectum adhuc exſpectant: quae enim MABILLONIVS de illis, inprimiſque de monogrammatibus Galliae Regum habet, vix centeſimam rei partem efficiunt.
b. eccleſiaſtica
1) Pontificum Romanorum. Tab. VIII. n. 66-74.
2) Epiſcoporum. T. VIII. n. 75-78.
3) Abbatum. T. VIII. n. 79.
4) Monaſteriorum, cet.

2. vel ratione ſexus
a. maſculina.
b. feminina. Tab. VIII. n. 3 & 61.

§. 273.

§. 273.

De monogrammatibus linearibus, eorumque in cruciformia, quadrata & circularia diuisione.

Iam ad singula monogrammatum genera explicanda ordine procedendum est. Quoniam ductus monogrammatum fundamentales (§. 271.) vel lineae sunt, vel literae, ipsa *monogrammata* in *linearia* & *literalia* haud incommode diuiduntur. Ac *linearium* quidem monogrammatum tria potissimum genera sunt: *cruciformia*, *quadriformia* s. *quadrata*, & *circularia*. Cruciformium alia *simplicia* sunt (vid. Tab. VIII. num. 5. 9. 10. 11. 25-30. 32-34) alia *composita*: illis crux ordinaria tantum, his, praeter crucem ordinariam, etiam decussata crux fundamenti loco inseruit (vid. Tab. VIII. num. 20 & 23.). Sed possunt cruciformia monogrammata etiam in *rhombata* & *non rhombata* dispertiri, quorum illa rhombum, vocales A. O. V. vel omnes simul, vel vnam tantum alteramque earum, complectentem in medio habent (Tab. VIII. num. 5. 9. 25-30. 32-34.), haec vero non habent (Tab. VIII. num. 10. 11. 20. 23. 59. 60. 61. 63. 65. 76. 77). *Quadrata* s. *quadriformia* ea voco monogrammata, quae quadrato, si non semper absoluto omnibusque numeris suis expleto, aliquo tamen, quod ei simile est, continentur: cuius generis sunt monogrammata Ludouici V. Bauari (Tab. VIII. num. 21. sq.), item monogramma Conradi, Regis Burgundiae (Tab. VIII. num. 55.). Huc quoque referendum est monogramma Alphonsi IX. Hispaniae Regis, si modo illud monogrammatis nomine dignum existimetur (vid. Tab. VIII. num. 56). Neque hoc negauerim, pleraque monogrammata, quae quadratorum nomine appellaui, vel ad cruciformia simul referri posse, vel monogrammatum genus aliquod, ex cruciformibus & quadratis mixtorum, efficere. *Circularia* denique monogrammata ea dici possunt, quae circulis inclusa cernuntur: quorsum tam orbiculi illi Pontificum Romanorum (Tab. VIII. num. 73.), quam rotae, quas dicunt, Regum Hispaniae (Tab. VIII. num. 57.) pertinere videntur: quamquam lubens fatear, de vtroque hoc monogrammatum genere idem dici posse, quod de quadratis modo diximus. Circularium formam etiam monogramma Wilhelmi, Regis Romanorum, imitatur (vid. Tab. VIII. num. 19.).

§. 274.

De monogrammatibus literalibus, eorumque generibus.

Literalia monogrammata vocamus, quorum ductus fundamentales literae sunt (§. 273.). Possunt autem literalia quoque monogrammata varie diuidi, ac primo quidem in *simplicia* & *composita:* quorum illa vna dumtaxat litera (Tab. VIII. num. 6. 7. 8. 14-18. 24. 37. 74. 75. 78. sq.), haec vero pluribus, duabus scilicet, vel tribus etiam literis, fundamenti loco vtuntur; vnde duo literalium compositorum genera existunt, *duplicia* (Tab. VIII. num. 3. 12. sq. 35. 39. 42. 44-46. 53. 64.) & *triplicia* (Tab. VIII. num. 43. 66. 74.). Quoniam in monogrammatibus literalibus iisque compositis literae fundamentales non tantum coarctatae reperiuntur, id quod elegantissimum eorum genus est; sed etiam ope cuiusdam lineae, horizontalis praesertim, inter se coniunctae fuerunt; quid? quod sine vlla copula intercedente, separatim vna ab altera, exhibentur; haud aegre intelligitur, qui factum sit, vt supra (§. 272.) monogrammata literalia composita denuo in *coarctata*, *copulata* & *interrupta* dispertiremus. Placet nunc diuisionem hanc exemplis quibusdam illustrare. Sic e. gr. sollemnis illa Pontificum Romanorum formula: *Bene valete* s. *Bene valeas* monogrammate literali eoque triplici comprehensa est: ita quidem, vt tres literae fundamentales B. A. E. inter se coarctarentur (vid. Tab. VIII. num. 74.). Est igitur hoc monogramma literale triplex coarctatum. Sed monogramma Karolomanni, Adriani, Ludouici VII. inter literalia composita copulata numeranda sunt, propterea quod in primo K & N, in altero I. R. D. ac in postremo L & C. linea quadam transuersa inter se coniuncta fuerunt (vid. Tab. VIII. num. 46. 66 & 42). Literalium compositorum interruptorum exemplum est monogramma Ludouici IX. Galliae Regis, quia tres literae fundamentales L. O. C. copula carent (vid. Tab. VIII. n. 43.): sed aliud monogramma eiusdem Regis, idque duplex, literas fundamentales L & C. linea quadam transuersa sibi iunctas exhibet, ideoque ad monogrammata literalia composita, quae copulata diximus, referendum est (vid. Tab. VIII. num. 44.). Quae huc vsque allatae sunt, monogrammatum literalium diuisiones, ad literarum fundamentalium numerum respiciunt. Sed si earumdem literarum fundamentalium figuras varias consideraueris, facile animaduertes, monogrammata literalia etiam in *cruciformia*, eaque *Andreana* potissimum, quorum litera fundamen-

damentalis X est (Tab. VIII. num. 69. sq.), *quadriformia*, quorum literae fundamentales quadrati speciem quodammodo prae se ferunt, vt H. M. N. H (duplex T copulatum), H (L & C. copulata), cet. (Tab. VIII. num. 6 & 8; 47. 72 & 78; 7. 18. 75; 12. sq; 42 & 44), & *angulosa*, in quibus litera V, vel alia, ei similis, fundamenti vicem obit (Tab. VIII. num. 79.), dispertiri posse. *Quadriformibus* autem, quae modo diximus, quatuor species subiectae sunt: 1) *quadriformia partita*, quae ductu quodam perpendiculari in duas veluti partes secta sunt (Tab. VIII. num. 18. 31. 58 78.); 2) *quadriformia decussata*, quorum lateribus decussatura, vel simplex (vna linea diagonalis), vel duplex (duplex linea diagonalis S. X.) continetur, quaeque ob id ipsum in *simpliciter decussata* (Tab. VIII. num. 37.), & *dupliciter decussata* (Tab. VIII. num. 15.) distribui possunt; 3) *quadriformia partita*, eaque *simul* vel *simpliciter* (Tab. VIII. num. 14), vel *dupliciter decussata* (Tab. VIII. num. 16.); 4) *quadriformia nuda*, hoc est, quae neque partita, neque decussata sunt (Tab. VIII. num. 6. 7. 8.).

§. 275.

Monogrammatum in nominalia, titularia, verbalia, & mixta distributio.

Bavdisivs, monogrammatologiae quasi architectus, monogrammata Imperatorum ac Regum Germaniae in (*) *nominalia* & *titularia* (Abbati Gottwicensi in praefat. Chron. Gottwic. §. 18. minus commode *simplicia* & *varia* dicta) distribuit, propterea quod alia non nisi nomen Imperatoris aut Regis alicuius proprium, alia autem, praeter nomen, titulos etiam, qui cuique placuerunt, exprimunt. Quoniam vero nobis propositum est, omnium omnino monogrammatum rationem explicare, duo adhuc monogrammatum genera, quorum vnum eorum est, quae neque nomen aliquod, neque titulos, sed verba alia quaecumque continent, alterum eorum, quae praeterea etiam nomen aliquod vel titulum, vel vtrumque exprimunt, bipartitae Baudisii distributioni adiungenda esse duximus; vt itaque omnia monogrammata, si ad ea, quae iis continentur, respexeris, in *nominalia* (Tab. VIII. num 2-11. 26-30. 32-50.), *titularia* (Tab. VIII. num. 1. 12-18. 20-23. 25. 31. 55. 69. 71. 76.), *verbalia* (Tab. VIII. num. 74.),

& *mixta* (Tab. VIII. num. 19. 24. 56. sq. 59. 60. 61. 63. 73. 77.) distribuantur.

(*) BAVDISIVS in praeparatione ad analysin Monogrammatum §. XII.

§. 276.

Monogrammatum in consummata s. plena & manca diuisio.

Nemo est, qui non intelligat, eam monogrammatum rationem esse debere, vt omnia exprimant, quibus exprimendis destinata sunt, hoc est, vt, quae iis continentur, voces a rerum peritis legi atque enodari possint (§. 269.). Sunt tamen monogrammata, in quibus nunc vna alteraque litera, ad legendum necessaria, nunc linea aliqua, copula praesertim literarum fundamentalium desideratur: quod quidem diuisioni monogrammatum in *consummata*, qualia omnia esse deberent, & *manca* locum aperit. Mancorum monogrammatum exempla exhibentur in Tab. VIII. num. 2. 3 39. 40. 43. 46. 49. 50. 64 sq. Patet itaque ex his, omnia monogrammata, quae supra (§. 274.) *interrupta* diximus, in mancorum numero habenda esse. Neque tamen inter manca monogrammata referri volumus ea, quae vel *abbreuiaturas*, vel *siglas*, itemque *notas numerales* habent: nam huius generis compendia in monogrammata etiam, quamquam, vt verum fatear, admodum raro, irrepserunt. Sic in monogrammate Roberti, Regis Galliae (in Tab. VIII. num. 32.) mediam literam B. lineola quaedam transuersa secat, quod quidem abbreuiationis signum lectorem admonet, vt literae deficientes ER, more in diplomatibus ipsis admodum vsitato, supplendae sint. Porro monogramma Xisti III. Pontificis Romani (in Tab. VIII. n. 69.) continet 1) monogramma Christi ☧, 2) siglam X, hoc est, literam initialem nominis Xistus, et 3) duas literas contiguas PA, bis legendas, pro titulo Papa. Denique in monogrammate Richardi II. Principis Capuani (in Tab. VIII. num. 59.) praeter nomen Richardus, expressa cernitur 1) litera F inuersa, hoc est, mea quidem sententia, filius, scil. Iordani, cuius monogramma simul adiunctum est, & 2) nota numeri binarii II. hoc est, secundus.

§. 277.

§. 277.

Monogrammatum diuiſio in magna, media & parua.

BAVDISIVS, V. C. monogrammata ratione moduli, vt in re numaria fieri ſolet, in *magna*, *media* & *parua*, ſiue quod idem eſt, in *monogrammata maximi*, *medii* & *minimi moduli* diſtribuit: quae quidem diuiſio, vt bene (*) Baudiſius obſeruat, non prorſus negligenda eſt, licet frequens variatio rem paene in incerto relinquat. Scilicet ante ſaeculum X. monogrammata, quo ſimpliciora erant, eo minori forma poterant exarari. Saeculo X & XI. creſcere quidem eorum menſura coepit: ita tamen, vt ne ab hoc inde tempore ad perpetuam aliquam regulam quantitatis exigi poſſit, quum vel idem Princeps, vt Fridericus I. Imperator, monogrammatibus maximis minimiſque indiſcriminatim fuerit vſus.

(*) Vid. BAVDISII Praeparatio ad analyſin monogrammatum §. XI & XV.

§. 278.

Monogrammatum in nummaria, vexillaria, parietaria ſ. Rhabaniana, ſphragiſtica, diplomatica, cet. diuiſio.

Monogrammatum veſtigia iam inde a Philippi & filii eius Alexandri M. temporibus in (1) Graecorum numiſmatibus cernuntur. Apud Romanos etiam monogrammata nummis tam conſularibus, quam familiarum antiquiſſimarum illata fuiſſe conſtat. Sic, vt hoc vtar, in (2) nummo aliquo, Ciceronis aetate cuſo, vocabulum Roma monogrammate expreſſum eſt. Pari modo (3) Imperatores Conſtantinopolitani (4) aliique Principes aeui medii monogrammatibus in nummis vſi fuerunt. Sed monogrammata non in nummis tantum, verum etiam, in (5) vexillis, in (6) operibus muſiuis & aulaeis templorum, in (7) ſigillis, ac denique in diplomatibus vſurpata deprehenduntur. Poſſunt itaque monogrammata ratione materiae, in qua exarata ſunt, in *nummaria*, *vexillaria*, (8) *parietaria*, ſ. *Rhabaniana*, *ſphragiſtica*, *diplomatica*, cet. diſpertiri.

(1) ERASMVS FROELICH, vir rei nummariae peritiſſimus, monogrammata, quae in Graecanicis nummis quibuſcumque obſeruauerat, multa cum cura collegit in altera editione Annalium ſuorum compendiariorum Regum & rerum

Syriae, cum quibus conferendi sunt nummi, quos idem vir doctissimus in notitia elementari numismatum antiquorum in aes incidendos curauit. Addantur etiam EZECH. SPANHEMII egregiae dissertationes de vsu & praestantia numismatum antiquorum, aliique libri nummarii.

(2) Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 603. coll. cum tab. aenea 27. num. X. II) 7.

(3) Legatur CAROLI DV FRESNE Historia Byzantina.

(4) Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* Tab. 30 & 61.

(5) Notum in vulgus est *monogramma Christi*, quod Constantinus M. vexillis suis intulit. Atque hoc monogramma, quamquam alio sensu, iam inde a Ptolemaeorum, Aegypti Regum, temporibus, in numis, item in vetustis Romanorum lampadibus aliisque vasis, in collaribus seruorum, ex fuga receptorum, cet. vsurpatum deprehenditur. Vid. IOH. BVRCHARDI MENCKENII Schediasma de hoc monogrammate ad Ioh. Ciampinum, A. 1696. in 4. Addatur DOMINICI GEORGII diss. de monogrammate Christi Domini. Romae 1738. 4. *Auctor translationis S. Sebastiani* Cap. XIX calicis cuiusdam aurei patinam, Caroli M. monogrammate ornatam fuisse, his verbis testatur: "Qui cum ad euangelium est, calicem aureum cum patina, patris „sui magni Caroli monogrammate insignita, manibus propriis, inter legen„dum, ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione sacranda eidem dicauit.„

(6) HRABANVS MAVRVS omnia monogrammata sua ex parietinis & velis templorum repetiit. Vid. etiam NIC. ALEMANNVS de parietinis Lateranensibus restitutis, in Thes. Antiqu. & Histor. Italiae T. VIII. P. IV. in tabulis aeneis, item IOH. CIAMPINI Monumentor. veter. P. I. c. I. p. 12, P. II. c. IX. p. 66. Tab. 39, c. XXIV. Tab. 44 & 47. & c. XXVII. Tab. 52. Conf. BAVDISII praeparat. ad analys. monogr. § XIII. Eiusmodi monogrammata etiam CANGIVS in Glossario mediae & infimae Latinitatis, aeri incisa exhibuit: vnde & nostra exstiterunt, quae in Tab. VIII. num. 66-71. exstant. Sua etiam *pictoribus* monogrammata esse, nemo facile est, qui nesciat. De his pictorum monogrammatibus exposuit b. IOH. FRID. CHRISTIVS in libello, quem inscripsit: *Anzeige und Auslegung der Monogrammatum, verzogenen und einzelnen Anfangsbuchstaben der Namen.* Lips. 1747. 8.

(7) Monogrammata sigillis iam Constantini M. aetate illata fuisse, ex actis Synodi VI. Constantinop. act. 12. p. 138. Tom. III. P I. Concilior. Seuer. BINII patet, vbi de Marii epistolis haec leguntur: Καὶ ἐπεδόθησαν δύο χαρτία ἐσφραγισμένα ἀπο κηρίου ἐκτυποῦσα μονόγραμμον Κωνσταντίνε δεσπότε, ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ προδηλόυμενα κωδίκια, τὴν αὐτὴν σφραγίδα ἔχοντα, h. e. "Et traditae sunt chartulae duae, obsignatae cereo sigillo, quod exprimebat monogrammon Constantini Domini, similiter autem & praenominati Codices, idem sigillum habentes.„ Item in act. 15. p. 111. habentur: Καὶ προεκόμισεν ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος Πολυχρόνιος χαρτίον βεβυλλομένον διὰ βούλλας ἐκτυπούσης μονόγραμμον Πολυχρονίου ὁμολογητοῦ, h. e. "Et protulit idem venerabilis Polychronius chartulam, bullatam bulla exprimente monogrammon Polychronii Confessoris.„ Huc etiam pertinet Symmachi, qui saeculo V. vixit, exemplum. Is scilicet Lib. II. epist. 12. ad Flauianum fratrem haec scripsit: "Cupio cognoscere, an

an omnes obsignatas epistolas sumseris eo annulo, quo nomen meum magis intelligi, quam legi promtum est.„ Conf. *Chronicon Gottwic.* p. 95. sq. Clarius adhuc monogrammatum in sigillis vsus ex iis intelligitur, quae MABILLONIVS L. II. c. XV. § 1. de Auito, Viennensi Episcopo, circ. A. 520. mortuo, hunc in modum scripsit: „Apud Francos Chlodoueus M. in literis „ad Episcopos Gallicanos post bellum Gothicum scriptis pollicetur captiuos, „tum clericos, tum laicos relaxandos, *si vestras*, inquit, *epistolas de anulo vestro „signatas sic ad nos omnimodis dirigatis.* Ex his Episcopis vnus erat Auitus „Viennensis Antistes, qui in epistola LXXVIII. (edit. Sirmondi) ab Apollinari „Valentino Episcopo *signatorium* sibi promissum poscit, eo modo fabricatum, „vt *anulo ferreo & admodum tenui, velut concurrentibus in se delphinulis con-„cludendo, sigilli duplicis forma geminis cardinulis inseratur.* Tum post aliqua „subdit: *Si quaeras, quid insculpendum sigillo: Signum monogrammatis mei per „gyrum scripti nominis legatur indicio.* Erat ergo monogramma (pergit Ma-„billonius) in medio: nomen in circulo descriptum.„ His adiungimus etiam tam bullas plumbeas Caroli Magni, Caroli Calui & Henrici II Sancti Imperatorum, quam sigilla cerea Atenulphi, Principis Beneuentani (ab. an. 901. ad an. 910.), & Paldolfi eiusque filii Iohannis, Principum Capuanorum (ab an 1022. ad an 1026.) quorum quippe parti posticae monogrammata impressa fuisse, ex eorum picturis, in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 112. 165. 190 & 192. exstantibus, patet.

(8) *Picturaria* vocamus, quia in parietibus ad imagines depicta fuerunt: *Hrabanianorum* autem nomen iis tribui potest a RABANO S. HRABANO MAVRO, vid. not. 6. huius §phi.

§. 279.

Monogrammatum diplomaticorum origo.

Omnium monogrammatum antiquissima esse nummaria, ex iis, quae ante (§. 278.) dicta sunt, haud aegre intelligitur: diplomatica autem monogrammata ceteris omnibus recentiora esse, nunc tempus erit, ostendere. Etsi enim illorum sententiae esse nolo, qui monogrammata, diplomatibus adiuncta, ad CAROLVM M. auctorem referunt; quippe quos insigniter falli, a multis iam satis dilucide demonstratum est; quoniam tamen monogrammata diplomatica vltra saeculum V. non ascendunt, quo quidem tempore reliqua monogrammatum genera, vt (§. 278.) ostendimus, iam vsitata fuerant; patet, monogrammata diplomatica ceteris cunctis recentiora esse. Primus vero, quantum ego quidem scio, monogrammate in diplomatibus vsus est THEODERICVS, Ostrogothorum Rex (A. 493-526.), cuius (*) monogramma in aes incidendum curauit IOH. PERINGSKIÖLD in annotat.

ad

ad IOH. COCHLAEI vitam Theoderici p. 581. Nescio, an huc quoque Theoderici aequalem, IVSTINVM I. Imperatorem referam, quem auctores (**) *noui operis diplomatici* scribunt, primum Imperatorum Constantinopolitanorum fuisse, qui monogrammatis vsum in diplomata induxerit. Prouocant scilicet ad PROCOPII Histor. arcan. Cap. V. ex quo quidem intelligitur, Iustinum propter scribendi imperitiam ad exarandas quatuor nominis sui literas IVST tabellam quamdam ligneam (vt nos quoque supra §. 264. obseruauimus) adhibuisse: sed hoc ex Procopii verbis non cognoscitur, literas IVST ad modum monogrammatis fuisse coniunctas. In (***) Meroueadibus etiam fuisse, qui monogrammatibus diplomata sua firmauerint, ex MABILLONII Lib. II. c. X. §. X discimus. *Pauci tamen*, quod idem vir doctissimus addit, *nec alii, vt puto* (fuerunt), *quam qui prae* (aetate, aut) *imperitia nomen suum scribere non valebant. Hos inter censendi sunt* CHLODOVEI DVO, *secundus ac tertius, amborumque matres,* BALTECHILDIS (Nantechildis) *&* CHRODECHILDIS *Reginae.* Sed his etiam CHLOTHARIVS, Chlodouaei II. filius, vt ipse Mabillonius Lib. V. ad tabulam aeneam XVIII. obseruauit, adiungendus est. Reliqui Meroueades, itemque PIPINVS BREVIS, eiusque filius alter, CAROLOMANNVS a monogrammatibus abstinuerunt. Contra ea CAROLVS M. & ipse monogrammate vsus est, & in successoribus suis aliisque hominibus cum in Gallia, tum in Italia & Germania habuit, qui eum hac in re per aliquot saeculorum decursum imitarentur. Vt itaque Carolus M. non primus quidem monogrammatum auctor, is tamen fuerit, a quo *vsus* illorum *perpetuus* ad posteros est propagatus. Eidem Imperatori, (****) *cultiorem* etiam *formam* monogrammatum deberi existimant, quam quidem vtrum ex parietinis & velis basilicarum, per Italiam eo tempore conspicuarum, an aliunde hauserit, in medio relinquimus.

(*) Conf. OELRICHSII, V. C. commentatio de Stampilla diplomatica pag. 9. not. 28.

(**) *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 750.

(***) Meroueadum monogrammata quatuor in *Tab. nostra aenea* VIII. num. 1-4. exstant.

(****) Id non sine ratione probabili statuit BAVDISIVS, V. C. in Praeparat. ad analyt. monogramm. §. XIII. p. 15.

§. 280.

§. 280.

An Carolus M. scribendi fuerit imperitus?

Qui Carolum M. monogrammatum auctorem faciunt, eum hanc nominis scribendi rationem eo sibi consilio delegisse existimant, vt eam, qua laborasset, scribendi imperitiam hoc artificio speciosius occultaret. Sed hos alii explodunt, multo difficilius esse rati, monogramma aliquod exarare, quam scribere nomen per consequentiam literarum: esse deinde etiam testimonia haud contemnenda, e quibus Principem hunc literarum ducendarum facultate praeditum fuisse constaret. Scilicet rem dubiam quodammodo fecit locus EGINHARDI, in vita Caroli M. Cap. XXV. edit. SCHMINCKII p. 118. *Tentabat & scribere, tabulasque & codicillos circumferre solebat, vt, quum vacuum tempus esset, manum effigiandis literis assuefaceret: sed parum successit labor praeposterus & sero inchoatus.* Haec verba mouerunt quosdam, & in his MABILLONIVM etiam, vt Carolum M. scribendarum literarum peritum fuisse negarent, & in hac Principis ignorantia introducti ab eo monogrammatum vsus cauſſam deprehendere sibi viderentur. Alii vero, qui cum aliunde, tum inprimis ex alio Eginhardi loco, Carolo M. scribendi artem vindicari posse credebant, in Eginhardi verbis, quae modo attulimus, vel emendandis, vel aliter interpretandis operam collocarunt. Prouocant nempe, neque id quidem, vt mihi videtur, sine cauſſa probabili, ad EGINHARDI Cap. XXIX. vbi de Carolo M. haec leguntur: *Barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur,* SCRIPSIT *memoriaeque mandauit.* Constare deinde aiunt ex THEGANO, Carolum libros correxisse: OTTFRIDVM porro, monachum Weissenburgensem, testari, Imperatorem studio cryptographico adeo fuisse deditum, vt varia ipse excogitauerit alphabeta, quibus in reconditis rebus vsus fuerit, & quorum duo adhuc exstent: quibus accedere & hoc, quod Carolus, teste LEONE OSTIENSI, literas ligata oratione scriptas ad PAVLLVM WARNEFRIDVM suum miserit: supereſſe denique nunc quoque diplomata, quibus Carolus nomen suum manu propria adscripserit, cuiusmodi illud sit, quod NIC. SCHATENIVS in Hist. Westphal. L. IX. ad an. 802. publicauerit. Quae quoniam ita sint, Eginhardi priorem locum vel emendandum esse, vel ita explicandum, vt Eginhardus neque sibi ipse, neque aliis rerum gestarum monimentis contradicere

videatur. Suadent itaque nonnulli, in Eginhardo pro *effigiandis literis* reſcribendum eſſe *effingendis verſibus*, quae CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI parum probabilis ſententia eſt, vel etiam legendum eſſe *pingendis lineamentis*, id quod BALDELOTIVS (Baudelot) Eginhardo obtrudere conatus eſt. Alii contra, textum Eginhardi non mutandum, ſed commodius dumtaxat interpretandum rati, contendunt, Eginhardum de literis diplomatum longioribus, vel etiam de maiuſculis Codicum literis, vel denique generatim de καλλιγραφίας ſtudio loqui: vt eos taceam, qui, inuito ſane Eginhardo, Carolum in exarandis literis theotiſcis, vel etiam in pingendis aſtrorum imaginibus parum proſpere verſatum eſſe volunt. Media quaſi via incedunt auctores noui operis diplomatici: ita nempe, vt Carolum eo tempore, quo monogrammatum vſum diplomatibus intulerit, ſcribendarum literarum fuiſſe rudem exiſtiment, didiciſſe quidem eas poſtea, noluiſſe tamen ob id monogrammatum vſum, ſemel receptum, abolere.

(*) Vid. BAVDISII praeparat. ad analyſ. monogramm. §. XIII. p. 15. OELRICHS de ſtampilla diplomatica §. III. p. 2. ſq. & §. VIII. p. 8. ſq. item *Nouveau Traité de Diplomatique* T. II. p. 420. ſq. not (2).

§. 281.

De formulis monogrammaticis in tranſcurſu.

Quamquam quae de formulis diplomaticis dicenda ſunt, ad proxime ſequentem ſectionem III. quam *Formulariam* inſcripſimus, pertinent; pauca tamen hoc loco de *monogrammatum formulis* exponenda videntur. Duae nempe ſunt (*) formulae monogrammatum, quarum vna *commemorationis*, altera *indicationis formula* dicitur. Illa in fine contextus diplomatici expreſſa cernitur, lectoremque ad exſpectandum monogramma aliquod, diplomati maioris roboris cauſſa vel propria Principis alteriuſue hominis manu, vel eorum iuſſu a notario adiunctum, quaſi praeparat: haec vero, ad vtrumque monogrammatis latus plerumque exarata, cuius ſit monogramma, diſertis verbis declarat. Vtrumque hoc formularum genus in diplomatibus Imperatorum ac Regum Germaniae, a Carolo M. ad Friderici I. vſque tempora continuatum, poſtero autem tempore, vt ipſa monogrammata, ſaepiſſime neglectum fuit. Harum formularum haec exempla ex quinque prioribus tabulis aeneis, in *Chronico Gotwicenſi* exſtantibus, afferemus:

1) "Et

1) "Et vt haec auctoritas noſtrae largitatis firmiter habeatur atque „per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, *noſtra „propria manu ſubter eam firmauimus* (formula commemora„tionis), atque anuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. *Signum „*(locus monogrammatis) *domni Chuonradi ſereniſſimi regis* (for„mula indicationis).

2) „Et vt huius complacitationis praeceptum firmum ſtabileque per„maneat, *manu noſtra ſubtus illud firmauimus* (form. commemor.) „anulique impreſſione ſigillari iuſſimus. *Signum domni Chuonradi* „(loc. monogr.) *ſereniſſimi regis* (form. indicat.).

3) „Et vt haec auctoritas firmior habeatur & diuturnis temporibus „melius conſeruetur. *Manu noſtra ſubtus eam confirmari decre„uimus* (form. commemor.) anulique noſtri impreſſione con„ſignari iuſſimus. *Signum domni Chuonradi* (loc. monogr.) *piiſ„ſimi regis* (form. indicat.).

4) „Et vt haec auctoritas — firmiter habeatur — *noſtra propria „manu ſubter eam firmauimus* (form. commemor.) & anuli noſtri „impreſſione ſignari iuſſimus. *Signum domni Heinrici* (loc. „monogr.) *ſereniſſimi regis* (form. indicat.).

5) „Et vt hoc noſtrae conceſſionis praeceptum — ratum perſeue„ret, *manu noſtra illud aſſignantes firmauimus* (form. commemor.) „& anuli noſtri impreſſione notari praecipimus. *Signum domni „*(loc. monogr.) *Heinrici ſereniſſimi regis* (form. indicat.).

Harum formularum vſus in Galliae quoque Regum diplomatibus vſque ad Philippi Auguſti tempora, hoc eſt, ſaeculum XII. durauit: quamquam alterutra interdum omiſſa fuit. In aliorum Principum hominumque chartis formula commemorationis plerumque abeſt. Vide diplomata, a MABILLONIO, MVRATORIO aliiſque publicata.

(*) Conf. BAVDISII Praepar. ad analyſ. monogramm. §. XXV. p. 34. ſqq.

§. 282.

Monogrammata ſubſcriptionum ac ſolemnium loco habita.

Monogrammata *ſubſcriptionum* loco habita olim fuiſſe, nemo facile in dubium vocauerit, qui qualia ſint illa, haud ignoret. Auſim etiam

affirmare, ea per aliquot saeculorum decursum inter *praecipua* diplomatum *sollemnia*, in quibus summam eorum, quae diplomatibus continentur, vim, auctoritatem ac fidem inesse supra (§. 5.) dictum est, fuisse numerata. Ipsi enim Principes reliquique omnino homines, qui monogrammatibus vsi sunt, in extrema diplomatum suorum parte publice profitentur, velle se, vt a monogrammatibus sigillisque omne diplomatum robur atque fides obligatioque omnis repetatur. Atque id quoque hac in re dignum est, quod commemoretur, monogrammata semper sigillis praeponi; vt itaque pateat, maiorem illis, quam his, obligandi vim tributam esse. Nolumus hic formularum exempla, ex quibus hoc, quod diximus, intelligi atque comprobari possit, cumulare: propterea quod ea iam, quae ante (§. 281.) allata sunt, rem extra omnem dubitationis aleam ponunt, & omnes diplomatum codices iis referti sunt.

§. 283.

Caussae introductorum monogrammatum.

Si, quibus caussis commoti fuerint homines, vt monogrammatibus vti, quam per literarum consequentiam scribere mallent, quaeratur; monogrammata diplomatica a nummariis, parietariis, sphragisticis reliquisque seiungenda esse existimamus. Quae enim in nummis, parietinis, sigillis, vasis, cet. occurrunt monogrammata, eorum adhibendorum praecipua caussa sine dubio angustia spatii fuit; in diplomatibus vero monogrammata partim ad supplendam subscriptionem literalem, quam quidam ignorauerant, alii vero vel negotiorum multitudine alioue necessitatis genere, vel pigritia etiam, fastu, consuetudine inducti, neglexerant (conf. supra §. 263.): partim ad augenda diplomatum sollemnia, vt ante (§. 282.) diximus, adhibita fuerunt.

§. 284.

Triplex monogrammata exarandi modus.

Vt omnes omnino subscriptiones, ita inprimis monogrammata, quae illarum speciem fuisse paullo ante (§. 282.) monuimus, triplici modo exarata sunt: vel *calamo* s. *penna*, vel *stampilla*, vel denique *lamina interrasili* (§. 264.). Coecus sit oportet, qui, si multa diplomata

mata autographa in manibus habuerit, non tamen viderit, esse quidem monogrammata, quae calamo s. penna scripta sint, sed esse etiam alia, quae manum artificio quodam, stampilla scilicet, vel lamina interrasili, adiutam prodant. Etsi vero atramenti diuersitas, ductuum ratio, ceteraque eiusmodi, & plura alia, quo modo exaratum sit aliquod monogramma, saepe indicant; facile tamen inducor, vt credam, quod mihi haud raro euenit, id aliis quoque euenire posse, vt nullis scilicet interdum indiciis certis exarationis modum deprehendere queant. Sed cauendum quoque est, ne, si quod monogramma calamo s. penna scriptum esse constat, inde statim concludas, illud ab eo ipso, a quo diploma datum est, fuisse exaratum: potuit enim monogramma a notario seu cancellario scribi, immo semper fere a notario scriptum fuisse, mox videbimus. Falsa itaque sunt, quae apud MVRATORIVM in Antiquit. Ital. medii aeui T. III. p. 117. de monogrammatibus manu exaratis hunc in modum leguntur: "Scilicet inter Monogrammata „Augustorum et Regum, quae in Diplomatis a tempore Caroli M. per „aliquot saecula visuntur (alioqui longe antiquior est monogrammatum „vsus), erantque olim eis loco subscriptionis, quum reuera illorum „nomen sub compendio contineant, *multa inspexi reuera calamo, hoc „est, manu eorumdem Principum exarata*; sed nonnulla interdum occurrerunt mihi delineata characteribus tanta elegantia ac linearum ductu „adeo delicato ac vniformi impressis, vt facta mihi suspicio fuerit, non „calamo, sed stabili aliqua tabella fuisse Monogrammata illa efformata.„ Quae postremo loco timidius pronuntiauit Muratorius, ea extra omnem dubitationis aleam posita esse, nemo hodie, rei diplomaticae peritus, negauerit.

§. 285.

An viri principes aliique homines monogrammata manu sua exarauerint?

Si de *monogrammatum scriptione* quaeritur, *viros principes* ab *aliis hominibus* probe distinguendos esse puto. Illi scilicet, quantum ego quidem existimo, numquam monogrammata sua ipsi scripserunt; hos vero id, non semper quidem, at interdum tamen fecisse, nihil impedit, quo minus credam. Vt igitur viros principes a monogrammatum

scriptione abstinuisse clarum fiat, prouoco primum ad (*) *auctorem illum* ἀνόνυμον *syntagmatis dictandi*, qui saeculo XI. seu XII. vixit. Is dum de scribendis Pontificum Romanorum priuilegiis praecipiebat, inter alia de monogrammatibus pontificalibus haec attulit: "Habent autem „priuilegia (Paparum) — & monogramma in fine huiusmodi B - E, „quod est Bene valete — Consueuerunt praeterea in extremo margine „priuilegii quosdam insignire orbiculos, Antistitis nomen, & pauca quae- „libet diuina verba continentes in hunc modum.„ De monogrammatibus vero, priuilegiis Regum adiungendis, haec habet: "Post haec „quod Imperator propria manu subscripserit, & proprio signari sigillo „iusserit, erit adiiciendum. Post completum praeceptum, monogramma „est ponendum, in quo nomen Imperatoris Augusti Dei gratia habeatur „connexum, vel alia quaelibet quae Imperatorem condeceat. Ex „vtraque autem monogrammatis parte longioribus & aequalibus literis „scriptum erit signum domini illius Imperatoris sereniſſimi vel Augusti, „vel aliud quodlibet huiusmodi.„ Quum praecepta haec de monogrammatum scriptione tironibus praxeos, quam dicunt, iuridicae, non vero Principibus, data fuisse, clarum sit; patet quoque, non Principes, sed notarios s. secretarios, monogrammata scripsisse. Ne quis vero auctorem ἀνόνυμον de moribus tantum, aeuo suo vsitatis, loqui existimet; alia afferenda sunt, quae vera a nobis dici, demonstrent. Vt itaque monogrammata non ab ipsis Imperatoribus, Regibus, Pontificibus Romanis ceterisque Principibus scripta esse intelligas; finge tibi Principem aliquem nostra aetate, vel Comitem etiam Imperii, sed eum tibi finge, qui, contra morem hominum, in excelso vitam degentium, ipse clavum regiminis teneat. Isne si vel laboriosissimus est, ad monogrammata scribenda, vel pingenda potius, sat temporis habebit? Qui quantum operae temporisque in monogrammatibus exarandis consumendum sit, ignorant, eos, vt ipsi eorum vnum alterumque scribant, rogamus; & facile animaduertent, fieri prorsus non potuisse, vt Caroli, Ottones, Henrici, Friderici olim efficerent, quod hodie ne ab exiguae quidem modicaeque terrae alicuius domino exspectari potest. Si qui vero tam pertinaci animo futuri sint, vt ne his quidem rationibus moueantur; eos admonemus, vt, quo consilio monogrammatum vsus diplomatibus illatus sit, meminerint. Monogrammatum scilicet is fructus fuit, vt, qui scribere reuera non poterant, scribere posse viderentur: qui vero nolebant, commodiorem aliquam facilioremque scribendi

bendi rationem inuenirent (§. 283.). Iam si quis tam durus est, vt ipsis Principibus monogrammatum scribendorum onus imponat: nonne eum credere oportet, Principes illos, qui commoditati studebant, difficiliora praeruliſſe facilioribus, hos vero, qui ne vulgares quidem literas scribere poterant, artificiosis monogrammatum ductibus pingendis fuisse pares? Vno verbo, obligantur sic Principes ad ea facienda, quae fieri non possunt. Sed quaero etiam ab aduersae sententiae patronis, qualis subscribendi per consequentiam literarum ratio fuerit, postquam monogrammatum vsus Maximiliano I. imperante cessauit? Errant nempe, qui Principes ex hoc tempore, quo monogrammata desierunt, sua ipsorum manu diplomatibus semper subscripsisse existiment: rarissime enim hoc ab illis & olim factum esse, & nostra etiam aetate in Germania, Gallia, Hispania, Lusitania fieri, (**) certissimis exemplis docemur. Quum itaque nunc quoque subscriptiones literales vel stampillae, vel laminae interrasilis ope fieri soleant, quid mirum est, monogrammata olim eodem modo fuisse exarata? Neque inde, quod Principes in epilogo profiterentur, diplomata se *manu propria* firmasse, recte concludunt, ab ipsis Principibus monogrammata fuisse scripta. Idem enim esse, *manu propria firmare*, quod *monogrammate firmare*, iam supra (§. 270.), eo scilicet loco, vbi de verbi monogramma *synonymis* exposuimus, obseruatum est. Profitebantur itaque Principes, & id quidem iure optimo, se monogrammate firmasse diploma aliquod, at non dicebant, monogramma ipsum manu sua scriptum fuisse. Vnum adhuc, quod nobis obiici posset, restare videtur: debilitari nempe ipsorum diplomatum fidem atque auctoritatem, si monogrammatum talis, qualem descripsimus, ratio fuerit. Sed his, quos huius sententiae esse non poenitet, regerendum est, fuisse regna, in quibus monogrammatum vsus vel semper, vel certis quibusdam temporibus negligebatur. Illud in Britannia, hoc in Germania, Gallia, Hispania cet. accidisse, infra, quando de harum terrarum monogrammatibus exponendi locus erit, dicemus.

(*) Vid. supra §. 25.

(**) Exempla permulta attulit OELRICHS in Comment. de stampilla diplomatica p. 12. sqq.

§. 286.

§. 286.

Vestigia manus propriae in monogrammatibus conspicua.

Etsi vero Principes numquam, ceteri vero homines, quorum diplomata habemus, rarius in monogrammatibus propria manu exarandis elaborarunt; possunt tamen, praesertim (1) ante saeculum XI. quaedam quasi *vestigia manus propriae in monogrammatibus* cum aliorum hominum, tum Principum inprimis, facili negotio obseruari, de quibus manus propriae notis pauca nunc dicenda videntur. Sunt autem tria potissimum horum vestigiorum genera. Ad primum genus ea refero monogrammata, quibus *ductus quidam* manu Principum ceterorumque diplomatum auctorum inscriptus cernitur: cuiusmodi sunt monogrammata, quae supra (§. 273.) *cruciformia rhombata* diximus, illorum enim rhombo inest ductus quidam (Tab. VIII. num. 5. 25 - 29. 33. 40. sq.), quem (2) MIBILLONIVS pro litera *y* vel *v* habet, ego vero literam *s*, negligentius formatam, tamquam siglam verbi *subscripsi* indicare suspicor. Ne quis vero existimare possit, ductum hunc ad formandam literam A adhibitum esse, nihilque praeterea significare, partim ea monogrammata prohibent, in quibus nullum A necessarium est, qualia sunt monogrammata Odonis, Rodulphi, Ludouici Transmarini, Roberti, Philippi I. Galliae Regum (Tab. VIII. num. 25. 26. 27. 33. 40. sq.); partim ea etiam, in quibus ductus hic omissus cernitur, quia scilicet eiusmodi monogrammata a Principibus non recognita fuerunt, cuius generis est monogramma aliquod Caroli Calui, item Caroli simplicis (Tab. VIII. num. 9.). Obstare quidem nostrae sententiae videntur (3) monogrammata quaedam sphragistica, quorum rhombo etiam ductus ille, de quo quaeritur, inest, sed haec monogrammata eo consilio in bullis ad modum monogrammatum a Principe recognitorum efficta esse puto, vt ipsam monogrammatum recognitorum vim atque auctoritatem haberent. Quemadmodum vero diplomata reperiuntur, quorum subscriptio non nisi in *puncto* aliquo consistit, quaeque ob id apposite ad rem *Chartae per punctum confirmatae* a (4) CANGIO appellantur, cuiusmodi est charta illa Abbatiae S. Victoris Massilienſis, hunc in modum subsignata: "Ego Willelmus, filius Willelmi de Dropo, „qui seipsum dat Deo & S. Victori, *per punctum confirmo*"; ita monogrammata etiam sunt, quibus punctum aliquod, vel aliud interpunctionum genus tamquam vestigium manus propriae, inscriptum est. Exemplo

esse

esse potest monogramma cruciforme rhombatum Hugonis, Galliae Regis (in Tab. VIII. num. 30. Adde etiam num. 35. 37. 40. 74.). Sed in manus propriae vestigiis, ductu quodam indicatis, numerandae etiam *lineae transuersae* sunt, quarum vsum in monogrammatibus, praesertim in literalibus quadriformibus, item in literalibus copulatis (§. 274.) non semel obseruauimus. Est in manibus nostris diploma autographum Henrici III. Romanorum Regis, A. 1046. datum, in cuius monogrammate litera H fundamentalis, eiusmodi lineam transuersam habet, ipsius Regis manu ductam: id quod aliorum quoque virorum doctorum, qui idem iam obseruarunt, auctoritate, si opus esset, confirmare possem; sed sufficiat in praesenti solum WILTHEMII, annalium San-Maximinianorum auctoris nondum publicati, testimonium, de quo haec apud (5) PAPEBROCHIVM habentur: "Circa mensuram qualitatemque „eorum (regalium monogrammatum) quidpiam scitu dignum obseruauit „Wilthemius, cum San-Maximinianensis archiui diplomata autographa „curioso examine denuo scrutaretur, videlicet alia esse quae *propria* „*manu* Rex ipse vel Imperator firmasse se scribit, alia quibus nulla addi„tur propriae manus mentio: & huius posterioris generis omnia habere „monogramma grande, aequabile atque elegans satis, vtpote a Notariis „ipsis formatum: prioris autem generis vidisse se in praedicto archiuo „diplomata minimum viginti solorum Otthonum vel Henricorum, in „iisque magnam notasse monogrammatum diuersitatem. Nam aliqua „quidem, tota picta ab Imperatoria vel Regia manu (falsum hoc esse, „ex iis, quae supra §. 285. diximus, patet), exilia ac rudia esse plera„que & inaequali ac vacillanti ductuum tractu; quale etiam sculpi „debuit Hlotharii Imperatoris monogramma, quod chalcographus prae„ter fidem originalis perfectissimum fecit in specimine supra posito: „alia grandiora, satisque vniformia, *praeterquam in vnica transuersa* „*linea, quae vel exilior multo est aliis, vel minus recta, & quandoque* „*vltra procurrit quam opus sit: semper autem notabilis est varietate* „*stili & atramenti, istam vero lineam solam esse a propria firmantis* „*manu, reliquos ductus non ita.* Denique significauit, inueniri aliqua „Henrici Regis IV. Imperatoris III. tamquam propria eius manu fir„mata, cum monogrammate grandi, aequabili & eleganti; sed quod „clare apparet, typo impressum esse, non calamo ductum: & huiusmodi „est id, quod supra in specimine vltimo cernitur. Talis autem typus „videtur apud posteros fuisse frequentior, a quibus similis vsus ad publi-

„cos Notarios transiit, & a quamplurimis seruatur etiam hodie, cum „magno temporis & vniformitatis seruandae compendio„. Huic Wilthemii testimonio, nostraeque adeo sententiae hinc etiam haud leue pondus accedit, quod ipsi Principes interdum ad ductum illum obliquum s. transuersum, de quo loquimur, in formulis monogrammaticis quasi prouocant. Legitur, vt hoc vtar, in diplomate Ottonis II. Imp. haec formula: (6) *Hanc chartam, connexis etiam nominis nostri literis*, subtus quodam charactere per obliquum ducto, *more nostro firmauimus*. Quibus verbis quid clarius, & ad monogramma ipsum a vestigiis manus propriae, ei impressis, distinguendum aptius esse potest? Nescio, an huc quoque referam, quae in (7) *actis Murensibus* diplomati cuidam Henrici V. Imp. A. 1114. dato, hunc in modum subiecta leguntur: *Istas tres virgulas iacentes firmauit ipse Rex in priuilegio ad indicium firmitatis:* figuras certe, quae diplomati huic, praeter monogramma, itemque (8) alii diplomati eiusdem Imperatoris, adiunctae sunt, altiore indagine dignas esse existimo. Vnum adhuc, antequam ab hoc loco discedamus, addendum videtur, esse scilicet diplomata, in quibus duo pluraue manus propriae vestigia apparent, quorsum referendum est (9) diploma Philippi I. Galliae Regis, in quo non solum monogrammatis rhombus consuetam manus propriae notam habet, sed subiectum etiam monogrammati signum crucis itidem manu Regis ipsius, vt MABILLONIVS obseruat, exaratum cernitur. Addatur etiam, si placet, Tab. nostra VIII. num. 40. Sed pergendum nunc ad alterum vestigiorum propriae manus genus, quod in *appositione monogrammatum*, ipsa Principum aliorumue hominum, a quibus diplomata data sunt, manu, *vel ope stampillae, vel laminae interrasilis facta*, ponimus. Quemadmodum scilicet (10) nostra aetate in Gallia factum esse nouimus, vt ipse Rex sigilli, diplomatibus aliisque scriptorum generibus imprimendi laborem in se susciperet; ita olim quoque Imperatores, Reges ceterique altioris dignitatis homines, si vel tempus suppeteret, vel rei ipsius dignitas ceteraque eiusmodi id postulare viderentur, ipsa monogrammata, non scripserunt quidem calamo nudo, manu propria tamen, artificioso scilicet instrumento quodam adiuti, diplomatibus adiunxerunt. Ad postremum genus vestigiorum manus propriae explicandum (11) MABILLONII verba, quamquam alio consilio ab eo scripta, haud incommode transferri possunt. "Qui propria manu, „inquit, non subscribebant, neque apponebant signum crucis; *chartam*

„*manu*

„*manu tangebant*, vt subscriptionem nominis sui, a Notario factam, „ratam haberent. Sic Theobaldus Comes anno MLXXXIII. instru„mentum de seruis sancti Martini ab se factum signo crucis roborat, vti „& Adelais eius vxor: tum aliis tangendam chartam tradit. Verba „eius adscribo. *Chartam hanc sigillo auctoritatis nostrae impresso, cruce „autem facta manu nostra roborauimus, & fidelium nostrorum manibus „tangendo corroborandam dedimus.* Gaufridi Aquitanorum Ducis charta „apud Beslium: *Praesentibus istis subscriptis, ac sibi inuicem pellem „porrigentibus.* In regiis literis sub tertia stirpe regni Primores *erecta „manu* eas ratihabebant, vti apparet ex chartario sancti Martini a Cam„pis, in quo pingitur Rex Henricus priuilegium concedens in curia „Principum, id est, Episcoporum & Magnatum, qui Magnates assident „post Episcopos, coronasque in fronte gerunt, *erecta quisque sinistra „manu* in signum confirmationis. In his vero casibus, vbi nulla idio„grapha signa apposita sunt, signi vicem valoremque obtinent sigilla, „vt Iurisperiti docent".

(1) Data opera *saeculum XI.* nominaui, propterea quod eo ineunte subscriptiones propriae (§. 261.) in desuetudinem abire coeperunt, ita quidem, vt, etsi subscriptionum subinde mentio fiebat, diplomata tamen a capite, vt aiunt, vsque ad calcem a notariis s. secretariis scripta & subscripta fuerint. Vid. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 642 sq. item p. 744.

(2) MABILLON. Lib. II. c. X. §. 13. item c. XXI. §. 5. Legantur etiam, quae BAVDISIVS contra MABILLONII opinionem in Praepar. ad Analys. monogrammat. p. 28 sqq. dixit.

(3) Vide exempla eiusmodi monogrammatum sphragisticorum in *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 112.

(4) CANGIVS in Glossario lat. T. II. p. m. 552. Addatur etiam *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 759. item T. III. p. 474.

(5) PAPEBROCH. in propylaeo antiquario, in *Baringii* Claue diplomat. p 273.

(6) Diploma hoc exstat in RECMANNI *Anhalt. Geschichte*, P. III. p. 429. Add. ECCARDI Hist. genealog. primor. Marchionum Oriental. in probat. num. 18. p 144 sqq.

(7) Vid. ECCARDI origin. Habsburgo-Austriac. p. 212. sqq. vbi diploma hoc ex actis Murensibus descriptum exhibetur.

(8) Exstat diploma hoc in libello eristico, qui inscriptus est: *In iure & facto gegründete Gegen-Deduction, in Sachen Schwartzburg-Arnstadt contra Sachsen-Weimar*, (1716. fol.) p. 3-6. in mantissa.

(9) Diploma hoc exhibetur a MABILLONIO in Tab. aenea 40.

(10) Eleganter hic actus regius delineatus cernitur in *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 1.

(11) MABILLONIVS Lib. II. c. XXII. §. 14. Adde etiam *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 642. sq.

§. 287.

Formularum commemorationis in duas classes distributio.

Ex his, quae §. praecedenti de tribus vestigiorum manus propriae generibus exposita sunt, ipsae formulae monogrammaticae, quas supra (§. 281.) *formulas commemorationis* appellauimus, tantum lucis accipiunt, quamtum illis reddunt. Possunt autem formulae commemorationis ad duas potissimum classes referri. Sub vna comprehenduntur formulae, quibus Principes *declarant*, *se diplomata manu propria* FIRMASSE, ROBORASSE, cet. hoc est, se ipsos manus suae vestigia monogrammatibus adiunxisse, ideoque non scripsisse quidem monogramma totum sua ipsorum manu nudoque calamo, at fecisse tamen, vt diploma aliquod manu sua propria firmatum dici posset, propterea quod nunc monogrammati, notarii manu scripto, ductum quemdam adscripserint: nunc monogramma totum vel ope stampillae impresserint diplomati, vel adhibita etiam lamina interrasili exarauerint. Altera vero classe continentur formulae, quibus Principes *innuunt*, *se diplomata manu propria roborari vel firmari* IVSSISSE, PRAECEPISSE, cet. hoc est, iussisse se, vt monogrammata a notariis s. cancellariis scriberentur; quod quidem hi vel calamo, vel stampilla, vel lamina interrasili effecerunt. Liceat nobis quaedam vtriusque classis formularum exempla huc transscribere.

I) Prioris classis formularum haec ponemus exempla:

Chlodoueus Iunior, Francorum Rex: *Quam viro autoretate decriuemus Christum in omnebus subfragantem vt firmior habeatur, & per tempora conseruitur, subscriptionebus manus nostrae infra roborare.* MABILLON in Tab. 17.

Carolus M. *Manus nostrae subscriptionibus subter eam decreuimus roborare, & de anulo nostro subter siggillare.* MABILLON in Tab. 23. dipl. III. item: *Nostrae manus signaculis firmauimus.* CALMET in Hist. Loth. T. I. in probat. p. 296.

Ludouicus I. Pius: *Manu propria subter firmauimus & anuli nostri impressione signari iussimus.* MABILLON in Tab. 26. dipl. I & II. item: *Manu propria adscripsimus & anuli nostri impressione adsignari iussimus.* FALCK. in Tradit. Corbeiens. p. 356. sq. Porro: *Cuius traditionis*

ditionis chartam, nominis noſtri conſcripti charactere confirmauimus. BROWER. in Antiqu. Fuldenſ. L. II. c. 13. p. 157.

Pipinus, Aquitaniae Rex: *Manu propria ſ....* (ſubter) *firmauimus & anuli noſtri impreſſione ſubter eam iuſſimus ſignari.* MABILLON Tab. 29. dipl. I.

Ludouicus Germanicus: *Manu propria noſtra ſubter eam firmauimus & anuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus & dilecto filio noſtro Karolo eam firmare praecepimus.* MABILL. Tab. 29. dipl. II. item: *Manus noſtrae ſignaculis ſubter eam decreuimus corroborare.* SCHATEN. Annal. Paderb. T. I. p. 133.

Lotharius I. Imp. *Manu propria ſubter eam firmauimus anulique noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.* MABILL. Tab. 30.

Ludouicus II. Imp. *More noſtro ſubter eam confirmauimus.* MARGARIN. in Bull. Caſinenſ. Conſt. 38.

Carolus Calvus: *Manu propria ſubter eam firmauimus & anuli noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.* MABILL. Tab. 31. dipl. I. & II.

Ludouicus III. Germaniae Rex: *Manu propria ſubter eam firmauimus & anulo noſtro ſigillare iuſſimus.* SCHANNAT. in Vindicis, Tab. 6. dipl. I.

Ludouicus Balbus: *Manu propria ſubter eam firmauimus & anuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.* MABILL. Tab. 33. dipl. I. item: *Manus noſtrae conſcriptione ſubter eam firmauimus & de bulla noſtra aſſignari iuſſimus.* MABILLON. Lib. VI. num. 111.

Carolomannus, Galliae Rex: *Manu propria ſubter firmauimus, & anulo noſtro inſigniri iuſſimus.* MABILL. Lib. VI. num. 112.

Carolus Craſſus: *Manu propria ſubter firmauimus & anuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.* FALCK. Tradit. Corbeienſ. p. 537.

Arnolfus: *Manu propria roborata anuli noſtri impreſſione ſignari precepimus.* FALCK. l. c. p. 293. item: *Manu noſtra eam firmauimus anuloque noſtro ſignari iuſſimus.* ibid. p. 482.

Odo, Galliae Rex: *Manu propria eam ſubter firmauimus & anuli noſtri impreſſione ſigillari iuſſimus.* MABILL. Tab. 34. dipl. II.

Zuenteboldus, Auſtraſiae Rex: *Manu propria firmauimus anulique noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.* MABILL. Tab. 35.

Ludouicus IV. Infans, Germaniae Rex: *Manu propria subter firmauimus & anuli nostri impressione signari iussimus.* FALCK. Tradit. Corbei. p. 513.

Conradus I. Germ. Rex: *Vt idem scriptum nominis nostri signo, cum manus nostrae scriptione firmaremus.* HEDA in Hist. Episcopor. Vltraiect. p. 72. Porro: *Manu propria subtus eam notando corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus consignari.* HERRGOTT. in Geneal. Habsburg. Vol. II. p. 67. Item: *Nostra propria manu subter eam firmauimus atque anuli nostri impressione signari iussimus.* Chron. Gottwic. ad p. 88.

Henricus I. Auceps: *Nostra propria manu subter eam firmauimus & anuli nostri impressione signari iussimus.* Chron. Gottwic. ad p. 139. Item: *Manu nostra illud assignantes firmauimus & anuli nostri impressione notari praecipimus.* Chron. Gottwic. ad p. 140.

Rodulfus, Galliae Rex: *Manu nostra eam subter firmauimus & de anulo nostro sigillari iussimus.* MABILL. Tab. 36. dipl. I.

Ludouicus Transmarinus, Galliae Rex: *Propria manu nostra subtus confirmantes, anulo regiae dignitatis nostrae mandauimus insigniri.* MABILL. Lib. VI. num. 135.

Otto I. Magnus: *Manu nostra firmauimus & anulo nostro insigniri iussimus.* Chron. Gottwic. ad p. 164. Item: *Propriae manus signaculo hoc pactum confirmationis nostrae roborauimus.* GOLDAST. in Constit. Imper. T. II. p. 45. Porro: *Manus nostrae inscriptione illud subtus firmauimus, & anuli nostri impressione corroborari praecepimus.* LEVBER in disquis. stapul. Saxon. num. 1184.

Conradus, Burgundiae Rex: *Manu nostra confirmando subscripsimus, & de sigillo nostro subtus sigillare mandauimus.* HERRGOTT. in Geneal. Habsburg. Vol. II. p. 77. sq.

Otto II. Imp. *Praeceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria vt infra videtur corroborauimus.* Chron. Gottwic. ad p. 193. Item: *Hanc cartam, connexis etiam nominis nostri literis, subtus quodam charactere per obliquum ducto, more nostro firmauimus.* BECMANN. in Hist. Anhalt. P. III. p. 429.

Hugo Capetus, Galliae Rex: *Manu propria illud subter firmauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.* MABILL. Lib. VI. num. 142. sq.

Otto

Otto III. Imp. *Annulique nostri impressione signatum* (praeceptum) *manu propria subtus firmauimus.* Chron. Gottwic. ad p. 209. Item: *Hanc cartam manu nostra propria, vt infra videtur, secundum consuetudinem Regum vel Imperatorum firmauimus.* GEWOLD. ad HVNDII metrop. Salisb. T. I. p. 138. sq. Porro: *Hanc chartam inde conscriptam, nostraque manu non solum literatam, sed etiam corroboratam sigillo proprio iussimus, vt cernitis, insigniri.* SCHATEN. in Annal. Paderborn. L. IV. ad an. 1001.

Robertus, Rex Galliae: *Manu propria subtus confirmauimus, & anuli nostri impressione insigniri iussimus.* MABILLON Lib. VI. num. 147.

Henricus II. Imp. *Hanc cartam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.* Chron. Gottwic. ad p. 228. Item: *Manus propriae, vt infra videtur notam addidimus.* SCHATEN. in Annal. Paderb. T. I. L. V. p. 392. Porro: *Nominis nostri figuram propria manu signantes inferius.* MARGARIN. in Bull. Casinens. T. II. Const. 78.

Henricus I. Galliae Rex: *Quod Rex propria manu firmauit, atque sigillo regiae auctoritatis consignari fecit.* MABILLON Lib. VI. num. 155.

Conradus II. Imp. *Manu propria roborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.* SCHANNAT. in Vindiciis Tab. XI. dipl. I. Porro cum filio suo: *Vterque in sui nominis signo manu propria subtus corroborauimus.* GEWOLD. ad HVNDII Metrop. Salisb. T. I. p. 145. Item: *Vterque in suo monogrammate manu propria subtus roborauimus.* GEWOLD. l. c. p. 146.

Henricus III. Imp. *Manu propria subter eam firmauimus sigilloque nostro insigniri iussimus.* SCHANNAT. in Vindic. Tab. XI. dipl. II.

Henricus IV. Imp. *Sigilli nostri impressione manu nostra corroboratam iussimus insigniri.* Chron. Gottwic. ad p. 279. Item: *Manus nostrae signo firmauimus.* CALMET. in Hist. Lothar. in prob. p. 494. Porro: *Addidimus etiam, sicut mos est, nostrae auctoritatis scriptum.* LINDENBROG. scriptor. rer. septentr. p. 144.

Philippus I. Galliae Rex: *Ego Philippus puer Rex Francorum — manu propria firmaui, & sigilli regii impressione firmare iussi, & signa-*

tum

tum manibus multorum praesentium Regi Francorum fidelium corroborandam tradi praecepi. MABILL. Lib. VI. num. 157. Item: *Nostra manu subter appositio signo roborauimus atque fidelibus nostris presentibus roborandum tradidimus nostreque imaginis sigillo insuper assignari iussimus.* MABILL. in Tab. 40.

Henricus V. Imp. *Propriae manus subscriptione confirmauimus, sigillique nostri impressione insigniri iussimus.* HARTMANN. in Annal. Einsidelens. p. 178. Item: *Quam* (cartam) *vt infra videtur, manu nostra confirmatam, & sigilli nostri impressione omnis generationis tam futurae quam praesentis notitiae relinquimus.* HVND. in Metrop. Salisb. T. II. p. 550.

Alphonsus IX. Hispaniae Rex: *Hanc cartam --- propria manu mea confirmo atque roboro & signum proprium impono.* MABILLON Tab. 45.

Ludouicus Grossus, Galliae Rex: *Sigilli nostri auctoritate & nominis nostri Karactere subter firmauimus.* MABILL. Lib. VI. num. 176. Adde *Nouveau Traité de Diplomatique* in Tab. 75. dipl. II.

Lotharius II. Imp. *Chirographo & sigillo nostro stabiliuimus.* LEVCKFELD. in Antiqu. Walckenrid. p. 355. Item: *Hoc praeceptum & propria manu signauimus & aurea bulla insigniri fecimus.* LVNIG. Spicileg. eccles. T. III. p. 791. sq. Porro: *Manu propria more Augustorum, praedecessorum nostrorum, firmauimus.* CALMET. in Hist. Lothar. T. II. in probat. p. 309.

Conradus III. Rex Rom. *Praesentemque paginam propriae subscriptione manus roboratam sigilli nostri impressione insigniri iussimus.* HARTMANN. in Annal. Einsidelens. p. 205. Item: *Subscripto signi nostri charactere,* cet. LEVCKFELD. in Antiqu. Ringelh. p. 199.

Fridericus I. Imp. *Praesentem paginam impressione Imperialis signi decorauimus, & sigilli nostri inscriptione corroborauimus.* LEVCKFELD. in Appendic. IV. ad Antiqu. Poeldens. num. 12. p. 284. sq. Item: *Manibus propriis corroborantes aurea bulla nostrae maiestatis communiri praecepimus.* MARGARIN. Bull. Cassin. T. II. p. 172. sq.

Philippus Augustus, Rex Galliae: *Praesentem cartam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis Karactere inferius annotato communimus.* MABILL. Lib. VI. num. 185.

Henri-

Henricus VI. Imp. *Hanc inde cartam scribi iussimus, & nostro sigillo aureo communiri, manuque propria corroborantes idoneos testes subnotari fecimus.* MIRAEVS Donation. Belgic. L. II. p. 483. sq.

II) Posterioris classis formularum exempla haec afferenda duximus:

Ludouicus I. Pius: *Eam chartam nominis nostri charactere muniri iussimus.* D'ACHERY in Spicilegio, T. VIII. p. 140. edit. vet.

Lotharius I. Imp. *More nostro eam subterscribere iussimus.* D'ACHERY l. c. p. 1284.

Carolus II. Calvus: *Manu propria nostra & anuli nostri impressione eam adsignari iussimus.* MABILL. Lib. VI. num. 84.

Conradus I. Germ. Rex: *Manu nostra subtus eam confirmari decreuimus, annulique nostri impressione consignari iussimus.* Chronicon Gottwic. ad p. 106.

Carolus Simplex, Galliae Rex: *Manu propria subtus firmari, & nostro praecipimus anulo insigniri.* MABILL. L. VI. n. 125.

Otto I. Magnus: *Manu nostra subtus firmari curauimus & anuli nostri impressione sigillari iussimus.* Chron. Gottwic. ad p. 159. Item: *Manus nostrae signo & anuli nostri impressione roborari iussimus.* MABILL. in Saeculo V. Benedictin. p. 278.

Henricus II. Imp. *Hoc praeceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione & nominis nostri scripto charactere in fine praecepimus insigniri.* ECCARD. in probat. Hist. Genealog. Marchion. Misnens. num. 12. p. 262. Item: *Propriae manus cautione & sigilli nostri impressione ratam ducentes signari iussimus.* LEVCKFELD. in addit. ad Antiqu. Halberst. p. 678.

Philippus I. Galliae Rex: *Nostri nominis charactere & sigillo signari & corroborari praecepimus.* MABILLON. Lib. VI. num. 168.

Ludouicus VI. Galliae Rex: *Nostri nominis charactere & sigillo signari & corroborari praecipimus.* MABILL. Lib. VI. num. 169.

Fridericus I. Imp. *Praesentem paginam inde conscribi & signi nostri charactere firmari, & aurea bulla nostra insigniri praecepimus.* SCHANNAT. in Vindem. literar. Collect. II. p. 116. sq. Porro: *Signi charactere nostri signari iussimus.* GOLDAST. Constit. Imper. T. II. p. 8.

Otto IV. Imp. *Praesentem inde paginam conscribi & signi nostri impositione confirmari fecimus.* Chron. Gottwic. ad p. 402.

Fridericus II. Imp. *Hanc paginam regio charactere & sigilli nostri firmitudine fecimus insigniri. Hi sunt testes*, cet. GEWOLD. ad HVNDII Metrop. Salisb. T. I. p. 380.

Ludouicus V. Bauarus, Imp. *Presentes conscribi & bulla nostra aurea iussimus communiri, & signum nostrum consuetum apponi fecimus, presentibus testibus subnotatis*, cet. DE LVDEWIG Reliquiar. MSS. T. II. p. 274. Item: *Praesentem processum conscribi praecepimus & ipsum nostrae Imperialis Maiestatis bulla signoque nostro Imperiali consueto iussimus communiri.* BALVZIVS in Vitis Papar. Auinionens. T. II. p. 512.

§. 288.

Locus monogrammatum diplomaticorum.

Locus monogrammatum pro temporum varietate varius fuit. Etsi enim monogrammata, quoniam subscriptionum genus aliquod fuerant (§. 282.), semper ad *epilogum* chartarum reiecta sunt; non constantem tamen perpetuumque locum inter varias epilogi formulas habuerunt. *Merouingadum* ac *Carolidarum* aetate monogrammata *formulam indicationis* (§. 281.), quamquam diuersimode, scindebant: quae quidem monogrammatum collocandorum ratio eorum quoque successoribus, quos in Gallia, Germania, cet. nacti erant, prae ceteris placuit, sed ita, vt ab hac veluti regula haud raro discederent. Monogrammata enim nunc ad alterutrum formulae indicationis *latus* posita sunt, nunc vero eidem formulae subiecta cernuntur. Quid? quod ad ipsum, quod vocant, *Datum* ea reiecta esse, constat, idque iterum duplici modo: nam mox Dati formulam scindebant, mox ei subiiciebantur. Quia diuersa haec collocandi ratio oculis melius percipi potest, quam verbis declarari: ad specimina, quae MABILLONIVS, auctor *Chronici Gottwicensis*, aliique publicarunt, lectorem ablegamus. Conf. etiam BAVDISII Praepar. ad analys. monogr. p. 32. sq. itemque ipse MABILL. L. II. c. X. §. 8. sq.

§. 289.

§. 289.

Quamdiu monogrammata, & in quibus terris viguerint?

De *origine* monogrammatum diplomaticorum iam supra (§. 279.) dictum est: nunc *quamdiu* durauerint monogrammata, *& in quibus terris viguerint*, adiiciemus. Monogrammata autem, vt a posteriori incipiamus, viguerunt potissimum in *Gallia*, *Italia* & *Germania*, itemque in finitimis *Lotharingiae*, *Prouinciae* & *Burgundiae* regnis. Iisdem scilicet fere, quibus ipsum *Francorum imperium*, discerptum postea, vnitum initio, finibus monogrammatum vsus circumscriptus fuit: nec Principes modo, verum alii quoque compendiosum hoc atque commodum subscribendi genus sibi adoptarunt. In *Hispania*, quantum ego quidem scio, monogrammatum vsus rarus, in *Britannia* autem nullus fuit. Quod enim ad *Anglos* attinet, ii ante *Normannorum* incursionem (A. 1066.) in crucibus suis ac chirographis, tam partitis, quam indentatis, omnem omnino sollemnium vim inesse voluerunt (§. 255. 258. 260.): postea vero, etsi a Normannis sigillorum vsum acceperant, monogrammata tamen neglexerunt, idque ob eam, vt mihi quidem videtur, caussam, quod illa eo tempore in ipsa *Gallia* negligi coepta sunt. *Capetii* enim, teste MABILLONIO Lib. II. c. X. §. 9. iam inde a *Roberto* Rege (A. 997-1031.), maxime vero a *Philippo* I. (A. 1060-1108), quo regnante Normanni Angliam (A. 1066.) occupauerant, monogrammata promiscue nunc omiserunt, nunc vsurparunt, donec illa post excessum *Ludouici* IX. *Sancti* († 1270.) abolerentur: quamquam CANGIVS in tabula monogrammatum, glossario suo latino adiuncta, vltimum Galliae Regum monogramma demum *Philippo* IV. *Pulchro* (A. 1285-1312.) attribuit. In *Germania* omnia tardius euenerunt: neglecta enim sunt monogrammata inde a *Friderico* I. Imperatore, qui A. 1152. ad imperialem dignitatem peruenit: abolita vero vel sub *Friderico* IV. (alias III.), A. 1493. mortuo, vel certe eius filio, *Maximiliano* I. imperante. Quando in *Italia* monogrammata scribi desierint, definire non audeo: caeterum occurrerunt mihi adhuc A. 1125. monogrammata bina in vno eodemque diplomate, *Iordani* II. scilicet & *Roberti* II. Principum Capuanorum, apud MVRATOR. in Antiquit. medii aeui T. III. p. 105. *Causſas* exolescentis monogrammatum vsus BAVDISIVS, V. C. in Praep. ad analys. Monogr. p. 38. partim in *taedioſa characteris efficione*, quem in dies intricatiorem reddiderit notariorum artificiosa astutia, partim in ea,

quae postea inualuerit *per consequentiam literarum subscriptione*, partim denique in eo ponit, quod ad splendorem conciliandum satis fuerit *sigillorum*, aut *bullarum* etiam in rebus maioris momenti, *appositio*, ita tamen, vt is minime cum ANT. MATTHAEO neget, bullam, in secunda certe epocha (h. e. a Friderico I. vsque ad Wenceslaum), simul cum monogrammate consistere potuisse. Sed nescio, an hae rationes, & prima earum praecipue, omnibus satis sint facturae, praesertim si cogitent, cessasse monogrammata in Gallia prius, quam in Germania, licet in illo regno eorum structura numquam facu difficilis fuerit. Huc accedit, quod Principes, quia monogrammata non ipsi nudo calamo scribebant (§. 285.), nihil taedii molestiaeque ex intricatiore monogrammatum structura perceperunt. Ego quidem, si recte coniiciam, monogrammatum neglectum ex generali quadam rerum conuersione & quasi reuolutione, quam vniuersa subscribendi ratio saeculis potissimum XI & XII. experta sit, repetendum duxerim: quorsum e. gr. pertinent, quae supra (§. 286. nor. 1.) exposita sunt, itemque testium subscriptorum nomina quidem, at non manus, de quo quidem more nouo infra dicendi locus erit.

§. 290.

Monogrammatum regulae quaedam & cautiones generales.

1. Monogrammatibus firmata sunt omnia diplomata imperialia & regia, quae inde a *Carolo M.* vsque ad *Fridericum I.* in Imperio Romano-Germanico scripta fuerunt: in Gallia vero continua monogrammatum series non vltra *Roberti Regis* tempora decurrit (§. 289.).

2. *Monogrammaticis formulis* (§. 281.) aegre carent diplomata, quae in Imperio ante Fridericum I, in Gallia autem ante Robertum Regem exarata sunt.

3. A Friderici I. Imp. & Roberti Regis tempore monogrammatum pariter atque formularum monogrammaticarum *vsus arbitrarius* fuit (§. 289.).

4 Cauendum est, ne pro falsis commentitiisque statim monogrammatibus habeantur, quae a *structura* monogrammatum sub Principe

cipe aliquo vsitata recedunt. Cautionis huius ratio ex triplici monogrammata exarandi modo (§. 284.) intelligitur. Habent scilicet pleraque Principis alicuius monogrammata eamdem, aut simillimam certe inter se figuram, propterea quod maximam partem vel ope stampillae vel laminae interrasilis exarata fuerunt: sed sunt etiam monogrammata, quae etsi ab hac sollemniore forma aberrant, nihilominus tamen genuina sunt, si nempe a notariis calamo s. penna fuerint exarata (§. 285. sq.).

5. Singula diplomata, quibus monogrammata adiuncta sunt, regulariter non nisi *vnum monogramma* habent: quod vero non in eam partem intelligendum est, quasi nulla sint diplomata, vel in spuriis adeo numeranda, quae *bina*, vel *trina* etiam monogrammata habeant. Atque eorum quidem diplomatum, quae *bina* habent monogrammata, haec exempla ponemus; 1) Monogrammata regia Ludouici Germanici eiusque filii cognominis in diplomate, A. 853. dato, apud FALCKIVM in Cod. Tradition. Corbeiens. p. 83. sq. cum duplici formula indicationis: *Signum bludouuici serenissimi regis. Signum bludouuici.* 2) Monogrammata Hugonis & Lotharii, Italiae Regum, in diplomate, A. 932. in VGHELLII Ital. Sacr. T. I. p. 854. & in ECCARDI Origin. Habsburgo-Austriac. p. 151. item in alio eorumdem Regum diplomate, A. 945. dato, ap. ECCARD. l. c. p. 154. sq. cum formula indicationis: *Signa serenissimorum Vgonis & Lotharii Regum.* 3) Monogrammata Berengarii II. & Adelberti, Regum Italiae, in diplomatibus tribus, A. 952. 960 & 961. datis, in MVRATORII Antiquitat. medii aeui T. I. p. 909. p. 57. & T. V. p. 403. cum formula indicationis in primo diplomate: *Signa benignissimorum Berengarii & Adelberti Regum*, & in duobus posterioribus: *Signa Serenissimorum Berengarii & Adalberti Regum.* 4) Duo monogrammata, vnum titulare, Hugonis Galliae Regis, alterum nominale, Rotberti Regis, Hugonis filii, in diplomate, A. 988. dato, in *Nouveau Traité de Diplomatique* T. III. p. 671. sq. & in Tab. aenea 68. cum duplici formula indicationis: *Signum Hugonis gloriosissimi regis. Signum Rotberti eius filii & regis.* 5) Monogrammata bina, Siluestri II. Papae & Ottonis III. Imperatoris in diplomate, A. 1001. dato, ap. MVRATOR. l. c. T. V. p. 991. cum duplici formula indicationis: *Siluester..... Episcopus.... & Sanctae Mariae Virginis Dei genitricis manu propria corroborauimus. Imperatoris Otto-*

nis..... signum. 6) Monogrammata duo, Iordani nempe & filii eius Riccardi, Principum Capuanorum, in diplomate, A. 1087. dato, ap. MVRATOR. l. c. T. V. p. 783. cum formula indicationis: *Signum praedictorum glorioſorum Principum.*

Trinorum autem *monogrammatum* exemplum nobis occurrit in diplomate, quo Iohannes Pontifex Romanus monaſterium S. Iohannis Miſniae confirmauit, ap. MADERVM in Antiquit. Brunſwic. p. 188. ſqq. In hoc enim diplomate poſt monogramma Pontificale, bina Ottonum, patris & filii, monogrammata collocata cernuntur.

6. Genuinum poteſt eſſe monogramma, licet *alia manu*, vel *atramento alio*, quam diploma ipſum, exaratum cernatur. Conſtat enim pleraque omnia monogrammata vel ope ſtampillae, vel laminae interrafilis diplomatibus adiuncta eſſe (§. 284.), vt veſtigia manus propriae, quae in monogrammatibus apparent, iam taceam (§. 286.).

7. *Literae fundamentales* non ſemper ſunt primae literae ipſarum vocum, aut nominum, quae monogrammate aliquo continentur: nec reliquae literae, ex quibus monogramma aliquod coagmentatum eſt, eo ſemper *ordine* collocatae deprehenduntur, quo in ipſis vocibus vel nominibus vna alteram excipere ſolet. Sic in monogrammatibus Hludouicorum I & II. Lotharii I. & Henricorum I - V. Imperatorum Regumque Germaniae, litera fundamentalis H ſimul prima nominum ipſorum litera eſt: at non eſt prima in monogrammatibus CHonradi II. & LotHarii II. itemque CoNradi II. qui pro litera H, literam N, quae tertia in eius nomine eſt, fundamenti loco ſubſtituit, quem morem deinceps Fridericus I, HeNricus VI, Philippus, Otto IV, Fridericus II, HeNricus VII, Friderici II. filius, Wilhelmus & Rudolphus I. imitati ſunt, ita tamen, vt literam fundamentalem N, ſi *nomini* non ineſſet, ex titulo *RomaNorum* depromerent. Fridericus IV. Imp. literam fundamentalem H ex *Hungariae* titulo aſciuit. Conf. BAVDISII Praepar. ad analyſ. monogr. p. 18.

8 *Literae inſolitae*, eique tempori, quo ſcriptum eſt diploma aliquod, minus conuenientes, monogramma, ſi non falſum, ſuſpectum tamen reddunt.

9. Omnia *monogrammata conſummata* eſſe decet (§. 276.); neque tamen ob id ſtatim reiicienda ſunt monogrammata *manca*, hoc eſt, ea, quae non omnes ductus literaſue, quibus ad legendum opus eſt, exprimunt.

munt. Atque id nemini, quantum ego quidem existimo, mirum videri poterit, qui, quo modo exarata fuerint monogrammata, cogitauerit (§. 284.). Quemadmodum enim, vt hoc vtar, in ipsis diplomatibus quam maxime genuinis haud raro nunc ductus vnus & alter, nunc litera aliqua, vel syllaba etiam, quid? quod verba quoque integra, notariorum vel oscitatione, vel imbecillitate quadam, cunctis mortalibus communi, omissa cernuntur; ita nihil singulare vel inexpectatum est, si eiusdem oscitationis humanaeque imbecillitatis vestigia in monogrammatibus etiam, calamo potissimum s. penna exaratis, deprehenduntur.

10. Sunt monogrammata, quae omnes *literas*, ad legendum necessarias, *sigillatim* exprimunt; sed sunt etiam, in quibus lector vnam alteramque literam, *semel* dumtaxat positam, *pluries*, hoc est, toties, quoties necesse est, repetere debet. Posterioris generis monogrammata tantum abest, vt inter manca, vel vitiosa adeo & falsa numeranda sint, vt potius nihil iis crebrius, nihilque ipso monogrammatum nomine dignius esse possit. Sic in formula illa pontificali *Bene Valete*, litera E semel expressa est, quamquam quater legi debet. Vid. Tab. VIII. num. 74.

11. Neque ea monogrammata repudianda sunt, in quibus *abbreuiaturas*, *siglas*, *notasue numerales* cernere licet (§. 276.).

12. Contra subolestae, vel nullius etiam pro re nata fidei sunt monogrammata, quibus vna alteraque *litera superflua* inest.

II) MONOGRAMMATOLOGIA SPECIALIS.

§. 291.

De Monogrammatologia speciali in genere.

Monogrammatologiae specialis est, tradere ea, quae ad singula monogrammatum genera tam explicanda quam diiudicanda faciunt: quae quidem monogrammatologiae pars vt diligentius in posterum, quam adhuc factum est, excolatur, colligenda prae ceteris sunt ex libris non magis, quam ex archiuis omnia monogrammatum exempla, quae ad vnum idemque genus pertinent; vnde demum philosophia aliqua mono-

monogrammatum existere poterit, si praesertim plures viri eruditi, suae quiuis nationis monogrammatibus intenti, rem susceperint. Quae vero in hoc genere adhuc desiderentur, iam supra (§. 272. p 208.) dictum est. Satis me felicem putabo, si paucula ea, quae pro instituti mei ratione de singulis monogrammatum generibus in praesenti exponam, aliorum hominum, me doctiorum studia excitatura sint.

§. 292.

Recensus monogrammatum, in Tab. nostra aenea VIII. exhibitorum.

Quae in *Tabula VIII.* in aes incidenda curauimus monogrammata, non omnia quidem ad eam, quam in autographis habent, *quantitatis* rationem exarata sunt: id quod facere, spatii angustia interdum prohibebat; singula tamen, monogrammata, quae arctioribus velut limitibus a nobis circumscripta sunt, eorum saltem mensuram atque ambitum habent, quae in superioribus (§. 277.) inter monogrammata parua s. minimi moduli numerata fuerunt. Neque vereor, ne quis mihi id vitio daturus sit, quod monogrammatum quantitatem interdum mutauerim: nam & alii ante me, vt CANGIVS, BAVDISIVS, cet. idem fecerunt, & mutatio ipsa sine rei detrimento fieri potest, propterea quod monogrammatum quantitas, vt eodem loco (§. 277.) diximus, numquam non arbitraria fuit. Eadem spatii angustia, quae me ad diminuendam quorumdam monogrammatum mensuram inducebat, effecit etiam, vt, *ex quibus fontibus hausta* sint monogrammata, in ipsa tabula aenea indicare non potuerim. Placet igitur, quod illic omittendum fuit, hic supplere. Continentur autem tabula VIII.

I) *Merouealum* monogrammata:

1. Chlodouei Iunioris, ex MABILL. Tab. 17.
2. Eiusdem, ex MABILL. Tab. 18. dipl. 1.
3. Nantechildae Reginae, ex MABILL. Tab. 18. dipl. 1.
4. Chlotarii II. ex MABILLONII Suplem. ad pag. 69. dipl. 1.

II) *Carolidarum*, aliorumque *Imperatorum* ac *Regum Germaniae* monogrammata:

5. Karoli M. ex MABILL. Tab. 24. dipl. 1.

6. Hlu-

6. Hludouuici I. Pii, ex MABILL. Tab. 26.
7. Pippini, Aquitaniae Regis, ex MABILL. Tab. 29. dipl. I.
8. Hlotarii I. Imperatoris, ex MABILL. Tab. 30.
9. Karoli II. Calui, ex MABILL. Tab. 31. dipl. I.
10. Ottonis I. M. ex BARINGII praefat. ad clauem diplomat. p. 19. §. 13.
11. Ottonis II. regium, ex autographo.
12. Ottonis II. imperiale
13. Ottonis III. imperiale
14. Heinrici II. regium
15. Chuonradi II. regium
16. Chuonradi II. imperiale
17. Herimanni regium
18. Friderici I. imperiale

} ex BAVDISII tabula aenea.

19. Wilhelmi regium, ex HEINECCII Antiquitat. Goslar. L. I. p. 44. item L. III. p. 272.
20. Alberti I. Austriaci regium
21. Ludouici V. Bauari regium
22. Eiusdem imperiale

} ex BAVDISII tabula.

23. Karoli IV. imperiale, ex Hueberi Austria ex archiuis Mellicensibus illustrata p. 82. coll. cum tab. BAVDISII, aliisque exemplis huius monogrammatis.
24. Friderici IV. (III.) imperiale, ex BAVDISII tabula.

III) Regum Galliae monogrammata, *A*) ante Capetios:

25. Odonis, Regis Galliae, ex MABILL. Tab. 34. dipl. II.
26. Rodulfi, ex MABILL. Tab. 36. dipl. I.
27. Ludouici Transmarini, ex MABILL. Tab. 36. dipl. II.
28. Lotharii, ex MABILL. Tab. 37. dipl. I.
29. Eiusdem, ex MABILL. Tab. 37. dipl. II.

B) Capetiorum:

30. Hugonis Capeti, ex MABILL. Tab. 38. dipl. I.
31. Hugonis eiusdem
32. Roberti

} *Nouveau Traité de Diplomatique* in Tab. 68.

33. Roberti eiusdem, ex MABILL. Tab. 38. dipl. II.
34. Eiusdem, ex MABILL. Tab. 39. dipl. I.

35. Eiusdem, ex *Perardo*, in CANGII Glossario s. v. *monogramma.*
36. Eiusdem, ex Tabulario Corbeiensi, in CANGII Gloss. l. c.
37. Henrici I. ex *Chiffletio* in Trenorchio, in CANGII Gloss.
38. Eiusdem, ex MABILL. Tab. 39. dipl. II.
39. Philippi I. ex *Chiffletio* in Trenorchio, in CANGII Gloss.
40. Eiusdem, ex *Chiffletio*, *Biblioth. Cluniac.* & *Spicil. Acheriano*, in CANGII Gloss.
41. Eiusdem, ex MABILL. Tab. 40.
42. Ludouici VII. ex MABILL. Tab. 42.
43. Ludouici IX. ex MABILL. Tab. 44. dipl. I.
44. Eiusdem, ex MABILL. Tab. 44. dipl. II.
45. Philippi IV. ex Tabulario regio, in CANGII Glossario s. v. *monogramma.*

IV) Regum aliorum monogrammata:

46. Karolomanni, Regis Italiae, ex diplomate, A. 878. dato, apud MVRATOR. in Antiquit. medii aeui T. I. p. 927.
47. Eiusdem Karolomanni, ex dipl. A. 878. seu potius A. 879. dato, ap. MVRATOR. l. c. T. I. p. 929.
48. Lantberti, Italiae Regis & Imperatoris, ex dipl. A. 895. dato, ap. MVRATOR. l. c. T. I. p. 437.
49. Eiusdem, ex dipl. A. 892. dato, ap. *eumd.* T. I. p. 287.
50. Eiusdem, ex dipl. A. 899. siue 898. dato, ap. *eumd.* T. III. p. 59.
51. Ardoini, Regis Italiae, ex Tabulario Episcopat. Comensis, in CANGII Glossario, s. v. *monogramma.*
52. Bosonis, Regis Prouinciae, ex Tabul. Ecclesiae Viennensis, in CANGII Glossario.
53. Ludouici, Regis Prouinciae, Rodulfi Regis ex Ermengarda filii, ex Tabul. Ecclesiae Gratianopol. in CANGII Glossario.
54. Rudolfi II. Regis Burgundiae vtriusque, ex Biblioth. Cluniac. in CANGII Glossario, vbi vero Conrado tribuitur.
55. Conradi, Regis vtriusque Burgundiae, ex Tabul. Eccles. Viennensis, in CANGII Glossario.
56. Alphonsi IX. Hispaniae Regis, ex dipl. A. 1156. dato, in MABILL. Tab. 45.
57. Ferdinandi III. Hispaniae Regis, ex dipl. A. 1230. dato in *Nouveau Traité de Diplomatiq.* Tab. 71. num. 4.

V) Prin-

V) Principum monogrammata:

58. Iordanis I. Principis Capuani, ex diplom. A. 1078. dato, in MVRATORII antiqu. medii aeui T. III. p. 107.
59. Richardi II. Principis Capuani, ex diplomate anni incerti, in MVRATOR. l. c. T. III. p. 111.
60. Rabodonis, Marchionis Tuſciae, ex diplom. A. 1117. dato, ap. MVRATOR. T. I. p. 315.
61. Mathildis, magnae Comitiſſae, ex dipl. A. 1102. dato, ap. MVRATOR. T. VI. p. 71.

VI) Comitum ac Nobilium monogrammata:

62. Roberti Comitis, ex dipl. A. 1094. dato, in MVRATOR. T. III. p. 107.
63. Robberti, nobilis viri, Limeſſani caſtri domini, ex diplom. Ao. 1109. dato, ap. MVRATOR. T. III. p. 109.
64. Luitfridi Comitis, ex dipl. A. 903. dato, in ECCARDI Origin. Habſburgo-Auſtriacis ex *Guillimanno*, p. 144.

VII) Magiſtratuum monogrammata:

65. Adriani, Conſulis Romani, ex dipl. A. 934. dato, ap. MVRATOR. T. III. p. 240.

VIII) Notariorum monogrammata:

* *Nicolai* monogramma vid. ſupra §. 243. p. 166.

IX) Pontificum Romanorum monogrammata:

66. Adriani I.
67. Paſchalis I.
68. Nicolai I.
69. Xiſti III.
70. Leonis III.
71. Leonis III. aliud

} ex *Nicolai Alemanni* libro de Lateranenſibus Parietinis Cap. III. ap. CANGIVM in Gloſſario ſ. v. *monogramma*.

72. Silueſtri II. ex dipl. A. 1001. dato, ap. MVRATOR. T. V. p. 991.
73. Leonis IX. } ex bulla A. 1049. data, in SCHANNATI Vindiciis
74. Eiuſdem } Tab. II. dipl. I.

X) Episcoporum monogrammata:

75. Gualterii, Archiepiscopi Rauennatensis, ex dipl. A. 1141. dato, ap. MVRATOR. T. V. p. 159.

76. Hugonis II. Episcopi Nouiodunensis (Nevers), ex dipl. A. 1031. dato, in GVY COQVILLE Histoire du pays & duché de Nivernois (Paris 1612. 4.), p. 61.

77. Ioannis, Triuentinae sedis Episcopi, ex dipl. A. 1109. dato, ap. MVRATOR. T. III. p. 109.

XI) Abbatum monogrammata:

78. Martini Abbatis circ. A. 1046. ap. MVRATOR. T. III. p. 765.

XII) Monasteriorum monogrammata:

79. Erkenberti, Corbeiensis Abbatis, qui S. Viti martyris, Abbatiae suae patroni nomen monogrammatis loco in dipl. A. 1120. dato, vsurpauit, ap. FALCKIVM in Cod. Tradition. Corbeiens. p. 215. item p. 58.

§. 293.

De Meroueadum monogrammatibus.

Meroueadum rara monogrammata sunt, neque tamen omnino nulla. Ac in iis quidem, qui monogrammata adhibuerunt, a MABILLONIO commemorantur *Chlodouei* duo, *secundus* & *tertius*, amborumque matres *Baltechildis* (Nantechildis) & *Chrodechildis* Reginae, quibus alio loco etiam *Chlotarium II.* adiunxit, vid. supra §. 279. p. 216. Inter quatuor Meroueadum monogrammata, in Tab. nostra VIII. num. 1-4. exhibita, primum titulare est, reliqua vero tantum nominalia sunt. Ex primo, quo Chlodoueus Iunior in diplomate, A. 653. dato, vsus est, dilucide patet, vsum *monogrammatum titularium* antiquissimum esse, & ad ipsa adeo Meroueadum tempora referendum. Lapsus est in eo explicando vir beatissimus, MABILLONIVS, dum illud *Sigeberto*, nescio cui, tribuebat. Nobilissimi auctores noui operis diplomatici (*Nouveau Traité de Diplom.* T. III. p. 553.) vestigia vocum: *Cldovig* seu *Cldoviqs* (h. e. Chlodouius s. Chlodouicus) *Rex inlustèr*, vel etiam *Ludouius Francorum Rex*, in eo se deprehendere dixerunt. Ego quidem illud pro monogrammate literali quadriformi, cuius litera fundamentalis

mentalis H est, habeo, eoque non nisi duo vocabula: *Chlodouius Rex* contineri puto. Alterum vero quod *eiusdem* Regis est (num. 2.), item monogramma *Nantechildae* Reginae (num. 3.) inter nominalia, eaque manca s. mutila referri debere, nemo est, qui non videat. Quartum denique, quo Chlotarius II. vtebatur (num. 4.) nomen *Chlotarius* exprimit, ideoque nominale tantum, sed consummatum est.

§. 294.

De Imperatorum ac Regum Germanicorum monogrammatibus, & quidem 1) de quatuor illorum epochis.

Qui primus Carolidarum stirpi dignitatem regiam intulit, *Pipinus Breuis*, eiusque filius alter *Carolomannus* a monogrammatibus, vt supra (§. 279. p 216.) dictum est, abstinuerunt. Pari modo etiam *liberi regii*, Carolo M. regnante, non monogrammatibus, sed eorum loco crucibus tantum vsi fuerunt, id quod ex hac subscriptione diplomatis Giselae, Caroli M. sororis, A. 791. dati, satis cognoscitur: *Signum † Ghysilae nobilissima filia Pippini Regis, qui hanc donatione fieri rogaui. Signum † Caroli nobilissimi filii domni Caroli praecellentissimi Regis. Signum † Pippini nobilissimi filii domni Caroli praecellentissimi Regis. Signum † Chlodoici nobilissimi filii domni Caroli praecellentissimi Regis.* Vid. MABILLONII Tab. 24. dipl. II. Ipse tamen *Carolus M.* perpetuum monogrammatis vsum in diplomata induxit, quem morem omnes Imperatores Regesque Germanici ab hoc inde tempore vsque ad *Conradi III.* obitum constanter obseruarunt. Atque ex continua hac monogrammatum serie (ab A. 771. vsque A. 1152.) *prima* eorum *epocha* existit. In *altera epocha*, quae a *Friderico I.* ad excessum vsque *Caroli IV.* (ab A. 1152-1378.) decurrit, monogrammatum vsus non quidem nullus, at arbitrarius tamen fuit. Contra in *tertia epocha*, quam *Wenceslai, Sigismundi & Alberti II.* principatus (ab A. 1378-1439.) constituit, monogrammata prorsus cessarunt. Instaurauit quidem eorum vsum *Fridericus IV.* siue *III.* vt ab aliis vocatur (ab A. 1440-1493.), cuius monogrammatum sex circiter exempla in lucem prolata sunt: at non inuenit in successoribus, qui eum hac in re imitarentur, nisi quod eius filius, *Maximilianus I.* (ab A. 1493-1519.) tam in nummis, quam in diplomatibus, quamquam in his tam raro, vt, praeter *Zyllesianum*,

nullum aliud exstare putent, monogrammatibus vsus fuerit: vt itaque tota *epocha quarta* amborum Imperatorum Friderici IV. s. III. & Maximiliani I. regimine contineatur.

(*) Vid. BAVDISII Praeparat. ad analyf. monogr. §. XXVII - XXX. coll. cum ipsa analysi p. 9. not. *), item OELRICHSII Comment. de stampilla diplomatica p. 13. not. 37. Add. b. KOELERI *Historische Müntzbelustigung* T. XII. p. 184. vbi nummus quidam Maximiliani I. monogrammate insignitus, explicatur.

§. 295.

2) *De illorum diuisione a) in nominalia, titularia & mixta.*

Diuisimus supra (§. 275.) monogrammata in *nominalia*, *titularia*, *verbalia* & *mixta*. In Imperatorum ac Regum nostrorum monogrammatibus verbale nullum, at duo tamen mixta, *Wilhelmi* scilicet Regis (num. 19), & *Friderici IV.* (*III.*) Imperatoris (num. 24.), cernere mihi licuit: in Wilhelmino nempe inscriptio quaedam orbicularis, in Fridericiano autem quinque siglae illae in vulgus notae A, E, I, O, V, (hoc est, ipso Imperatore interprete, *Austriae Est Imperare Orbi Vniuerso*) occurrunt. Reliqua Principum nostrorum monogrammata vel nominalia sunt, vel titularia. Ac *titularium* quidem *originem* etsi BAVDISIVS, V. C. in Praeparat. ad analyf. monogramm. §. XII. p. 12. ad Imperatoris *Ottonis II.* tempora, h. e. ad an. 973. reiecit: quoniam tamen iam *Merouingadum* aetate, vt in superioribus (§. 293.) dictum est, titularium vsus haud incognitus fuit, & *Carolidarum* etiam aliorumque Imperatorum ac Regum quorumdum, Ottone II. antiquiorum, vt *Caroli M.*, *Odonis* Galliae Regis (num. 25.), *Ottonis M.* cet. monogrammata titularia ex diplomatibus haud contemnendis afferri possunt; intelligitur, Ottonem II. Imperatorem non primum quidem huius generis monogrammatum auctorem; eum tamen fuisse, a quo *continua* eorum *series* in Imperio Romano-Germanico initium ceperit. Quod itaque supra (§. 279.) de Carolo M. diximus, eum non auctorem monogrammatum, sed propagatorem fuisse; id etiam de Ottone II, si de origine titularium monogrammatum speciatim quaeritur, dicendum putamus.

§. 296.

§. 296.

b) In linearia & literalia, cet.

Inter Imperatores Regesque Germanicos vsi sunt monogrammatibus

I. *linearibus*

1. cruciformibus

a. simplicibus: *Carolus M.* ceterique *Carolidae cognomines*, porro *Arnolfus*, *Chuonradus I.* ac denique (*) *Ottones I. II & III.* in monogrammatibus nominalibus (num. 5. 9. 10. 11.).

(*) Cel. BAVDISIVS in Praepar. ad analyf. monogr. §. IX. p. 11. Ottonum monogrammata, tam nominalia, quam titularia, ad literalia retulit, ex iisque singulare genus literalium fecit, quae *Ottonianorum* nomine appellauerat, vt a *Ludouicianis* distingui possent. Diuisit nempe monogrammata literalia in *Ludouiciana* & *Ottoniana*. Illa vocauit, quorum litera fundamentalis ex nomine proprio, saltem ex titulo Principis est depromta, cuiusmodi Ludouici Pii monogramma primum fuit (vid. tab. nostr. VIII. num. 6): haec vero, quorum basis est litera ascitia (H), neque ex nomine, neque ex titulo petita, cuius generis monogramma Ottoni M. tribuit (vid. tab. nostr. VIII. num. 11-13.). Ego vero, partim illa figura, quae in tab. cit. num. 10. exhibetur, partim aliis rationibus inductus, nominalia Ottonum quaecumque (num. 10. sq.) ad linearia cruciformia refero, quia scilicet ita constructa videntur, vt literae O & T extremis linearum, crucem efficientium, adhaereant; titularia autem Ottonum (num. 12. sq.) mihi literalia quadriformia, eaque duplicia copulata sunt: habeo enim duplex T pro literis fundamentalibus, linea quadam transuersa, tamquam copula, inter se coniunctis.

b. compositis: *Albertus I.* & *Carolus IV.* (num. 20 & 23.).

2. quadriformibus s. quadratis: solus *Ludouicus V. Bauarus* (num. 21. sq.).

3. circularibus: solus *Wilhelmus* (num. 19.).

II. *literalibus*, iisque tantum quadriformibus, habentibus pro litera fundamentali

1. H: *Hludouicus I.* ceterique *Carolidae cognomines* (num. 6.), porro *Hlotarius I.* (num. 8.), *Heinrici I. II.* (num. 14.), *III. IV. V.* item *CHuonradus II.* (num. 15. sq.), *Herimannus* (num. 17.), *LotHarius II.* & *Fridericus IV.* s. *III. Maximiliani I.* parens (num. 24.).

2. duplex T copulatum: *Ottones I. II. III.* in titularibus (num. 12. sq.).

3. N:

3. N: *CoNradus III. Fridericus I.* (num. 18), *Henricus VI. Philippus*, *Otto IV. Fridericus II. HeNricus VII.* (Friderici II. Imp. filius), *Wilhelmus*, si scil. monogramma non est circulis inclusum (num. 19.), *Rudolphus I. Fridericus III. Pulcher.*

(*) Quae hoc §. dicta sunt, de *structura* monogrammatum, sub Principe aliquo prae ceteris *vsitata* & quasi *dominante*, intelligi volo. Possunt enim alia eiusdem Principis monogrammata ab hac sollemniori forma recedere, & genuina nihilominus esse. Vid. supra (§. 290. num. 4.)

§. 297.

c) *In regia & imperialia.*

Bene recteque BAVDISIVS, in Praeparat. ad analys. monogr. §. V. p. 8. Principum nostrorum monogrammata in *regia* & *imperialia* diuisit. Illa nempe dixit, quae Regibus nostris vel nondum, vel numquam etiam imperiali diademate ornatis; haec vero, quae iisdem Imperatoribus coronatis in vsu fuerunt. Atque haec diuisio ex eo potissimum tempore, quo *Otto II.* Imperator perpetuum monogrammatum titularium vsum in diplomata introduxit (§. 295.), locum habet. Nam praeter *Ottonem II*, etiam *Otto III*, *Henricus II*, *Conradus II*, (num. 15. sq.) *Henrici III*, *IV*, *V*, *Lotharius II*, *Fridericus I* & *II*, & *Ludouicus V. Bauarus* (num. 21. sq.) regia monogrammata ab imperialibus certis quibusdam characteribus titulisque distinxerunt.

§. 298.

3) *Enodatio singulorum monogrammatum tum regiorum, tum imperialium inde ab Ottone II. Imp.*

Ante *Ottonem II.* Imperatorem pleraque omnia Imperatorum ac Regum nostrorum monogrammata *nominalia* sunt: Otto autem II, postquam A. 974. solus ad Imperium accessit, *titularium* vsum perpetuum introduxit, ipse etiam antea, quum adhuc Rex Germaniae & patris in imperio consors esset, nominali tantum contentus (§. 295.). Vt tirones habeant, in quo exerceantur, placet hoc loco, quae singulis Principum nostrorum monogrammatibus inde ab Ottonis II. temporibus contineantur, paucis indicare.

Ottonis II. Imperiale: Otto *Imperator Augustus* (prima vice).

Otto-

Ottonis III. 1) Regium: *a*) nominale: Otto.
b) titulare: Otto *Rex* (Rex prima vice).
——— 2) Imperiale: Otto Imperator Augustus (nihil noui).
Henrici II. 1) Regium: Heinricus Rex (nihil noui).
——— 2) Imperiale: Heinricus *Romanorum* (prima vice) Imperator Augustus.
Conradi II. 1) Regium: Chuonradus Rex (nihil noui).
——— 2) Imperiale: Chuonradus Romanorum Imperator Augustus (nihil noui).
Henrici III. 1) Regium primum: Heinric Rex.
——— ——— secundum: Heinricus *Dei gra*, hoc est, *gratia* (prima vice) Rex.
——— 2) Imperiale: Heinricus *Dei gra*, s. gratia Romanorum Imperator Augustus.
Heinrici IV. 1) Regium: Heinricus *Quartus* (prima vice numerus additus) Dei gra Rex.
——— 2) Imperiale: Heinricus *Tertius* (qua Imperator) Dei gra Romanorum Imperator Augustus.
Hermanni, Anti-Caesaris: Herimann Dei gratia Rex.
Henrici V. 1) Regium: Heinricus Dei gra Quintus *Romanorum* (prima vice in regiis monogrammatibus) Rex.
——— 2) Imperiale: Heinricus Dei gra Quartus Romanorum Imperator Augustus.
Lotharii II. 1) Regium: Lotharius Tercius Dei gra Romanorum Rex.
——— 2) Imperiale: Lotharius Tercius Dei gra Romanorum Imperator Augustus.
Conradi III. Regium: Cunradus Dei gra Romanorum Rex.
Friderici I. 1) Regium: Fredericus Dei gra Romanorum Rex.
——— 2) Imperiale: Fredericus Dei gra Romanorum Imperator Augustus.
Henrici VI. Imperiale: Henricus Dei gra Romanorum Imperator *semper* (prima vice) Augustus.
Philippi Regium: Philippus Dei gracia Romanorum Rex *semper Augustus* (prima vice in regiis).
Ottonis IV. Regium: Otto Quartus Dei gra Romanorum Rex Semper Augustus.

Friderici II. 1) Regium: Fridericus (ſecundus) Dei gra Romanorum Rex ſemper Auguſtus, *Hieruſalemi* (Iheruſalem) *& Siciliae Rex* (prima vice terrarum hereditariarum tituli adiecti).

——— 2) Imperiale: Fridericus (ſecundus) Dei gra Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliae Rex.

Henrici VII. (Friderici II. Imp. filii) Regium: Henricus ſeptimus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Wilhelmi Regium: Willelmus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Acceſſit *inſcriptio marginalis*: Spes mea dominus a iuventute mea, cet.

Rudolphi Habſburgici Regium: Rudolphus Dei gra Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Alberti I. Regium: Albertus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Friderici III. Pulchri ſ. Auſtriaci Regium: Fridericus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Ludouici V. Bauari 1) Regium: Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex.

——— ——— 2) Imperiale: Ludouicus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.

Caroli IV. Imperiale: Karolus Dei gratia, Quartus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, *Boemie Rex.*

Friderici IV. Imperiale: Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, *Hungariae, Dalmatiae, Croatiae Rex.* Inſertae praeterea ſunt quinque literae ſymbolicae: A. E. I. O. V. de quarum ſignificatione LAMBECIVS duodequadraginta aliorum explicationes, & eas quidem omnes falſas, pleraſque ineptas etiam, attulit. Ipſe Imperator Fridericus IV. has literas in vtraque lingua ita interpretatus eſt:

Auſtriae Eſt Imperare Orbi Vniuerſo.
Alles Erdreich Iſt Oeſtreich Vnterthan.

Vid. HEINECCIVS de Sigillis p. 110. ſq.

§. 299.

§. 299.

De Imperatorum Constantinopolitanorum monogrammatibus.

Imperatores Constantinopolitanos monogrammatum vsum haud repudiasse, cognoscimus ex nummis *Marciani* (A. 450-457.), in primisque *Iustini I.* (A. 518-527.) & *Iustiniani I.* (A. 527-565.), apud CAROLVM DV FRESNE in Historia Byzantina, quorum posteriores *Theodorae* Augustae nomen, ad modum monogrammatis exaratum, etiam exprimunt. Eiusdem deinde *Theodorae* & *Iustiniani I.* monogramma sculptum in Basilica S. Sophiae cerni, testantur PAVLLVS SILENTIARIVS in eius descriptione L. II. v. 516. & CANGIVS in comment. in eamd. descript. p. 583. Neque hoc obscurum est, in sigillis etiam Imperatorum orientalium, praesertim saec. VII. monogrammata fuisse exhibita. An vero etiam *diplomatica monogrammata*, praeter haec, quae diximus, nummaria, parietaria & sphragistica, Constantinopoli in vsu fuerint, haud inutilis quaestio est. Sunt quidem, qui ex PROCOPII Historia arcana concludere volunt, *Iustinum I.* monogrammate subscriptionis loco vsum esse: sed quam lubrica haec concludendi ratio sit, iam in superioribus (§. 279.) obseruatum est. Auctores noui operis diplomatici & Iustino I. & aliis post eum Imperatoribus, monogrammatis vsum tribuere non dubitant: sed rationes, quibus inducti, hoc statuebant, non adiunxerunt. Id certe exploratum habemus, Imperatores orientales, si quando monogrammatibus vsi fuerint, ab eorum vsu exeunte saeculo XI. abstinuisse: nam ex hoc tempore μηνολογεῖν, hoc est, mensem & indictionem absque vlla alia subscriptione vel nominis, vel monogrammatis, propria manu diplomatibus subiicere, coeperunt.

(*) Vid. OELRICHSII Comment. de stampilla diplomatica §. VIII. not. 28. p. 8. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 750.

§. 300.

De Regum Galliae monogrammatibus, & quidem 1) de illorum tribus epochis.

Monogrammata *Galliae Regum* ad *tres epochas* reduci possunt. In *prima epocha*, quae ab antiquissimis inde *Merouaeadum* temporibus ad

Caroli M. principatum (ante A. 771.) decurrit, monogrammatum vsus rarus (§. 293); in *altera*, quam a *Carolo M.* ad *Robertum* (ab A. 771-997.) computamus, perpetuus; in *tertia* denique, hoc est, a *Roberto* ad *Philippum IV. Pulchrum* (ab A. 997-1312.), arbitrarius fuit (§. 289.). Quam variam monogrammata fortunam Capetiis regnantibus, hoc est, in tertia, quam diximus, epocha, habuerint, liceat mihi MABILLONII, testis huius rei locupletissimi, verbis commemorare. "Illud vero, „inquit (L. II. c. X. §. 9.), maxime obseruatione dignum, quod Capetii „a Rotberto Rege, sed maxime a Philippo I. in subscriptionibus 1) ali„quando solum signum crucis cum sigillo suo apponunt, absque mono„grammate & solita formula: Signum Philippi etc. (vt in Bibliotheca „Cluniacensi: † Hoc signum Regis Philippi regnantis sua manu „scriptum anno ab Inc Domini MLXXVI.), 2) aliquando haec verba: „Signum Philippi, cum sola cruce (vt in diplomate Remigiano apud „Marlotum relato, cuius autographum inspexi), 3) aliquando mono„gramma solum absque signo crucis & aliis: qualis est subscriptio Rot„berti Regis in diplomate pro Sancti Petri coenobio Catalaunensi, item„que Heinrici Regis, 4) aliquando denique praeter monogramma, „etiam signum crucis & solitam formulam adhibent, vti probant exem„pla, quae in specimen suo loco adducemus". Idem eodem loco §. 10. "Proferuntur tamen Francorum Regum monogrammata (in CANGII „Glossario) a Chlodoueo I. ad Philippum IV. At post Sanctum Ludo„uicum († A. 1270.) nullum vidimus in variis Philippi III. aut IV, quae „inspeximus, autographis monogramma. Verum quia duo eorum „monogrammata ex tabulario regio profert eruditus Cangius in Gloss„rio; fortasse alicubi authentica exstant, quae nobis cernere non „licuit. Mirari porro subit, in omnibus, quae quidem inspexerimus, „Ludouici Grossi (*f.* Crassi, hoc est, Ludouici VI, † 1137.) autogra„phis nullum, nisi vnicum, a nobis repertum monogramma fuisse: sed „aliquando solum Regis nomen Cancellarii manu appositum: aliquando „cum signo crucis a Rege facto, vt in Bibliotheca Cluniacensi". Quod vltimo loco Mabillonius de Ludouico VI. dixit, non omnino verum est, & ab ipso Mabillonio L. V. ad Tab. 41. retractatum, ita vt pro eo rescribendum sit: Rara quidem esse Ludouici VI. monogrammata, exstare tamen aliqua; & posteriorum etiam Regum vsque ad Ludouicum Sanctum.

§. 301.

§. 301.

2) *De illorum diuisione a) in nominalia & titularia.*

Nullus Galliae Regum, quantum ego quidem scio, *verbali* aut *mixto* monogrammate vsus est. Pleraque sunt *nominalia*, pauciſſima *titularia*. Ac titularibus quidem monogrammatibus vsi sunt in prima epocha *Chlodoueus Iunior* (Tab. VIII. num. 1.) in altera *Odo* & *Hugo* (num. 25 & 31.) in tertia nullus. Neque aliud quidquam, praeter solum *Regis* vocabulum, titularibus illatum cernitur. Sed in hoc etiam Galliae Regum monogrammata a monogrammatibus Imperatorum Regumque Germanicorum discrepant, quod titularium in Gallia numquam *series continua* fuit, quid? quod vnus idemque Rex nominalia pariter atque titularia indiscriminatim adhibuit (vid. num. 1 & 2. item num. 30 & 31.).

§. 302.

b) In linearia & literalia.

Quam *varia* interdum *monogrammata* sub vno eodemque Rege fuerint, exempla monogrammatum, quibus *Hugo* (num. 30. sq.), *Robertus* (num. 32-36.), *Henricus I.* (num. 37. sq.), *Philippus I.* (num. 39-41.), *Ludouicus IX.* (num. 43. sq.) vsi sunt, satis declarant. In eo tamen omnia Regum Galliae monogrammata conueniunt, quod vel *linearia cruciformia* sunt, vel *literalia quadriformia*. Vsi autem sunt, praetermittendo scil. tam Merouingadas, quam Carolidas priores,

I. *linearibus cruciformibus*,

1. simplicibus: *Odo* (num. 25.), *Carolus Simplex*, *Rudolfus* (num. 25.), *Ludouicus IV. Transmarinus* (num. 27.), *Lotharius* (num. 28. sq.), *Hugo* (num. 30.), *Robertus* (num. 32-34.), *Philippus I.* (num. 40. sq.).
2. compositis: solus *Robertus* (num. 36.), qui vero etiam tam cruciformia simplicia (num. 32-34.), quam quadrata (num. 35.) sibi adoptauit.

II. *literalibus quadriformibus*, habentibus pro litera fundamentali

1. N: *Pippinus*, Aquitaniae Rex (num. 7.).
2. H: *Hugo* (num. 31.) & *Henricus I.* (num. 37.).
3. B & E copulata: solus *Robertus* (num. 35.).

4 H & R copulata: *Henricus I.* (num. 38.).
5. P.P. 1) interrupta: *Philippus I.* (num. 39.).
2) copulata; *Philippus II. III. IV.* (num. 45.).
6. L & C. 1) copulata: *Ludouicus VII. & IX.* (num. 42. 44.).
2) interrupta: *Ludouicus VII. VIII. IX.* (num. 43.).

§. 303.

De Regum atque Imperatorum Italiae monogrammatibus.

Percurramus nunc *Regum atque Imperatorum Italiae* monogrammata, quorum satis multa exempla, in MVRATORII Antiquitatibus Italiae medii aeui exstant. Referendi autem huc sunt:

1. *Karolomannus*, Ludouici Germanici filius natu maximus, Rex Italiae A. 878 † 880. Eius monogrammata literalia quadrata sunt, duplicis potissimum generis, vnum duplex copulatum, literas K & N pro fundamento habens & mutilum s. mancum (num. 46), alterum simplex, cuius litera fundamentalis M est (num. 47.). Formulae indicationis sunt partim: *Signum* (loc. monogr.) *Karlomanni sereniſſimi Regis*, partim: *Signum* (loc. monogr.) *Karlomanni inuictiſſimi Regis.* Vid. MVRATOR. Antiqu. medii aeui T. V. p. 947. & T. I. p. 927. 929 & 931.
2. *Berengarius I.* Italiae Rex A. 887 † 923. Monogramma eius est literale quadratum, idque mutilum s. mancum, pro fundamento literam N habens. Vid. in MVRATORII Antiqu. T. I. p. 280. diploma *Berengarii I.* A. 890. datum, cum formula indicationis: *Signum Domni* (loc. monogr.) *Berengarii ſereniſſimi Regis.*
3. *Wido*, Imperator, A. 889 † 896. Monogramma eius lineare cruciforme est. Vid. diploma eius, A. 891. datum, cum formula indicationis: *Signum Domni Widonis ſereniſſimi Imperatoris*, in MVRATOR. T. I. p. 85.
4. *Lambertus*, Imperator, A. 890 † 898. Monogrammata eius linearia cruciformia sunt, mox consummata (num. 48.), mox mutila s. manca (num. 49. sq.). Formula indicationis est: *Signum Lantberti* (loc. monogr.) *Imperatoris Auguſti*, vel crebrior: *Signum Domni* (l. m.) *Lantberti* (item *Landberti* & *Lamberti*) *ſereniſſimi* (*piiſſimi*) *Imperatoris Auguſti.* Vid. eius diplomata, A. 892. 895. 898 & 899.

899. data, in MVRATOR. T. I. p. 287. & p. 437. item T. VI. p. 341. & T. III. p. 59.

5. *Ludouicus*, (Prouinciae &) Italiae Rex, A. 900-902. Monogramma literale quadratum, literam H pro fundamento habens, eique quod num. 6. exhibuimus, per omnia simile, nisi quod litera S ad imum fulcri sinistri collocata est. Formula indicationis: *Signum Domni* (loc. monogr.) *Hludouici gloriosissimi Regis*. Diploma A. 900. datum, ap. MVRATOR. T. I. p. 87.

6. *Rudolfus*, Italiae Rex A. 921. Monogramma lineare cruciforme, cum formula indicationis: *Signum manus* (loc. mon.) *Domni Rodulfi serenissimi Regis*, in dipl. A. 922. dato, ap. MVRATOR. T. III. p. 53. In GVY COQVILLE *Histoire du Pays & Duché de Nivernois* (Paris 1612. 4.) p. 54. aliud monogramma huius Regis, a priori paullulum diuersum, quod diplomati A. 932. dato adiunctum est, exhibetur.

7. { *Hugo*, Italiae Rex A. 926. / *Lotharius*, Italiae Rex A. 932 † 949. } Illius monogramma literale quadratum, H pro fundamento habens, hoc lineare cruciforme, ac saepe mancum, est. Formulae monogrammaticae: *Manibus propriis roborantes de anulo nostro subscribere annotari* (vel etiam: *annulo nostro insigniri*) *iussimus. Signa Serenissimorum* (loc. monogr.) *Vgonis* (alias *Hugonis*) *& Lotharii Regum*. Vid. horum Regum diploma, A. 932. datum, ap. VGHELL. Ital. Sacr. T. I. p. 854. & in ECCARDI Origin. Habsburgo-Austr. p. 151. item aliud eorum diploma, A. 945. datum, ap. ECCARD. l. c. p. 154. sqq. CANGIVS etiam in Glossario tria Lotharii monogrammata in aes incidenda curauit.

8. { *Berengarius II.* Italiae Rex, A. 947-961. † 966. / *Adelbertus*, Italiae Rex, A. 950-966. } Illius monogramma literale quadratum triplex est, literas B. A. E. pro fundamento habens, mutilum semper, interdum abbreuiationis signis notatum: huius vero monogramma est lineare cruciforme. Formula indicationis: *Signa benignissimorum*, alias & saepius quidem *serenissimorum*, (loc. monogr.) *Berengarii & Adelberti Regum*. Vid. horum Regum diplomata, A. 952. 960. & 961. data, ap. MVRATOR. T. I. p. 909. & p. 57. item T. V. p. 403.

9. *Ardoi-*

9. *Ardoinus* s. *Hardoinus*, Italiae Rex, A. 1002 † 1015. Eius monogramma est literale quadriforme, H pro fundamento habens (num. 51.), ex CANGII Glossario. Solus *Ardoinus* inter Reges atque Imperatores Italiae monogrammate titulari, quantum ego quidem scio, vsus est. Exprimit illud nempe verba: *Hardoinus Rex*, quamquam litera E non satis dilucide expressa est.

§. 304.

De Regum Lotharingiae, Prouinciae & Burgundiae monogrammatibus.

1. *Zuentebulchus* s. *Zuenteboldus*, Lotharingiae Rex, A. 895. † A. 900. Monogrammate vsus est lineari cruciformi, cum formulis: *Manu propria firmantes anulique nostri impressione iussimus insigniri. Signum Domni* (loc monogr.) *Zuentebulchi glorioſissimi regis.* Vid. eius diploma, A. 896. datum, in MABILLONII Tab. 35. CANGIVS in Glossario mutilum exemplum monogrammatis Zuenteboldiani ex Hist. Leod. & Broweri Hist. Treuir. attulit.
2. *Boso*, Rex Prouinciae siue Burgundiae Cisiuranae, A. 879. Eius monogramma literale duplex copulatum est. Vid. Tab. nostr. aen. VIII. num. 52.
3. *Ludouicus*, Bosonis filius & successor, † A. 923. Eius monogramma (num. 53.) literale duplex copulatum est, pro fundamento literas L & C habens.
4. *Hugo*, Comes Arelatensis, A. 923. Rex Prouinciae s. Burgundiae Cisiuranae, denique A. 926. Rex Italiae. Vid. §. praeced. 303. num. 7.
5. *Rudolfus I.* Rex Burgundiae Transiuranae A. 888 †. A. 911.
6. *Rudolfus II.* A. 911. Rex Burgundiae Transiuranae, & ab A. 930. pactione cum Hugone inita, Rex vtriusque Burgundiae s. Regni Arelatensis, † A. 937. Monogramma eius, quod CANGIVS Conrado, de quo statim dicetur, tribuit, lineare cruciforme, idque mutilum est, vid. num. 54.
7. *Conradus*, Rex vtriusque Burgundiae, A. 937-994. Eius monogramma lineare quadratum, idque titulare, vid. num. 55.
8. *Rudolfus III.* vltimus Burgundiae vtriusque Regum, e Welfonum gente prognatorum, A. 994. † A. 1032.

§. 305.

§. 305.

De Regum Hiſpaniae monogrammatibus.

Reges *Hiſpaniae*, poſtquam nomen ſuum per literarum conſequentiam diplomatibus ſubſcribere deſierant, ſingularia ſigna, ad inſtar monogrammatum exarata, eaque initio *quadrata* (num. 56.) cum inſcriptione: *Signum Imperatoris*, mox vero *circularia* (num. 57.) cum duplici epigraphe orbiculari, iis adiungi iuſſerunt. In area circularium ſignorum, quae *rotae* dicebantur, primo crux, deinde arma ſeu inſignia regnorum expreſſa ſunt. Prioris generis eſt illud, quod in tabula (num. 57.) aeri incidendum curauimus. Inſcriptio eius interior haec eſt: *Signum Ferrandi* (Ferdinandi III. ab A. 1230-1252.) *Regis Caſtelle & Toleti, Legionis & Gallicie*; exterior autem haec: *Lupus Didaci de Faro Alferiz Domini Regis confirmat. Gonçalvus Roderici maior domus curie Regis confirmat.* Vid. ipſum diploma, A. 1230. datum, in *Nouveau Traité de Diplom.* in Tab. 71. Aliud eiuſdem generis ſignum idque maximi moduli in eiuſdem operis diplomatici Tab. 73. exhibetur. Poſterioris autem generis exempla tria, eaque omnia maximi moduli ibidem, in Tab. 76. exſtant. Ab his rotis ipſa diplomata in lingua Hiſpanica *los privilegios rodados* appellata ſunt. Atque haec ſigna quadrata & circularia ſaeculis potiſſimum XIII. & XIV. in vſu fuerunt. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 753. ſq.

§. 306.

De monogrammatibus Principalibus.

Hactenus de imperialibus & regiis monogrammatibus dictum eſt. Iam ſequitur, vt de reliquis monogrammatum generibus, quam fieri poteſt, breuiſſime exponamus. Ac in *principalibus* quidem *monogrammatibus* ea potiſſimum commemoranda ſunt, quibus *Salernitani*, *Beneuentini*, & *Capuani Principes*, itemque *Marchiones Tuſciae* fuerunt vſi, quorumque permulta exempla in *Muratorii* Antiquitatibus medii aeui exſtant. Monogrammata haec omnia fere linearia cruciformia, eaque nominalia ſunt, praeter monogrammata quaedam Iordanis I. & Richardi II. quorum illa (num. 58.) quadriformia literalia, N pro fundamento habentia, haec cruciformia quidem, at ſimul mixta ſunt (num. 59.).

1. *Waimarius*, Salernitanus Princeps & Imperialis Patricius, vid. diploma, A. 899. datum, ap. MVRATOR. T. I. p. 181. Ibidem T. III. p. 107. exhibetur monogramma *Guaimarii* excellentissimi Principis Salernitani, incerti anni, cum formula indicationis: *Signum* (loc. monogr.) *Domni Guaimarii excellentissimi Principis.*

2. *Landulfus I.* Beneuenti Princeps, qui circ. A. 944. ad hanc dignitatem peruenit, & cui MVRATORIVS T. III. p. 98. sq. monogramma tribuit cum hac formula indicationis: *Signum Domni* (loc. monogr.) *Landulfi excellentissimi Principis.* Eidem Principi tribuenda videntur etiam duo monogrammata, quae MVRATORIVS l. c. p. 99. exhibuit.

3. *Atenolfus* s. *Atenulfus*, incertus Princeps Beneuentanus s. Capuanus. Eius monogramma vna cum monogrammate *Landolfi* ap. MVRAAOR. T. III. p. 102. exstat. Formula indicationis haec est: *Signum* (locus duorum monogrammatum) *Domnorum nostrorum Landolfi & Atenolfi glorioforum Principum.* Atenolfi solius monogrammata etiam ibid. T. III. p. 99. & p. 103. exstant, cum formula: *Signum* (loc. monogr.) *Domni Atenolfi glorioſi* (al. *sereniſſimi*) *Principis.*

4. *Landenolfus*, Princeps Capuanus. Monogramma eius, quod diplomati, A. 987. dato additum est, vid. in MVRATOR. T. V. p. 775.

5. *Laydulfus*, Princeps Capuanus. Monogramma A. 995. ap. MVRATOR. T. III. p. 101. exstat, item T. V. p. 777.

6. *Paldolfus*, Princeps Capuanus. Monogramma eius, anni 1025. vid. in MVRATOR. T. III. p. 103. item p. 101. Posteriori loco exstant etiam duo monogrammata incertorum Principum Beneuentanorum s. Capuanorum, cum formula indicationis: *Signum Domni* (loc. monogr.) *Paldolfi, & Signum Domni* (loc. mon.) *Landolfi glorioſiſſ. Principum.*

7. *Pandulfus*, Princeps Capuanus. Monogramma A. 1055. cum formula indicationis: *Signum* (loc. mon.) *Domni Pandolfi Principis*, vid. ap. MVRATOR. T. III. p. 101.

8. *Richardus I.* Princ. Capuanus. vid. eius monogramma A. 1065. in MVRATOR. T. III. p. 103.

9. *Ior-*

9. *Iordanus* s. *Iordanes I.* Princeps & Dux Capuanus. Eius monogrammata duplicis generis sunt; alia linearia cruciformia, cuiusmodi sunt, quae diplomatibus, A. 1070. 1085. 1087. datis, adiuncta sunt, ap. MVRATOR. T. V. p. 781. T. III. p. 105. T. V. p. 783: alia sunt literalia quadrata, quorum exemplum, ex dipl. A. 1078. ap. MVRATOR. T. III. p. 107. depromtum, exstat in Tab. nostra aen. VIII. num. 58.

10. *Richardus II.* Princeps Capuanorum. Monogrammata eius omnia quidem linearia cruciformia sunt, sed in hoc tamen inter se diuersa, quod alia, praeter nomen *Richardus* & notam numeri binarii *II*, etiam literam *F* inuersam, tamquam figlam vocis *Filius* (scil. Iordani I.) in imo habent (num. 55.) alia vero non habent. Prioris generis exempla habet MVRATORIVS ad an. 1087. & ad an. incertum, T. V. p. 783. & T. III. p. 111; posterioris autem specimina *idem* ad an. 1101 & 1103, T. V. p. 779. exhibuit. Formulae indicationis sunt: 1) *Signum praedictorum* (scil. Iordani, & filii eius Richardi) *glorioſorum Principum.* 2) *Signum Domni ſecundi Richardi* (loc. monogr.) *glorioſiſſimi & magnifici Principis.* 3) *Signum Domni ſereniſſimi* (pro *ſereniſſimi* sine dubio vel auctor, vel typographus ponere debuit *ſecundi*) *Richardi* (loc. monogr.) *glorioſiſſimi & magnifici Principis.* 4) *Signum Domni ſecundi Richardi* (loc. mon.) *ſereniſſimi & magnifici Principis.*

11. *Robertus*, Princeps Capuanus. Eius monogramma, cum formula: *Signum Domini Roberti* (loc. monogr.) *glorioſi Principis Capuae*, MVRATOR. T. I. p. 951. ad an. 1109. exhibuit.

12. *Iordanus II.* & *Robertus II.* Principes Capuani. Horum bina monogrammata in MVRATOR. T. III. p. 105. ad an. 1125. exstant, cum hac formula: *Signum Domni* (locus prioris monogr.) *Iordani ſecundi Principis Capuani, & Roberti* (loc. posterioris monogr.) *filii eius.*

13. *Mathilda*, magna Comitissa, filia Bonifacii, Ducis & Marchionis. Eius monogramma, si modo hoc nomine dignum est eius signum, quod in Tab. nostra VIII. num. 61. exhibemus, in MVRATOR. T. VI. p. 71. ad an. 1102. exstat.

14. *Rabodo*, Marchio Tusciae. Vid. num. 60. quod quidem exemplum ex MVRATOR. T. I. p. 315. ad an. 1117. depromsimus.

§. 307.

De Comitum, Nobilium, Magistratuum & Notariorum monogrammatibus.

I. Monogrammata *Comitum.* Huius generis duo in Tab. aen. VIII. attulimus, scil.

1. Monogramma *Luitfridi* (num. 64.), quod est literale duplex interruptum, literas fundamentales L & F habens, cum formula indicationis: *Signum* (loc. monogr.) *illustris Comitis & filiorum eius Hunifridi Luitfridi & Hugonis.* Diploma, cui addebatur monogramma, datum est A. 903. & publicatum ab ECCARDO in Origin. Habsburgo-Austr. (ex *Guillimanno*), p. 144.
2. Monogramma *Roberti*, lineare cruciforme, ex dipl. A. 1094. dato, cum formula indicationis: *Rodbertus* (loc. monogr.) *Comes manu propria me subscripsi*, ap. MVRATOR. T. III. p. 107. Eodem loco aliud eiusdem Comitis monogramma, cum formula: *Signum Domni* (loc. monogr.) *Comitis.* Additi sunt vocabulo vltimo *Comitis* quinque circelli, crucem referentes, & punctum pro centro habentes.

II. Monogrammata *Nobilium.* Exempli loco (num. 63.) ex MVRAT. T. III. p. 109. allatum est monogramma nobilis viri *Robberti*, Limessani Castri Domini, quod lineare cruciforme idque mixtum est; exprimit enim praeter nomen *Rubberti* vocabulum *Signum.* Diploma, cui adiiciebatur, exaratum est A. 1109.

III. Monogrammata *Magistratuum.* Eorum exemplum esse poterit monogramma lineare cruciforme idque mancum Consulis *Adriani* (num. 65), qui in diplomate, A. 934. dato, ap. MVRATOR. T. III. p. 240. inter hos testes subscriptus est:

"Iohanne Subdiaconus & Primicerius Schole Cantorum manu sua „*roborauit*, & testes subscribendos rogauit.
„Testes V R S B.
„Sergius S B.
„Iohannes Consul.
„Rodulphus Consul.
„(loc. monogr.) Consul.
„Adrianus Scriniarius & Tabellio vrbis Romae compleuit & absoluit."

IV. Mono-

IV. Monogrammata *Notariorum*. Huius generis est monogramma *Nicolai*, quod supra p. 166. attulimus.

---

§. 308.

De Pontificum Romanorum monogrammatibus.

Explicatis his, quae ad monogrammata *personarum ciuilium* s. *politicarum* pertinent, sequitur, vt de monogrammatibus *personarum sacrarum* s. *ecclesiasticarum*, hoc est, Pontificum Romanorum, Episcoporum, Abbatum, Monachorum &c. breuiter agamus (§. 272.). Ac *pontificalium* quidem monogrammatum duo genera in Tab. nostra VIII. num. 69-74 allata sunt, *parietaria* nempe & *diplomatica*.

I. *Parietaria*, hoc est, ex aedibus sacris, non ex diplomatibus depromta monogrammata, pontificalium omnium antiquissima sunt. Attulimus huius generis tria, scil.

1. *Xisti* (*Sixti*) *III.* (ab A. 431-440.), literale cruciforme Andreanum, idque titulare, immo mixtum, exprimens 1) monogramma Christi ☧, 2) siglam nominis *Xistus*, 3) titulum *Papa* (num. 69.).
2. *Leonis III.* (ab A. 795-816.), literale cruciforme Andreanum, idque mixtum exprimens 1) monogramma Christi & 2) nomen *Leo* (num. 70.)
3. *Leonis III.* aliud, nempe lineare cruciforme, idque mixtum, exprimens 1) monogramma Christi, 2) nomen *Leo*, 3) titulum *Papa* (num 71.).

(*) Plura huius generis monogrammata in CANGII Glossario ex *Nicolai Alemanni* libro de Lateranensibus Parietinis Cap. III. allata sunt.

II. *Diplomatica* Pontificum Romanorum monogrammata in tres potissimum formas s. species dispertiri possunt, cuiusmodi sunt

1. *titularia*, omnium rarissima. Exemplo esse poterit monogramma *Siluestri II.* (A. 999-1003.) literale quadratum, pro fundamento literam M habens, &, quantum mihi quidem videtur, praeter nomen, integrum titulum, qui ei in ipso diplomate tribuitur, hoc est, verba: *Siluester seruus seruorum Dei Apostolicae Sedis Episcopus*, aut certe alia his similia, exprimens. Vid. Tab. nostr. VIII. num. 72. Formulae monogrammaticae sunt: 1) *Manu nostra subter firmauimus & nostro sigillo signauimus.* 2) *Siluester*.....

Episcopus (loc. monogr.)..... *& Sanctae Mariae Virginis Dei Genitricis manu propria corroborauimus.* Diploma hoc, A. 1001. datum, quod ideo etiam notatu dignum est, quod monogrammati Pontificis Romani simul monogramma Ottonis III. Imperatoris subiectum fuit, exstat in MVRATORII Antiquit. medii aeui T. V. p. 991.

2. *verbalia*, quae verba: *Bene Valete*, monogrammate literali quadrato, eoque coarctato, tres literas B A E pro fundamentalibus habente, exprimunt. Exemplum habes in Tab. nostra VIII. num. 74. ex SCHANNATI Vindic. Tab. II. num. 1. depromtum. Bulla *Leonis IX.* (ab A. 1049-1055.), cui hoc monogramma adiunctum est, data fuit anno primo (A. 1049.) huius Pontificis, qui, quod notabile est, hoc monogrammatum genus primus introduxit: nam eius praedecessores vocabula *Bene Valete* literis maiusculis sine coarctatione bullis suis adscribenda curarunt, id quod ex bullis *Benedicti III.* (ab A. 855-858), *Nicolai I.* (ab A. 858-867.), & *Iohannis XIII.* (ab A. 965-972.), ap. MABILLON. in Tab. 48-50. item ex bullis *Benedicti IX.* (ab A. 1033-1044.) & *Clementis II.* (ab A. 1046-1048.), in SCHANNATI Vindic. Tab. I. num. 1 & 2. satis dilucide cognoscitur. *Leonis IX.* successores verba *Bene Valete* pariter ad modum monogrammatis coarctati exhibuerunt, vt patet ex bullis *Alexandri II.* (ab A. 1061-1073.), in SCHANNATI Vindic. Tab. II. num. 2. *Paschalis II.* (ab A. 1099-1118.), in MABILLONII Tab. 51. num. 1. *Innocentii II.* (ab A. 1130-1143.), in HEINECCII Antiqu. Goslarienf. p. 143. & *Adriani IV.* (ab A. 1154-1159.), ap. HEINECC. l. c. p. 153.

3. *mixta.* Refero huc *orbiculos*, quos dicunt, *Pontificales*, perpetuos illos verbalium monogrammatum, de quibus modo dictum est, comites. Horum orbiculorum, vt verbalium monogrammatum, auctor est *Leo IX.* cuius orbiculus (num. 73.), ex SCHANNATI Vindic. Tab. II. num. 1. depromtus, exprimit 1) crucem, monogrammatis fundamentum interius, 2) nomen & titulum, *LEO. P.* (Papa), quae quatuor literae quatuor crucis angulis insertae sunt, 3) duplicem circulum, monogrammatis exterius fundamentum, cum epigraphe orbiculari: *Dni* (Domini) *Mia* (misericordia) *plena e* (est) *tra* (terra). Eiusmodi orbiculis etiam *Leonis IX.* successores

vsi

vsi sunt, nisi quod inde ab *Vrbani II.* († 1099.) temporibus, praeter nomen & sententiam suam, etiam *Petri* & *Pauli* nomina orbiculorum areae indiderint. Vid. specimina in MABILLONII Tab. 50. sq. SCHANNATI Vindic. Tab. II. & in HEINECCII Antiquit. Goslar. p. 143 & 153. Conf. etiam MABILLON. L. II. c. X. §. 14. item c. XXII. §. 11.

(*) Ad ea, quae de verbalibus & mixtis Pontificum Romanorum monogrammatibus dicta sunt, pertinent quoque illa, quae *auctor* ἀνώνυμος *syntagmatis dictandi*, qui saec. XI. vel XII. viuebat, hunc in modum pronuntiauit: *Habent autem priuilegia* (Paparum) — *monogramma in fine huiusmodi B-E, quod est Bene Valete.* — *Consueuerunt praeterea in extremo margine priuilegii quosdam insignire orbiculos, Antistitis nomen, & pauca quaelibet diuina verba continentes in hunc modum.* Vid. supra p. 26.

§. 309.

De Episcoporum, Abbatum & Monasteriorum monogrammatibus.

Episcopos etiam pariter, atque *Abbates* tam suo, quam *monasteriorum* suorum nomine, monogrammatibus vsos esse, nemo, qui diplomata eorum versauit, facile ignorauerit. MABILLONIVS certe, locupletissimus huius rei testis, vtrumque monogrammatum genus sibi obuium fuisse, his verbis, L. II. c. XXII. §. 10. testatur: "In priuatis „chartis item *Episcopi* eodem fere modo (sicut in literis synodicis) „nomina sua apponebant, aut certe apponi curabant, vel eorum loco „*nominis sui monogramma*, quale habetur *Walteri, Episcopi Cabillonen-*„*sis*, apud Perardum & Chiffletium: *Ruotperti Mettensis* & *Adalbero-*„*nis*, item *Mettensis* pro Sancti Arnulfi: & *Rotgeri Catalaunensis* pro „Sancti Petri monasteriis in eorum archiuis. Sed & *Abbates* quandoque „monogrammate vtebantur, vt *Nicolaus, Abbas Corbeiensis*, in charta „anni MCLVII". Ego vero ne ἀσύμβολος ab hoc loco discederem, huius etiam generis exempla aliquot in Tab. VIII. num. 75-79. aeri incidenda curaui, quae paucis explicanda sunt.

1. *Gualterii*, Archiepiscopi Rauennatensis, monogramma (num. 75.) literale quadriforme, idque titulare est, pro fundamento literam N habens. Exprimit 1) nomen *Gualterius* & 2) titulum *Rauennatensis Eps* s. *Archieps* (Episcopus s. Archiepiscopus), vel etiam *Praesul*

Praesul Rauennas. Diploma ipsum, ad quod pertinet monogramma hoc A. 1141. datum, & a MVRATOR. in Antiqu. medii aeui T. V. p. 159. publicatum est. In clausula diplomatis ante subscriptiones ipse Gualterius de se profitetur: "Ego Gualterius Archiepisco„pus hanc notitiam confirmans, *quia manu propria non potui, sub„scribi mea vice precepi*".

2. *Hugonis II.* Episcopi Nouiodunensis, monogramma (num. 76.) lineare cruciforme est, idque titulare, exprimens: *Eps* (Episcopus) *Hugo.* Vid. diploma, A. 1031. datum, in GVY COQVILLE *Histoire du Pays & Duché de Nivernois* (Paris 1612. 4.) p. 61.

3. *Iohannis*, Triuentinae Sedis Episcopi, monogramma (num. 77.) lineare cruciforme, idque mixtum est, exprimens 1) vocem Signum, 2) nomen *Ioannis*, 3) titulum *Epi* (Episcopi). Vid. diploma, A. 1109. datum, in MVRATORII Antiqu. medii aeui T. III. p. 109.

4. *Martini*, Abbatis, monogramma (num. 78.) literale quadriforme, idque nominale est, habens pro fundamento literam M, initialem nominis *Martinus*. Diploma, circ. A. 1046. datum, habet MVRATOR. l. c. T. III. p. 765.

5. *Erkenberti*, Corbeiensis Abbatis, monogramma (num. 79.) literale angulosum est, idque nominale, exprimens nomen *Vitus*, qui patronus Ecclesiae Corbeiensis est. Formula indicationis haec est: *Signum sci* (sancti) *uiti mtris* (martyris). Diploma, ad quod hoc monogramma pertinet, A. 1120. datum, & a FALCKIO in Cod. Tradition. Corbeiens. p. 215. publicatum est. Aliud eiusdem generis monogramma idem FALCK. pag. 58. exhibuit. Sunt autem omnia haec monogrammata, quoniam non Abbatum, sed Patronorum Ecclesiarum nomina continent, *monastica* potius, quam *abbatialia* dicenda.

§. 310.

De monogrammatibus femininis.

Sed *feminae* etiam, quod vltimo loco adhuc commemorandum est, monogrammata sibi adoptarunt, quamquam hoc rarissime factum est. Ex Reginis iisque Merouingicis, *Nantechildis* & *Chrodechildis* (§. 293.),

ex

ex Principibus autem *Mathildis* (§. 306. num. 13.) huc pertinent. MABILLONIVS L. VI. num. 182. attulit diploma *Adelaidis*, Galliae Reginae, A. 1153. datum, in cuius epilogo haec leguntur: "Ne „diuturnitate temporum huiusmodi rerum memoria possit deleri, lite„rarum memoriae tradi, sigilli nostri auctoritate roborari, & *nominis „nostri annotatione firmari* praecepimus". Cauendum autem esse, ne ex verbis postremis concludatur, Reginam hanc monogrammate vsam esse, iam monuerunt doctissimi auctores noui operis diplomatici (*Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 733. sq.) Verba enim haec vel de formula: *Signum Adelaidis Reginae*, manu notarii scripta, vel potius de inscriptione nominis, sigillo addita, intelligenda sunt. HEVMANNVS, vir beatus, in commentariis de re diplomatica Imperatricum Augustarum ac Reginarum Germaniae locum hunc de monogrammatibus femininis, nescio quibus rationibus inductus, praetermisit.

CAPVT VI.

SPHRAGISTICA.

* OLIVAR. VREDII Sigilla Comitum Flandriae & inscriptiones diplomatum. Brugis 1639. f.

THEODORI HOEPINGK de Sigillorum prisco & nouo iure tractatus. Norib. 1642. 4.

HENR. GVNTH. THVLEMARIVS de Bulla aurea, argentea, plumbea. Heidelb. 1682. 1687. 4. it. Francof. 1697. f.

IO. MICH. HEINECCII de veteribus Germanorum aliarumque nationum sigillis syntagma historicum. Lipſ. 1709. (nou. tit. & praef. 1719.) f.

PHILIBERTI HVEBERI Austria ex archiuis Mellicensibus illustrata. Lipſ. 1722. f.

POLYC. LEYSER de Contrasigillis medii aeui. Helmst. 1726. 4.

LVDOV. ANTON. MVRATORII Dissertatio de Sigillis medii aeui, in eius Antiquit. medii aeui T. III. (Mediol. 1740. fol.) diss. XXXV. p. 83. sqq.

DOMENICO MARIA MANNI Osservazioni istoriche sopra i sigilli antichi de' secoli bassi. in Firenze T. I-XI. 1739-1749. 4.

AD. FRID. GLAFEY Specimen decadem sigillorum complexum, quibus historiam Italiae, Galliae atque Germaniae illustrat. Lipſ. 1749. 4.

Nouveau Traité de Diplomatique T. IV. p. 1-443.

I) SPHRAGISTICA GENERALIS.

§. 311.

Sigillorum & Sphragisticae definitio.

Sigilla quum sint signa, quae diplomatibus maioris roboris ac fidei causſa accedunt; patet, sigillorum doctrinam, quae *Sphragistica* recte dicitur, in partibus *Semioticae* numerandam esse (§. 229.).

§. 312.

Verbi sigillum homonymia.

Sigillum non vno sensu dicitur: denotat enim non modo signum ipsum, diplomatibus impressum, vel appensum, verum etiam typarium s. instrumentum signatorium, quid? quod ipsum quoque diploma, sigillo instructum; quae diuersae notiones etiam in *bullae* vocabulum cadunt. Interdum sigilli vox, quamquam rarius pro paruo aliquo simulacro, aut pro lapide sepulcris reliquiarum suppositio, item pro cruce oblatis eucharisticis impressa, omnique crucis signaculo accipitur. Vid. HEINECCIVS de sigillis p. 16-18. & *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 8. sq.

§. 313.

Vocabuli sigillum synonyma.

Sigilla haud raro *aliis nominibus* appellata sunt, quorsum pertinet primo vox *signum*, quod ab antiquissimis inde temporibus vsque ad saec. V & VI. eamdem vim, quam sigillum, habuit: sed progressu temporis cruces potissimum & monogrammata, immo subscriptiones cuiuscumque generis signa vocata sunt, ita tamen, vt saeculo adhuc XIV. signum idem, quod sigillum, fuerit. Deinde sigilla etiam *bullae*, item *bullae cereae*, *signeta*, *signacula*, (*) *impressiones*, *secreta* dicta sunt. Antiquissimum vero sigillorum nomen est *annulus*, seu, vt aeuo medio plerumque scribebatur *anulus*, Graece δακτύλιος & σφραγὶς. Durauit hoc nomen ad saeculum vsque X. ex quo quidem tempore vocabulum *sigillum* prae ceteris vsu receptum fuit. *Characterium* vero

&

& *cauterium* iniuria inter sigilli synonyma referuntur. HEINECCIVS l. c. p. 18. sq. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 9-12.

(*) Dicuntur etiam sigilla *imagines*, vel potius *imaginis impressio*, item *imaginis signum*. Exempla habet *Chronicon Gottwic.* p. 105. & LINDENBROG in Priuileg. Eccles. Hamburg. num. 45. p. 155.

§. 314.

De sigillorum antiquitate & de populis, qui iis vsi fuerunt, & ex parte nunc quoque vtuntur.

Etsi sigilla, Seneca quidem iudice, turpis humano generi fraudis ac nequitiae publicae confessio sunt; ter mille tamen amplius sunt anni, ex quo annulis plus, quam animis credere maluerunt homines; neque vlla fuit natio paullo moratior, quin sigilla, aut certe aliud quidquam, iis simile, pactis firmandis adhiberet. *Hebraeos* iam patriarchae Iacobi aetate sigillis vsos, ex Gen. XXXVIII. 18. coniiciunt. Certiora sunt, quae ex Exod. XXVIII. 11. Cant. VIII. 6. 1. Reg. XXI. 8. & Ier. XXXII. 10. afferuntur. Quamquam ex his locis, qualia fuerint Hebraeorum sigilla, non constat: est tamen veri simillimum, ea figuris imaginibusque caruisse. *Aegyptios*, si non in aliis negotiis, in sacris tamen, sigilla adhibuisse, ex Gen. XLI. 42. item ex Herodoto & Plutarcho, contra Plinium ostendere volunt. Sed sua etiam *Babyloniis*, *Medis* ac *Persis* sigilla fuerunt, id quod ex Dan. VI. 8. 12. 15. 17. Esth. I. 18. & VIII. 8. item ex Curtii VI. 6. & Polyaeni Stratag. VIII, patet. Idem institutum *Cyrenensibus* quoque, vt alios omittam, placuisse Aelianus Hist. var. XII. 30. testatur. *Graeci*, inprimisque *Lacedaemonii*, initio ligna a vermibus exesa, quae σφηκώδεα & σφηκόβρωτα vocabant, typariorum loco ad signandum adhibuerunt: donec circa Olympiada LIII. annulos signatorios, & inde ab Olympiade LXII. gemmea quoque sigilla introduxissent. *Romanis* sigillorum vsum nemo, nisi qui doctyliologiae & sphragisticae plane expers est, abiudicabit. Continuarunt hanc signandi consuetudinem non modo *Byzantini* Caesares & Patriarchae, verum etiam *Franci*. Reliquos vero *Germaniae* populos, & in his *Boioariorum*, *Thuringorum* & *Saxonum* Regulos iam ante Caroli M. aetatem sigillis vsos tradunt, idque non tam ex eorum diplomatibus, quam potius ex literis, quos ad exteras gentes misissent,

ab iisque viciſſim accepiſſent, probare volunt. *Wiſigothos* Hiſpanorum Reges iam ſaeculo VII. diplomatibus ſigilla adiunxiſſe, haud incredibile eſt. Sua etiam *Langobardis* ſigilla fuerunt. Quam ſero *Anglo-Saxones* ſigillis vti coeperint, iam ſupra (§. 259. p. 188. ſq.) dictum eſt. Sed ad *Vngaros* quoque, item ad *Ruſſos*, *Danos*, *Suecos*, *Polonos*, *Siculos* cet. ſigillorum vſus propagatus eſt. Signant etiam *Turcae*, *Perſae* & *Indi*, ſed ab omni ſimul imaginum genere abhorrent: contra *Sinae*, *Iapanenſes* & *Abeſſini* imaginibus delectantur. Vid. HEINECC. p. 20-30.

§. 315.

Sphragiſtica ars noua.

Licet ſigilla, vt ante (§. 314.) vidimus, in rebus antiquiſſimis numeranda ſint, eorum tamen doctrina, quam beatiſſimus vir, IO. HEVMANNVS appoſite ad rem ipſam, *Sphragiſticae* nomine inſigniuit, patrum demum noſtrorum aetate inuenta eſt. Primus ſcilicet Sphragiſticam IO. MICH. HEINECCIVS ad artis formam aliquam redegit, cuius egregium opus a multis, inprimiſque a POLYC. LEYSERO in Commentat. de contraſigillis medii aeui, haud poenitendis acceſſionibus locupletatum eſt. Quam multa vero hodie inuentis eorum addi poſſint, & nos in oratione de artis diplomaticae difficultate p. 20. ſqq. oſtendimus, & nobiliſſimi auctores noui operis diplomatici re ipſa demonſtrarunt: quamquam ne nunc quidem omnia, qnae deſiderari poſſunt, praeſtita eſſe exiſtimo, id quod vel ex eo, quem ipſe poſſideo, ſigillorum haud exiguo apparatu demonſtrare poſſem, niſi anguſti, quibus liber hic circumſcribendus eſt, fines id prohiberent.

§. 316.

De typariis ſ. inſtrumentis ſignatoriis, eorumque cuſtodia.

Antiquiſſimum typariorum genus, ſi ad aeuum medium reſpexeris, *annuli* ſunt, quippe quibus & Merouingides & Carolidae, quid? quod nonnulli etiam ex eorum ſucceſſoribus vſi ſunt. *Sigillorum* nomen, quatenus typariis tributum eſt, inde a ſaeculo X. potiſſimum inualuit. Interiecto deinde tempore annuli quoque redierunt, ſed aliis nominibus inſigniti. Sunt enim nunc *ſigilla minora*, nunc *contraſigilla*, nunc ſigilla *ſecreta* ſ. *ſecreti*, item *ſigneta* cet. appellati. Atque horum origines

gines ad saeculum XII. vel etiam XI. referunt. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 9. item p. 12. sq. *Custodia* typariorum numquam non viris, & munerum dignitate, & integritatis laude conspicuis demandata fuit. Apud Graecos, vt hoc vtar, typarii tam imperialis, quam patriarchalis custodes *Logothetae* fuerunt. Meroueadum annulos *Referendarii* custodierunt, in quorum locum quum deinde Carolidis imperantibus *Cancellarii* successissent, penes hos annuli quoque regii curam fuisse, haud incredibile videtur, licet iis absentibus *Comes Palatii* annuli custos fuerit. Sigilla ecclesiarum non minori diligentia asseruata sunt. Neque hoc cuiquam obscurum esse potest, instrumenta signatoria, ne in manus impostorum veniant, inde ab antiquissimis temporibus vel cum ipsis possessoribus terrae mandari, vel inter caerimonias funebres frangi, vel alio modo a callidis falsariorum manibus secura praestari ac salua. Interdum Principes morituri sigilla sua virginum sacrarum sodalitatibus, a quarum integritate nihil fraudis metuebant, testamento legarunt. HEINECCIVS p. 13-15. Conf. etiam *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 418-421. item p 434-438. Quae quidem si quis considerauerit, habebit sane, quod miretur, qui factum sit, vt ducenta nonaginta typaria in vnius hominis priuati, SERTORII VRSATI, Nobilis Veneti († A. 1678.), manus venire possent, quae postea ad STRICKERVM, Consulem confoederati Belgii apud Venetos, ab hoc vero ad mercatorem Norimbergensem, GEISELIVM peruenerunt, a quo ea aere suo EVCHAR. GOTTL. RINCK, Antecessor apud Altorfinos olim primarius, redemit, morienseque filiae suae vnicae, vxori ADAMI FRID. GLAFEY, Polon. Regis & Elect. Saxoniae a consiliis aulae & iustitiae, vt & ab archiuis secretioribus, Dresdae haud ita pridem mortui, reliquit. Atque ex hac formarum signatoriarum collectione specimen illud, quod in fronte huius capitis laudauimus, exstitit: quamquam b. IO. HEVMANNVS paullo ante Glafeyum semicenturiam horum sigillorum Opusculis suis coronidis loco subiecit. Heumannus scilicet de formis Rinckianis cerea sibi finxit ectypa, eo quidem consilio, vt illa aliquando, obseruationibus suis illustrata, cum orbe erudito communicari possent. Sed immortuus, proh! dolor, huic consilio, horum ectyporum apparatum viduae suae, matronae non sexus tantum sui ornamentis, sed eruditionis etiam multiplicis laude illustri, reliquit, a qua mihi, dum haec scribo, spes facta est, hanc collectionem, insigne profecto, & suae, & mariti sui beatissimi beneuolentiae monimentum, accipiendi.

§. 317.

De typariorum materia.

Varia autem fuit *materia*, ex qua typaria confecta sunt. Huc *metalla* potissimum, *gemmae* & *ebur* referri debent. Ac *gemmis* quidem non modo veteres Aegyptii, Graeci, Etrusci, ac permulti alii antiquitatis populi, sed etiam mediae aetatis homines vsque ad saeculum XII. ad signandum vsi fuerunt. Ex *ebore* autem antiquissima Danorum sigilla, & pauca alia, in quibus est illud, quod sub finem saeculi XI. commemoratur, sigillum S. Trinitatis Domus, confecta sunt. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 16-18. Constat denique, Principes quosdam, & in his etiam *Carolum M.* item *Robertum*, *Dominum de Vitré* ad an. 1160. *gladio* s. *ense* suo diplomata signasse, hoc est, typarii loco pomum s. pilam, manubrio ensis praefixam adhibuisse. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 23.

§. 318.

De typariorum variatione.

Principes aliique etiam homines pluribus saepe ac *diuersis* inter se *typariis* & olim vsi sunt, & nunc quoque vtuntur. Non iam de eo discrimine, quod inter typaria bullarum, sigillorum cereorum eorumque maiorum, & contrasigillorum ceterorumque minoris formae sigillorum necessaria quadam ratione intercedere solet, sed de varietate, quae inter plures eiusdem Principis bullas, vel etiam inter plura eiusdem hominis sigilla obseruatur, loquor. Sic, vt hoc vtar, Friderici II. Imperatoris bullae tam pondere, quam inscriptione inter se inuicem discrepant, & Rudolphi I. Habsburgici octuplicis generis sigilla afferuntur, quorum quinque priora, quum adhuc Comes esset, tria vero posteriora, postquam Rex Romanorum factus erat, vsurpauit. Eadem typariorum varietas in sigillis Praesulum, Nobilium, cet. deprehenditur. Possunt vero plures huius *variationis cauſſae* commemorari, quarum aliae ab ipsis typariis, aliae ab eorum possessoribus repetendae sunt. Illa scilicet nunc casu aliquo, vt fit, amittuntur, nunc longo vsu, vel vitium aliquod contrahunt, vel penitus pereunt: hi vero mox dignitate aliqua, mox terra vel dominatione noua augentur. Praeterea Insignium quoque gentilitiorum mutatio, quae inde a saeculo XIV. haud

raro

raro accidit, item falsariorum ausus temerarii, qui admodum genuinorum sigillorum falsa typaria effinxerunt, mutandis subinde typariis locum fecerunt. Principio diplomata mutatorum typariorum nullam fecerunt mentionem, sed saeculo XII. ex quo quippe tempore diplomatum praecipuum robur in sigillis ponebatur, coeperunt variationem typariorum commemorare, ne qua impostoribus chartarum singendarum occasio daretur. Eodem consilio Principes, si forte typarii iacturam fecissent, omnes sibi subiectos edicto singulari monebant, priuati autem, quibus idem euenit, in iudicio profitebantur, irritum esse, quidquid inposterum typario eiusmodi signatum, proditurum esset. In restituendis autem typariis, vsu detritis, id potissimum operam dederunt, vt noua typaria a prioribus nulla re discreparent, vel si sculptoris oscitatione a pristina figura fuisset aberratum, omnibus rem notam facerent. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 430-436. & HEINECC. p. 13. sq.

§. 319.

De sigillorum auctoritate, eiusque tribus epochis.

Quanta vis atque *auctoritas* sigillorum & olim fuerit, & nunc quoque sit, nemo, opinor, ignorabit. Principum certe *leges* pariter, atque *formulae sphragisticae*, in diplomatibus obuiae, sigilla inter praecipua diplomatum *sollemnia* (§. 5.) commemorant. Haec vero non eo valent, quasi falsa sint diplomata, quibus nulla adiuncta sigilla fuerunt. Maximus enim diplomatum numerus est, quorum sollemnia non in sigillis (§. 4 & 5.) sed in aliis rebus, v. gr. in crucis signis (§. 259.), in certo aliquo testium numero, in chartarum partitione vel indentura (§. 260. p. 190.), cet. posita fuerunt. Sigilla igitur, quantamcumque auctoritatem habeant, non ad ipsam veluti essentiam diplomatum pertinent. Vt vero rectius de sigillorum auctoritate ac pretio pronuntiari possit, *tres epochas* distinguendas esse existimo. In *prima epocha*, quae ad saeculum vsque VIII. decurrit, vsus sigillorum necessarius atque vniuersalis fuit, ita quidem, vt ipsae leges diplomata, quae non subscripta sigillisque munita essent, pro infectis declararent. In *altera epocha*, quae a saeculo VIII. ad medium vsque saeculum XII. computanda videtur, sigillorum vsus restrictior & quodammodo arbitrarius fuit, crucis enim signa aliaque sollemnium genera sigillorum loco in

quam-

quamplurimis diplomatibus horum temporum fuerunt. Quare factum est, vt diplomata eiusmodi, etiamsi non signata erant, in iudiciis tamen admitterentur, & a Regibus confirmarentur. In *tertia epocha*, hoc est, a medio saeculo XII. vsque ad saeculum XV. pristinus sigillis honor quasi restitutus est: ex hoc enim tempore tam Principes, quam Episcopi & Abbates, itemque Nobiles, quid? quod priuati etiam sigilla sibi adoptarunt, tantaque omnino sigillis auctoritas tributa est, vt nullum diploma, nisi quod signatum esset, pro legitimo haberetur, ipsaque adeo sigilla omnium fere sollemnium locum tenerent. HEINECC. p. 9. sqq. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 422-425.

§. 320.

Sigilla confirmationis, subscriptionis ac testium loco vsurpata.

Eo ipso tempore, quo pleraque diplomata, vt paullo ante (§. 319.) dictum est, sine sigillis comparebant, tanta nihilominus sigillorum auctoritas fuit, vt ea sola *chartis* donationum *confirmandis* sufficere crederentur. Vt scilicet sumtibus laboribusque, qui scribendis chartis nouis impendendi erant, parceretur, rogati Reges ac Principes fuerunt, vt diplomatibus iam antea scriptis, sigilla tantum sua adderent, quibus solis chartas priores confirmari posse existimabant. Atque haec consuetudo ideo quoque notatu digna est, ne pro commentitiis falsisque diplomatibus habeantur ea, quae interiecto demum aliquo tempore signata reperiuntur. Sed *subscriptionum* etiam ac *testium* vicem sigilla suppleuerunt: cuius quidem moris vestigia aliqua, iam Merouingorum ac Carolidarum aetate cernere licet, frequentiora autem inde a saeculo XI. vsque ad saeculum XV. apparent. Quare nemini hoc mirum videri debet, si quando vni eidemque diplomati decem, vel viginti, vel plura etiam sigilla appensa videat. Singulare tamen in hoc genere & vnicum sine dubio exemplum praebet querula Bohemorum epistola, Concilii Constantiensis patribus A. 1415. d. 30. Decembris oblata, quippe quae CCCL. sigillis munita erat. *Nouveau Traité de Dipl.* T. IV. p. 425-430, item p. 410-415.

§. 321.

§. 321.

De sigillis spuriis.

Etsi in sigillorum *falsarios* grauissimae poenae decretae fuerunt, vt quos vltimis etiam suppliciis affectos constat, HEINECCIVS p. 12; multa tamen sigilla sunt, in quibus vel fingendis, vel adulterandis male feriati homines elaborarunt. HEINECCIVS (p. 174. sqq.) *sex* potissimum *modis* fraudem in sigillis admissam esse ait: "Aut enim sigilla „*falsa falsis* diplomatibus innexa, aut *falsa veris* addita, aut *vera falsis* „adposita, aut charta eo modo incisa, ac si sigilla decidissent, quum „*nulla* adfuerint, aut sigilla auersae diplomatum faciei per errorem im„pressa, aut sigilla denique ipsa inuersa sunt." Quoniam vero duo posteriores modi sub prioribus facile comprehendi possunt, accuratius videtur esse si fraudes sphragisticae ad *quatuor* tantum *classes* reuocentur. Sed impostorum insidiis *pontificales* etiam *bullae* expositae erant, quarum adulterandarum *nouem modos* Innocentius III. Pontifex Romanus, his verbis (Lib. V. Decret. tit. 20. cap. 5.) recenset: "*Prima* species „falsationis haec est, vt falsa bulla falsis literis apponatur. *Secunda*, vt „filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum „falsis literis inseratur. *Tertia*, vt filum ab ea parte, in qua charta „plicatur, incisum cum vera bulla falsis literis immittatur, sub eadem „plicatura cum filo similis cannabis restauratum. *Quarta* cum a supe„riore parte bullae altera pars fili sub plumbeo rescinditur, & per idem „filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum. *Quinta* cum lite„ris bullatis & redditis in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. „*Sexta*, cum scriptura literarum, quibus fuerat apposita vera bulla, cum „aqua vel vino vniuersaliter abolita seu deleta, eadem charta cum „calce & aliis iuxta consuetum artificium dealbata de nouo rescribitur. „*Septima* cum chartae, cui fuerat apposita vera bulla, totaliter aboli„tae vel abrasae, alia subtilissima charta, eiusdem quantitatis, scripta „cum tenacissimo glutine coniungitur. *Eos* etiam a crimine falsitatis „non reputamus immunes, qui contra constitutionem nostram scienter „literas non de nostra vel bullatoris nostri manu recipiunt. *Illos* quo„que, qui accedentes ad bullam falsas literas caute proiiciunt, vt de „vera bulla cum aliis sigillentur. Sed hae duae species falsitatis non „possunt facile comprehendi, nisi vel in modo dictaminis, vel in forma „scripturae, vel qualitate chartae falsitas cognoscatur. In ceteris

„autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, vel in adiunctione „filorum, vel in collatione bullae, vel motione vel obtusione, praeser„tim si bulla non sit aequalis, sed alicubi magis tumida, & alicubi magis „depressa." Quae quum ita sint, e solo sigillo neque veritas diplomatum, neque falsitas aestimari debet.

§. 322.

De fide Diplomatum, quorum sigilla perierunt.

Non alienum erit hoc loco quaerere, quam auctoritatem quamque fidem habeant diplomata, quorum *sigilla* vel penitus, vel aliqua ex parte *perierunt?* Etsi diplomata, quae vel auulsum & seiunctum a se, vel detritum varieque consumtum, vel nullum etiam sigillum habent, altioris semper indaginis sunt: quoniam tamen, praeter sigillum, alia multa, eaque certiora sunt criteria, e quibus diplomatum fides aestimari possit, & antiquiorum in primis diplomatum sigilla tam ipsa temporis edacitate ac situ, quam impostorum fraudibus, archiotarum (*) negligentia, aliisque rebus detrimenti multum capere potuerunt, & ceperunt saepius; iniustum foret, diploma aliquod propter sigilli vel amissionem vel detrimentum statim reiicere, aut in dubium adeo vocare; quum praesertim eiusmodi diplomata, si cetera paria essent, ab antiquis inde temporibus in iudiciis admissa, & a Regibus confirmata fuerint. Antiquiora autem sint diplomata, quibus hoc veluti priuilegium concedatur. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 438-443.

(*) Insigne huiusmodi negligentiae exemplum commemoratur his verbis in *Iournal historique*, Décembre 1752. p. 440: *Une personne qui rangoit (il y a déja plusieurs années) les titres de certaines archives (bien connues) ôta tous les sceaux des anciens, qui empêchoient qu'on ne pût placer à leur aise ces titres dans les paquets, liasses ou boëtes, selon l'ordre qui leur convenoit. Les plus anciens sceaux, dit-on, étoient ceux qui lui déplaisoient le plus, soit parce que leur relief faisoit davantage gonfler les liasses, soit parce qu'ils étoient les plus défigurés par la vetusté; enforte qu'il fit un sacrifice général du tout, comme des inutiles.* Ego ipse vidi haud semel, sigilla quaecumque, & in his etiam elegantissima, pueris crepundiorum loco ab imperitis hominibus tradita, quid? quod a mulierculis, nimis profecto auaris ac sordidis, ad fila, quibus nebant, cera inducenda adhibita esse. Indignum tam venerandis antiquitatis reliquiis fatum!

§. 323.

§. 323.

De iure sigillorum.

Etsi THEODORVS HOEPINGKIVS in libro singulari *de iure sigillorum* exposuit, nondum tamen hic locus pro dignitate satis tractatus est. Atque hoc iam supra (§. 319.) diximus, paullo serius Principibus, Episcopis, cet. inprimisque *Nobilibus* inferioris ordinis aliisque priuatis vsum sigillorum restitutum esse. *Plebeii* vero omnium tardissime ad signandas chartas admissi sunt, vt adeo olim nobilitatis insigne atque argumentum fuerit, si quis sigillorum iure gauderet. Sed in Nobilibus etiam fuerunt, qui *proprio* se *sigillo carere* in diplomatum clausulis profiterentur: de qua quidem re varie senserunt homines eruditi. Falluntur autem, qui putant, illos tantum proprio sigillo vsos fuisse, qui iam, pro more istorum temporum, sollemniter *cingulo militari* induti essent, eos vero, qui nondum essent hunc honorem consecuti, ab aliis equestris ordinis hominibus mutuatos esse sigilla. Etsi enim omnes fere auctores, qui hunc locum de iure sigillorum tractarunt, pro certo affirmant, non *famulos* olim, sed *milites* solos, hoc est, equites, sigillis vsos esse; attamen b. SCHEIDTIVS in *den Nachrichten von dem hohen und niedern Adel in Teutschland* §. 26. sq. p. 218. sqq. & Cl. OETTER in *der Geschichte der Herren Burggraven zu Nürnberg* P. II. p. 194. sqq. permulta eiusmodi exempla attulerunt, e quibus plane ac dilucide intelligitur, & *famulos* fuisse, qui sigillis vtendi potestatem habuerint, & *milites*, qui propriis caruerint sigillis. Quare non dignitas equestris, sed alia, eaque nondum satis explorata caussa ius sigillorum effecerit, necesse est. Conf. *Historia mea Holzschuheriana* p. 30. Hodie nemo non sigillis vtendi potestate gaudet, modo caueatur, ne sigilla *insignibus gentilitiis* exornentur ab iis, qui horum insignium iure destituuntur.

§. 324.

De formulis sphragisticis.

Formularum sphragisticarum, hoc est, formularum, quibus, sigillum diplomati alicui adiunctum esse, indicatur, iam supra (§. 287.), dum de formulis monogrammaticis exponebamus, multa allata sunt exempla, quibus nunc alia quaedam addere placet. *Variae* autem pro

diuersitate temporum formulae sphragisticae fuerunt. Ac *Merouea-dum* quidem aetate, etsi Regum *annuli* diplomatibus impressi fuerunt, pauca tamen reperiuntur diplomata, in quibus formulae sphragisticae legantur, cuiusmodi sunt: *Anuli nostri impressione adstipulari fecimus*, item: *Anuli nostri impressione subter sigillare iussimus*. Contra in *Carolidarum* diplomatibus annuli impressi mentio rarissime omissa fuit. Formularum haec exempla ponemus, 1) sub Pipino: *Anulo nostro sigillare decreuimus*, vel: *de anulo nostro sigillauimus*; 2) sub Carolo M eiusque successoribus: *De anulo nostro subter sigillare*, vel: *anuli nostri impressione adsignari* (s. *signari*) *iussimus*, item: *Bullis nostris iussimus insigniri*, vel: *De bulla nostra sigillari fecimus*, cet. Monendum vero est hoc loco, vocabulum *sigillum*, etsi in ipso diplomatum carolingicorum contextu interdum apparet, in formulis tamen sphragisticis rarissime commemorari, sed semper fere *annuli* seu *bullae* mentionem fieri, nisi quod sub vltimis Carolidis ab hoc more non numquam recessum est. Sic in diplomate quodam Caroli Simplicis legitur formula: *De* sigilli *nostri impressione insigniri iussimus*. Priores *Capetii* interdum *annuli*, saepius autem *sigilli* vocabulo vsi sunt, cuius generis has formulas ponemus: *Sigilli regii impressione firmare iussi*, vel: *Nostrae maiestatis signamus sigillo*, item: *Anuli nostri impressione signauimus*. Neque vero posteris temporibus, & adeo adhuc saeculo XII. *annuli* nomen insolitum prorsus fuit, id quod ex diplomate Ludouici VII. Galliae Regis, A. 1169. dato, satis dilucide cognoscitur, in cuius epilogo haec leguntur: *Quod vt ratum in posterum habeatur*, annuli *nostri impressione confirmari praecepimus*. Inde a saeculo XIII. omnium vsitatissima haec formula fuit: *In cuius rei testimonium* (siue: *Vt autem haec res, venditio*, cet. *firma atque rata*, siue *inconvulsa permaneat*) *praesentes literas*, siue *hanc literam sigillo nostro fecimus roborari*, cet. Pari modo in Germania etiam formulae sphragisticae variarunt. Vocabula enim *Anulus* & *sigillum*, *signari*, *consigniri*, *assignari*, *insigniri*, *sigillari iussimus*, cet. promiscue vsurpata sunt. Id vero singulare est, quod interdum verba *appensio* & *impressio sigilli* inter se confusa reperiuntur, id quod diploma Henrici III. Imp. A. 1066. datum declarat, cuius formula, etsi sigillum cereum diplomati impressum fuit, his tamen verbis concepta est: *Hanc cartam scribi* & sigilli nostri appensione *manu nostra corraboratam iussimus insigniri*. Ex quo scilicet sigilla chartis appensa fuerunt, ipse formulae sphragisticae ad hanc sigilli adiungendi rationem respectum habere solent.

solent. Inusitatum prorsus exemplum praebet charta quaedam, A 1333. scripta, in qua formula sphragistica cum chronica formula s. dato hunc in modum coniuncta deprehenditur: *In quorum pleniorem notitiam nostra sigilla anno Domini M. CCC. XXXIII. feria tertia post Dominicam Laetare Ierusalem in signum perpetuae decretionis sunt appensa.* Vnum hoc addere liceat, quoniam in Meroueadum diplomatibus semper fere, in posteriorum autem Regum atque Imperatorum chartis, iisque omni suspicione carentibus interdum formulae sphragisticae omissae fuerunt, licet diplomata sigillis essent munita; cauendum esse, ne diplomata, quae hoc quasi defectu laborant, pro falsis commentitiisque habeantur. Atque haec de formulis sphragisticis hoc loco dicenda putaui. Plura habentur in libris, qui de singulorum Regum, Imperatorum, cet. re diplomatica sigillatim exponunt, cuiusmodi sunt *Chronicon Gottwicense*, b. HEVMANNI Commentarii de re diplomatica. Vid. *Nuveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 415-418.

§. 325.

Sigillorum diuisiones, tabula quadam exhibitae.

Liceat mihi nunc varias sigillorum *diuisiones* tabula quadam complecti. Dispertiri scil. possunt sigilla

A. partim in publica & priuata; ordinaria & extraordinaria; communia & peculiaria; propria & mutuo sumta; nota & ignota; conuersa, inuersa, informia; genuina & spuria, cet.

B. partim sunt

I. ratione impressionis

1. monosphragista s. vna ex parte signata.
2. amphisphragista s. vtrimque signata, quae sunt duplicis generis
   a. nummaria, s. ad modum nummorum vtrimque aequalem sculpturam habentia
   b. contrasignata, s. contrasigillis munita

II. ratione quantitatis

1. maiora s. authentica, quorum species maiestatica Imperatorum, Regum, Principum, sunt.
2. minora, quorum species sunt contrasigilla.

III. ratione materiae
1. metallica, Bullae proprie dicta
a. bullae aureae.
b. bullae argenteae.
c. bullae plumbeae.
d. bullae aeneae.
e. bullae ſtanneae.
2. cerea, Sigilla proprie dicta,
a. pura, vt alba, flaua, rubra, viridia, caerulea, nigra.
b. mixta, hoc eſt, ex diuerſi coloris cera facta.
3. cretacea.
4. farinacea.
5. malthina ſ. ex maltha facta.

IV. ratione figurae
1. rotunda
a. orbicularia.
b. oualia, tam perpendicularia, quam horizontalia.
c. parabolica, tam cuſpidata, quam rotundata.
2. triangularia
a. triangularia proprie dicta.
b. cordiformia.
c. ſcutiformia tam cuſpidata, quam rotundata.
d. piriformia ſiue foliata.
e. trifolina.
3. quadrata
a. quadrata proprie dicta.
b. oblonga, tam horizontalia, quam perpendicularia.
c. rhombata.
4. pentagona.
5. hexagona
6. octogona
} lineis rectis, vel incuruatis tam introrſum (ſigilla cornuta) quam extrinſecus.
7. caua ſiue lanciformia, aliaque figurae extraordinariae ſigilla.

V. ratione inſcriptionis
1. epigrapha.
2. anepigrapha.
3. monepigrapha.

VI. ra-

VI. ratione annexionis
1. impressa
2. pendula, eaque tam metallica s. bullae, quam cerea.

C. partim ratione eorum, qui sigillis vsi sunt vel vtuntur,
I. diuidi possunt in duas classes, sigillorum saecularium s. ciuilium & ecclesiasticorum.
1. Prima classis: Sigilla saecularia s. ciuilia, item politica.
Ordo I. Sigilla imperialia & regia.
Ordo II. Sigilla Ducum, ceterorumque Principum.
Ordo III. Sigilla Comitum.
Ordo IV. Sigilla Nobilium.
Ordo V. Sigilla ciuitatum, iudiciorum, magistratuum, communitatum ac collegiorum cuiuscumque generis.
Ordo VI. Sigilla Notariorum, Iudaeorum, priuatorum.
2. Secunda classis: Sigilla ecclesiastica.
Ordo I. Sigilla Pontificum Romanorum.
Ordo II. Sigilla Cardinalium.
Ordo III. Sigilla Conciliorum & Synodorum.
Ordo IV. Sigilla Episcoporum & Capitulorum.
Ordo V. Sigilla Abbatum & Monasteriorum.
Ordo VI. Sigilla ordinum sacrorum & militarium.
Ordo VII. Sigilla Praepositorum, Decanorum, Generalium, Prouincialium, cet.
II. sunt ratione sexus
1. masculina
2. feminina, vt Imperatricum, Reginarum, Principum, Comitissarum, Abbatissarum, cet.

§. 326.

De sigillis monosphragistis & amphisphragistis.

Sigilla, quae in ceteris quoque rebus haud incommode cum nummis comparari possunt, in hoc potissimum aliquam cum nummis similitudinem habent, quod nunc vna tantum ex parte (quam in re nummaria aduersam partem appellare solent), nunc vtrimque signata reperiuntur. In hoc tamen nummi a sigillis discrepant, quod illorum maximus nume-

numerus duplicem faciem impressam habet, quum contra in sigillis pauca tantum inueniantur, quae vtrimque signata sint. Existit inde sigillorum in *monosphragista* s. *simplicia* (Tab. IX. num. 1-5.), & *amphisphragista* s. *duplicia* Tab. IX. num. 6-8.) distributio. Illa scilicet vna ex parte tantum, haec vtrimque signata sunt. Quoniam vero sigillorum *amphisphragistorum* duo genera esse video, & vnum quidem eorum, quae ad modum nummorum aequalem vtrimque sculpturam habent, alterum eorum, quae sigillis minoribus a tergo sunt munita; existit inde noua amphisphragistorum in *nummaria* (Tab. IX. n. 6. 7.) & *contrasignata* (Tab. IX. n. 8.) diuisio. Tam nummaria, quam contrasignata ex duobus proprie sigillis, illa nempe ex sigillo *aduerso* & *auerso*, haec vero ex *primario* & *contrasigillo*, composita sunt. Ad *amphisphragista nummaria* refero primum omnis generis *bullas*, quae numquam non ad modum nummorum vtrimque impressae fuerunt, deinde ea etiam *sigilla cerea*, quorum impressio auersa eamdem, quam aduersa, quantitatem habet: vt itaque omnia ea sigilla, quorum pars auersa minor est, quam aduersa, & quae *contrasignatorum* nomine appellaui, ex hoc numero eximantur. Neque vero cum HEINECCIO p. 166. existimandum est, sigilla tantum *pendula* a tergo impressa esse: id enim falsum esse, partim ex Principum Langobardicorum sigillis non pendulis, sed *impressis*, quorum exempla (saeculi X.) habentur in *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 364. coll. p. 190. sqq. partim exinde etiam intelligitur, quod in auersa membranae parte satis magna cerae copia apparet, cui sigillum auersum imprimi poterat. Omnia vero sigilla nummaria partim maioris fidei ac roboris caussa, partim vt sigilla primaria a falsariorum fraudibus secura praestarentur, adhibita sunt.

§. 327.

De sigillis maiestaticis.

Sigilla in *maiora* s. *authentica* & *minora* diuiduntur. Illorum genus praecipuum sunt *sigilla maiestatis* s. *maiestatica* (Tab. IX. n. 4 & 6.), quibus hoc nomen in ipsis interdum formulis sphragisticis, & in epigraphe etiam sigillorum, ac ideo quidem tribuitur, quod imagines Imperatorum, Regum ac Principum integras & ad summam maiestatem compositas, hoc est, corona tectas, throno insidentes, sceptrumque & globum terrestrem manibus tenentes, aut alia maiestatis ac potentiae insignia prae se ferentes exhibent. Sigilla maiestatica in *imperialia*, *regia* & *principalia* diuidi possunt.

sunt. Huius generis sigilla in Imperio Romano Germanico *Henricus II. Sanctus* (ab A. 1002-1024.), in Gallia *Henricus I.* (A. 1031-1060.), in Anglia *Eduardus Confessor* (A. 1042-1065.), in Scotia *Edgar* (A. 1098-1107.) primus adhibuit. *Principes* vero sigillis maiestaticis in rebus potissimum feudalibus vsi sunt. HEINECCIVS p. 76. sq. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 14. sq.

(*) IVST. HENNING. BOEHMERI diss de iure & authoritate sigilli authentici. Hal. 1742. 4,

MICH. HENR. GRIBNERI obseruationes iuris publ. de sigillo maiestatis Saxonico. Wittenb. 1712. 1718. & in eiusd. selectis opusculis iuris publici P. III. p. 46-63.

POLYCARPI LEYSERI sigillum maiestatis Brunsuicense. Helmst. 1725. 4.

IO. ZACH. GLEICHMANNI alias HELMONDI commentatio iuridico-politico-historica de magno ducali sigillo maiestatis Saxonico. Ien 1740. 4. Adde etiam quae de verbo: *Majestät-Siegel* in documentis Saxonicis leguntur in MÜLLERI *Staats-Cabinet IVte Oefn.* p. 171. 187.

§. 328.

De contrasigillis.

Sigillorum minorum (§ 327.) genus praecipuum sunt *contrasigilla.* Etsi enim ab auctoribus noui operis diplomatici illa etiam sigilla cerea, quae ante (§ 326.) *amphisphragista nummaria* appellauimus, ad contrasigilla referuntur; rei tamen conuenientius videtur esse, si omnia sigilla nummaria, siue bullae sint, siue cerea sigilla, a contrasigillis separentur. Sunt itaque contrasigilla, quantum ego quidem existimo, nihil aliud, quam sigilla minora, quae sigillorum primariorum s. maiorum faciei auersae impressa sunt. Horum alia perpetuum contrasignandi vsum habent, nec alio consilio vsurpantur; alia vero non nisi ob magnitudinem diuersam imprimi solent, nec raro seorsim etiam adhibentur, & *secretorum* plerumque nomen prae se ferunt. Possunt autem omnia contrasigilla ad haec *decem genera* reduci:

1. Contrasigilla, quae in ipsa epigraphe *contrasigilla* vocantur, idque mox literis omnibus expressis, mox per compendium aliquod, vt 1) *Contrasig.* 2) *Contras.* s. *Contra S.* 3) *Cont. sigillum*, item 4) *Cont. S.* 5) *gr. Sigil.* siue *gS.* porro 6) *Cors.* (vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. II. p. 679.), mox sigilis tantum C. S.

2. Contrasigilla, quorum epigraphe est *continuatio epigraphes* sigilli maioris, e. gr. *Sigillum Philippi Comitis Flandrie*, quae inscriptio in contrasigillo verbis: *& Viromandie* continuata fuit. Huc etiam referuntur contrasigilla, quorum *inscriptiones* tam *vagae* sunt, vt sine primario aliquo sigillo non satis possint intelligi, e. gr. *Secretum Comitis, Secretum meum* siue *Secretum michi, Clauis sigilli, Secretum colas, Secretum serua, Secretum veri, Secretum, Annulare secretum*, cet. quamquam haec exempla etiam ad tertium genus referri possunt.
3. Contrasigilla, quorum *epigraphe nullum* quidem cum primario sigillo *nexum* habet, ita tamen comparata est, vt ipsa contrasigilla, *non facile seorsim* adhiberi possint, cuiusmodi est contrasigillum Caroli IV. Imperatoris, cum inscriptione: *Iuste iudicate filii hominum.* Refero huc etiam sigilla, quae hanc vel similem ei inscriptionem habent: *Deum time, Ave Maria gratia plena, Deus in adiutorium meum intende.*
4. Contrasigilla, quae expressis verbis in ipsa epigraphe *Sigilla minora* appellantur, vt S. *minus Ducat. Geldrie & Comitatus Zutphaniae.*
5. Contrasigilla, quae, etsi ad contrasignandum adhibentur, tamen non hoc, aut simili nomine insigniuntur, sed *sigilla* dicuntur simpliciter, e. gr. *Sigillum Amedei Comitis Sabaudie.*
6. Contrasigilla, quae vel *secreta* simpliciter, vel *sigilla secreti*, vel denique *sigilla secreta* vocantur.
7. Contrasigilla, quae *eamdem fere*, quam primaria sua, *faciem aut inscriptionem* habent, neque a primariis alia fere re, nisi quantitate differunt.
8. Contrasigilla *anepigrapha*, hoc est, quae nullam inscriptionem habent, adeoque nonnisi *signeta* siue *cacheta* sunt.
9. Contrasigilla *aliena*, hoc est, quae ad primarium sigillum prorsus non pertinent, sed alterius cuiusdam hominis sunt, cuius in ipso diplomate nulla mentio fit. Pleraque autem huius generis contrasigilla videntur vel *secretariorum*, vel eorum omnino, qui diploma aliquod scripserunt, *signeta* esse. E. gr. Sigillo primario, quod inscriptum est † *S. Rodolfi Nobilis de Depholte*, additum est contrasigillum cum epigraphe: S. HENRICI *Past.* (oris) *Ecce* (Ecclesiae) *Berensforp.* Refero huc quoque Sigilla iudicii prouincialis Norim-

Norimbergensis, quorum auersae parti secretarius iudicii sigillum suum gentilitium contrasigilli loco imprimere solebat, quale est illud, quod in *Historiae meae Holzschuherianae* Tab. XVII. ad an. 1396. aeri incisum exhibui: primarium enim sigillum ita inscriptum est: † *S. Iudicii. Prouincialis. Fridrici. Burcgrauii. De. Nuerenberch*, contrasigillum vero exhibet insignia gentilitia secretarii s. notarii cum hac perigraphe: † *S. Vlrici. de. Kudorf.* Clarius hoc patet ex iudicii eiusdem prouincialis sigillo, quod Cl. OETTERVS in *der Geschichte der Burggraven zu Nürnberg* P. II. p. 564. aeri incidendum curauit. Primarii sigilli haec est perigraphe: † *S. Iudicii. Prouincialis. Iohannis. Burcgrauii de. Nuerenberch.*; contrasigillum vero exhibet insignia gentilitia Ebnerianae familiae, circa quae haec verba in orbem scripta cernuntur: † *S. R. Ebn.* (Ebneri). *No.* (Notarii) *Prov.* (Prouincialis) *de Nur.* (Nurenberg).

10. *Contrasigilla contrasigillorum*, hoc est, sigilla, quae etsi alias & proprie non nisi ad contrasignandum adhibita sunt, interdum tamen primariorum etiam vicem suppleuerunt, atque ob id aliud sigillum minus, contrasigilli vim habens, admiserunt. Huius generis est sigillum curiae Halberstadiensis, Episcopi, quod, licet alias primario Episcoporum Halberstadiensium sigillo ceu contrasigillum adiunctum esset, nonnumquam tamen primarii loco vsurpatum fuit cum alio minori contrasigillo, ita inscripto: S. *Fcm.* (Factum) *Anno Dn. M. CC. XCI.*

Contrasigilla, aeque ac sigilla nummaria (§. 326.), diplomatibus partim maioris fidei & *auctoritatis* caussa, partim ne quid detrimenti a *falsariorum* manibus caperent sigilla primaria, adiuncta sunt. Etsi vero sigilla nummaria contrasigillis antiquiora sunt: nam cerea inde a saeculo X. in Italia vsitata fuerunt (§. 326.), bullarum autem vsus, vt infra dicetur, multo est antiquior; contrasigilla tamen non tam recentia sunt, quam quidam existimauerunt, & exstant, quod contra HEINECCIVM notandum, contrasigilla, sigillis etiam *impressis*, non *pendulis* tantum, adiuncta, cuiusmodi est sigillum Rudolfi, Episcopi Halberstadiensis, diplomati A. 1146. dato, impressum (non appensum) simulque contrasigillo munitum (ap. LEYSER. de contrasigillis pag. 32.). Omnium antiquissimum, quantum constat, est secretum *Henrici III.*

Imperatoris, († 1056.) quod chartae cuidam, Ecclesiae Niuellensi datae, & quidem *specialis dilectionis* caussa, adiunctum fuisse, ex diplomate Henrici IV. Imperatoris, eidem Ecclesiae A. 1059. dato cognoscitur. "Niualensis Ecclesia (sunt verba diplomatis) Francorum regno „finitima permaximas calamitates saepe sustinuit, quod pater meus „Henricus III. Imperator animo indoluit, adeo vt in consecratione, „quam ad aduentum suum reseruari iusserat, praesentem se exhibens „pignora sacratissima virginis Gertrudis propriis humeris sanctuario im„portaret, locumque donis imperialibus exornans, de rebus eiusdem „Ecclesiae praeceptum faceret, quodque *specialis dilectionis indicium „est, non communi* (maiestatico) *illud sigillo, sed* secreto suo *signaret.*" In Galliae Regibus primus contrasigillo vsus est *Ludouicus VII. Iunior* (ab A. 1137-1178.), non vero, vt MABILLONIVS statuit, Philippus II. Augustus (A. 1178-1223.). *Flandriae* Comites aliique Optimates ac Principes circa medium saeculum XII. *Archiepiscopi* vero & *Episcopi* iam inde ab ineunte saeculo XII. (A. 1138 & 1146.) contrasigilla sibi adoptarunt, vt itaque insigniter in temporis ratione peccauerit HEINECCIVS, qui antiquissimum contrasigillum episcopale ad an. 1299. retulit. *Angliae* & *Scotiae* Reges etsi iam inde a saeculo XII. sigillis cereis nummariis vsi fuerant, contrasigilla tamen eo tempore non adhibebant. Contrasigilla haud raro seorsim a primariis adiuncta diplomatibus fuerunt, praesertim in rebus negotiisque quotidianis ac minoris momenti, sed *authenticorum sigillorum vim atque auctoritatem* serius obtinuerunt. Nam licet contrasigilla iam saeculo XIII. authenticorum loco vsurpari coepta sint, consuetudo tamen generalis non ante saeculum XV. inde exstitit. Quare factum est, vt in formulis sphragisticis diplomatum, solis contrasigillis siue secretis ante hoc tempus munitorum caussa afferretur, cur hac vice contrasigillum s. secretum, non authenticum s. maiestaticum, diplomati additum fuerit. Sic in charta confirmationis autographa Alberti I. Regis Romanorum, A. 1299. data, quae in manibus meis est, haec verba leguntur: "In „cuius rei testimonium hanc exinde conscribi paginam, & *Sigillo „secreti nostri, propter Cancellarii nostri absentiam*, fecimus commu„niri." Similis caussa in charta donationis Magni, Regis Sueciae, A. 1351. exarata commemoratur: "In cuius euidentiam firmiorem „*secretum nostrum, sigillo non presente*, presentibus est appensum." Vide POLYC. LEYSERI egregiam commentationem de contrasigillis

gillis medii aeui, coll. cum *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 362-374.

§. 329.

De materia sigillorum.

Sigillis efficiendis non solum adhibita sunt *metalla*, & in his *aurum*, *argentum*, *plumbum*, *aes*, *stannum*; verum etiam *cera*, partim *pura*, eaque alba, flaua, rubra, viridis, caerulea, nigra, partim *mixta*, ex pluribus scilicet cerae generibus; porro *creta*, *farina subacta* ac denique *maltha*. Ex quo intelligitur, ipsa sigilla ratione materiae in *metallica* siue *bullas*, *cerea* s. proprie dicta *sigilla*, *cretacea*, *farinacea* & *malthina*; bullas autem inprimis in *bullas aureas*, *argenteas*, *plumbeas*, *aeneas* & *stanneas* dispertiri posse.

§. 330.

De bullis aureis.

De *bullarum aurearum origine* variae sunt hominum doctorum atque discrepantes sententiae, aliis eas ad *Francos*, aliis ad *Imperatores Constantinopolitanos* auctores referentibus. Ac me quidem haud poenitet eorum sententiae esse, qui Imperatoribus Byzantinis, vtpote quos in epistolis suis ac diplomatibus quaecumque magnificentiae ac splendoris genera prae ceteris affectasse constat, bullarum aurearum inuentionem tribuunt. Nam vt alia, quae HEINECCIVS p. 32. sq. attulit, omittam, *Iustinianus* iam auro signauit, id quod ex Iuris Graeco-Romani L. II. p. 72. aliisque libris dilucide cognosci potest: in Occidente autem nemo ante *Carolum M.* auream bullam adhibuit. Vt itaque harum bullarum vsum ab Imperatoribus Graecis ad Francos propagatum esse constet: quamquam docti auctores operis noui diplomatici contrariam huic opinionem defendendam susceperunt. Constat vero quaelibet aurea bulla ex duabus lamellis auri concauis, quarum iuncturae circello quodam ferruminatae continentur, ita quidem, vt spatium interius omne pice, cera, gummi aliaue simili materia repletum deprehendatur, externa autem facies ad modum nummorum vtrimque signata sit. *Quantitas* bullarum aurearum varia & inconstans est, nec semper ex Principum vel magnificentia vel parsimonia, sed saepe ex eorum, qui-

bus dantur, conditione sumtuumque erogatione aestimari debet. Quo factum est, vt diploma idem, si plura eius exempla autographa exarata fuerunt, aliis auro, aliis cera signatum daretur. Sic Francofurtenses auream Caroli IV. bullam, aureo, Norimbergenses autem cereo sigillo munitam acceperunt. Quo recentiores bullae sunt, eo ponderosiores esse solent. Pro minima & vilissima habetur illa Constantinopolitana Andronici, quam Meibomius protulit, vt quae ex tenuissimis lamellis auri Rhenani, non Pannonici, conflata est, duplicisque aurei Hungarici magnitudinem vix excedit. Maximi contra moduli bulla fuit, de qua in Chronico Goslarienſi MS. haec relata leguntur: "Dedit praeterea Henricus III. Imperator Ecclesiae SS. Simonis & „Iudae quandam litteram, a Rege Grecie sibi missam, cum sigillo aureo „satis ponderoso, de quo fiebat calix aureus, de littera vero fiebat „palla (mappa) altaris." Caroli Calui Imperatoris bulla aurea, monasterio S. Conradi Compendiensi data, octo vel decem ducatorum fuit. Carolina illa celeberrima, quae Francofurti in curia custoditur, duplicis circiter imperialis ambitum habet. Multo vero maiores sunt bullae Friderici III. & Ferdinandi II. Henricus denique VIII. Angliae Rex, tabulas foederis, cum Francisco I. Galliae Rege, initi, bulla signauit, quae decem aureorum Hispanicorum pondus exaequat. Non promiscuus & quasi quotidianus aurearum bullarum *vsus* fuit, quippe quas in grauioribus tantum negotiis & aduersus personas clariores adhibitas esse constat. Auro scilicet signata sunt 1) Decreta & constitutiones Principum maioris momenti, 2) literae ad alios Principes ac Reges missae, 3) tabulae pacis ac foederum, 4) literae, quibus fundatas a se Ecclesias vel Academias professi sunt Principes, 5) erectiones Ducatuum, confirmationes variorum iurium ac priuilegiorum, ac 6) honoris caussa etiam in minoribus negotiis. Vsi autem sunt aureis bullis

1. *Imperatores Graeci*, & in his primus, quantum constat, Iustinianus I. (A. 527-565), & inter alios etiam Andronicus II. Manuel II. Ioannes VII. Palaeologus. Horum bullae aureae interdum *gemmis* etiam exornatae deprehenduntur.

2. ex *Imperatoribus Regibusque Ramano-Germanicis:* Carolus M. cum filio suo Pipino, Ludouicus I. Pius, Carolus Caluus, Arnulphus, Otto I. M. Otto III. Henricus II. Sanctus, Conradus II. Henrici

rici III. IV. V. Conradus III. eiusque filius Henricus immatura morte Imperio ereptus, Fridericus I. Henricus VI. Philippus & Otto IV. Fridericus II. Rudolphus I. Ludouicus Bauarus, Carolus IV. Sigismundus, Fridericus III. eiusque deinceps successores omnes.

3. ex *Imperatoribus Regibusque Italiae:* Wido cum filio suo Lamberto.

4. ex *Regibus Galliae:* Ludouicus VII. Iunior, Philippus VI. Philippus Augustus, Franciscus I.

5. Reges *Hispaniae* (Alphonsus Sapiens), *Angliae* (Iohannes sine terra, Henricus VIII.), *Hungariae*, *Siciliae* (Wilhelmus), *Daniae* (Christiernus V.), *Bulgariae*, cet.

6. Imperatores *Russici*, *Turcici*, *Sultani Iconienses*.

7. *Principes*, & in his Guaimarius, Capuanus Princeps, & Duces Apuliae, item (adhuc saec. XVI.) Lotharingiae Duces.

8. *Respublicae*, & in his Veneta (Andreas Dux Venet. A. 1345.). Saeculo XVI. Respublica Veneta diplomata, quibus dignitas Nobilium concedebatur, auro signari iussit.

9. *Pontifices Romani*, quorum rariores quidem aureae bullae, neque tamen nullae sunt; quorsum referuntur bullae, quibus Romani Imperatores confirmantur, item quidam Cardinales creantur, praeterea aliae quaedam, vt diploma Clementis VII. quo Defensoris fidei titulus Henrici VIII. Angliae Regi datus est.

Vid. THVLEMARIVS de bullis, item CANGIVS in Glossario s. h. v. HEINECCIVS p. 32-40. & *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 18-22.

§. 331.

De bullis argenteis.

Bullae argenteae albis coruis rariores sunt. Ac *Dagobertina* quidem bulla argentea, quam TENZELIVS e Gazophylacio Gothano protulit, magni profecto aestimanda esset, si eam genuinam esse satis constaret, ipsumque, cui appensa erat, diploma adhuc supereesset. Affertur etiam bulla argentea *Ludouici I. Pii*, sed eam non sigillum, sed sigilli

sigilli ectypum esse recte statuit MABILLONIVS. Porro supereſt bulla argentea Paderbornensis *Henrici II. Sancti*, de cuius fide nemo quidem dubitare poterit, quoniam vero eam inauratam esse constat, maluit eam HEINECCIVS inter bullas aureas numerare. Etsi vero nulla adhuc (*) Imperatorum ac Regum Occidentis bulla argentea, quae extra omnem dubitationis aleam posita esset, prolata fuit; certo tamen certius est, *Imperatores* tam *Byzantinos*, quam ceteros *orientales*, argento interdum diplomata signasse. Deinde exstat etiam diploma *Roberti II.* Principis *Capuani*, A. 1128. datum, cui bulla argentea, MVRATORIO testante, appensa cernitur. In Principatu *Arausionensi* bullas argenteas fuisse vsitatas, HONORATVS BOVCHE (in *Histoire de Province* L. VIII. p. 880.) ex diplomate, A. 1288. dato, pluribusque sigillis, argenteis aliis, aliis plumbeis munito, demonstrare studuit. Typarium autem argenteum, non sigillum fuit, quod *Clemens IV.* Pontifex Romanus, A. 1266. monasterio S. Aegidii in Gothia dederat. Idem dicendum videtur de *magno sigillo argenteo Episcopi Leodiensis*, ex quo Heineccius probare voluit, argentea sigilla Occidentalibus non plane fuisse incognita: quamquam idem simul largitur, posse illud etiam de typario argenteo intelligi. Vid. HEINECCIVS p. 40-42. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 22.

(*) Imperatorem tamen *Fridericum I.* A. 1152. triplici sigillo, aureo, *argenteo* & stanneo vsum fuisse, in WIBALDI, Abbatis Stabulensis & Corbeiensis epistola 348. in MARTENE ampliss. collect. T. II. p. 520. legimus.

§. 332.

De bullis plumbeis.

Bullarum plumbearum vsus antiquissimus est, multoque latius, quam argentearum, & aurearum adeo bullarum patuit. Plumbo scilicet signarunt

I) *ciuili dignitate* conspicui:

1. *Imperatores veteres Romani*, vt Traianus, Marcus Aurelius, Lucius Verus & Antoninus Pius, quorum bullas plumbeas FICORONIVS, V. C. publicauit. Ab his sine dubio bullarum plumbearum vsum acceperunt

2. *Im-*

2. *Imperatores Constantinopolitani*, qui, sicut bullas aureas Sultanis & Regibus, argenteas belli Ducibus & Pontificibus interdum Romanis; ita plumbeas Despotis, Patriarchis, Sebastocratoribus ceteriſque primi ordinis magiſtratibus dederunt. Pro antiquiſſima habetur bulla plumbea *Gallae Placidiae* (saec. V.), quam HEINECCIVS minus recte nummi cuiusdam ectypon plumbeum esse suspicabatur. Saeculo VIII. bullas plumbeas Constantinopoli admodum vsitatas fuisse, ex actis Synodi Nicenae II. dilucide cognoscitur. Sed *Latini* etiam *Imperatores*, qui pulsis Graecis Constantinopoli regnabant, plumbo signarunt: quid? quod bullarum huiusmodi vsus progressu temporis etiam cum *illustrioribus aulae* proceribus communicatus fuit.

3. Ex *Imperatoribus Regibusque Romano-Germanicis:* Carolus M. Ludouicus I. Pius, Carolus II. Caluus, Carolus III. Crassus, Otto I. M. Otto III. Henricus II. Sanctus, Conradus II. Salicus.

4. *Reges.* Ex *Galliae* Regibus post Carolidas, de quibus diximus, nemo Capetiorum plumbo signauit: signarunt tamen non nulli ex *Hispaniae*, *Siciliae* & *Cypri* Regibus.

5. *Principes, Comites, Dynastae,* vt Duces Spoletani (inde ab A. 781.), Veneti, Hugo de Baucio, Boamundus Princeps Antiochenus, Cosmas Protopatricius, Raymundus Comes Tripolitanus, Raymundus de S. Aegidio Comes Tolosanus, aliique Comites Tolosani, Wilhelmus Dominus de Montepessulano, cet.

II) *ecclesiastica dignitate* conspicui:

1. *Pontifices Romani.* De origine bullarum plumbearum Pontificum Romanorum magna discordia inter se certant homines eruditi. Nugantur sine dubio, qui Siluestrum I. (A. 314-335.) & Leonem I. (A. 440-461.), vel his adeo antiquiores Pontifices Romanos iam plumbo signasse dicunt. Deinde falluntur etiam, & iusto recentiorem harum bullarum vsum faciunt, qui eas ad Adrianum I. (A. 772-795.) auctorem referunt. HEINECCIVS, qui media inter vtrosque via incedere volebat, probabile esse iudicauit, "initio papas pauca diplomata eaque sola cera signasse, deinde „vero saeculo VII. coepisse plumbo ac cera vti promiscue, donec „demum saeculo VIII. plane cerae vsus euanuerit & ad Breuia, „quae vocant, sit relegatus." Rem acu fere tetigisse Heineccium,

ex iis bullis plumbeis, quas MVRATORIVS, inprimisque vir celeberrimus, FICORONIVS produxerunt, satis dilucide cognoscitur. Etsi enim, quae auctores noui operis diplomatici de Gregorii M. (A. 590-604.) bullis plumbeis tradunt, nondum satis explorata sunt; dubitari tamen non potest, quin iam Pontifices quidam saeculo VII. clari, scil. Deusdedit († A. 618.), Theodorus I. Vitalianus & Iohannes V. († 686.) plumbo signarint. Fecerunt idem Zacharias (A. 741-752.), Paullus I. (A. 757-767.) & Iohannes VIII. (A. 872-882.). Vtrum vero Pontifices Romani humilitatis studio incitati, an aemulatione Patriarcharum Constantinopolitanorum inflammati, vilissimum omnium metallorum, plumbum ad signandum sibi sumserint, hoc loco alienum est iudicare: quamquam posterius Heineccio arriserit. Id certe constat, Pontifices Romanos bullarum plumbearum vsum ita sibi velut vindicasse, vt, praeter ipsos, pauciſſimi sint, qui iis hodie vtantur.

2. *Patriarchae Constantinopolitani*, quos iam ante Pontifices Romanos plumbo signasse Heineccius statuit.

3. *Episcopi* tam Galliae & Angliae, quam Italiae & Germaniae; quos quidem, si non prius, ab ineunte certe saeculo IX. bullis plumbeis vsos fuisse, cum exemplis bullarum episcopalium, quae adhuc exstant, satis declaratur, tum ex his verbis actorum Concilii Cabilonensis II. A. 813. habiti, cognoscitur: "Presbyter ad alium „locum migrans literas etiam habebit, quibus sint nomina *episcopi* „& ciuitatis *plumbo* impressa." Plumbo Episcopi adhuc saeculo XIII & XIV. signarunt.

4. *Abbates*, quamquam rarissime. Huius generis exemplum ad an. 1181. SPELMANNVS & MABILLONIVS commemorarunt.

III) *Collegia*, & quidem

1. Collegia ciuilia, inprimisque *ciuitates*, vt Roma, ciuitas Lucensium.

2. Collegia sacra, inprimisque *Concilia* & *Synodi*. Originem Synodalium sigillorum HEINECCIVS ad posteriora saecula reiecit: "Antiquissimorum enim conciliorum decreta solis Episcoporum „subscriptionibus munita esse; in mediae autem aetatis synodis aut „Imperatores, qui praesidebant, aut praecipuos Episcopos sigilla „sua

„sua apposuisse. Probabile esse, saeculo demum XV. ineunte, ac „in Pisano quidem concilio, excogitata fuisse sigilla synodalia, quae „deinde in Constantiensi, Basileensi & Tridentino retenta fuissent: „esse autem ista sigilla, non cerea, sed plumbea." His obiecit LEYSERVS bullam plumbeam, quam Conradus Episcopus Halberstadiensis, diplomati cuidam, A. 1208. dato, appendi iusserat; quod quidem diploma quoniam non Episcopale esse, sed synodale, ex ipso eius contextu patere credebat Leyserus, hinc bullarum synodalium vsum multo antiquiorem, quam Heineccius tradiderit, esse statuit. Vid. FICORONII *Piombi antichi*, THVLEMARIVS de bullis, CANGIVS in Glossario sub voce *bulla*, HEINECCIVS p. 42-50. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 24-30.

§. 333.

De bullis aeneis & stanneis.

Aere etiam & *stanno* interdum, quamquam vt verum fateamur, admodum raro, signata esse diplomata, nemo, rei diplomaticae peritus, facile negauerit. Ac *aeneis* quidem *bullis* vsi sunt veteres *Daniae* Reges, item *Alexander Imperator Romanorum* (vel is, qui saeculo X. imperauit, vel Alexander ille Despota s. Imperator Athenienſium, qui ad concilium Constantiense legatos miserat, incerta enim res est), & *Alesia*, filia Marchionis Montisferrati, vxor Neapoleonis de filiis Vrsi, vt in ipsa bullae epigraphe dicitur. Neque plane incognitus fuit *bullarum stannearum* vsus, id quod partim ex supra iam (§. 331. not) commemorata epistola Wibaldi Abbatis, in qua legimus, *Fridericum I.* Imperatorem triplici sigillo, aureo, argenteo & *stanneo* vsum fuisse, partim ex his verbis Historiae Leodiensis apud Heineccium cognoscitur: "Ostensum fuit in capitulo coram Magistris sigillum plumbeum siue *stan-* „*neum*, eiusdem typarii cum magno sigillo argenteo episcopi." Vid. HEINECCIVS p. 50. num. XX. coll. cum *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 22. sq. item p. 184. sq.

§. 334.

De sigillis cereis, eorumque in pura & mixta diuisione.

Cera vsitatissimum pariter atque antiquissimum materiae genus est, cui sigilla impressa cernuntur. Vt enim *Graecos* & *Romanos* veteres

omittam, quos cera signasse omnes norunt, non tantum *Imperatores Constantinopolitani* tam in literis familiaribus, ad matres suas, coniuges, filios missis, quam in multis constitutionibus, sed etiam *Reges atque Imperatores tam Francici, quam Germanici*, item *priores Pontifices Romani*, ceram ad signanda diplomata adhibuerunt, & ex parte nunc quoque adhibent. Variauit autem cerae *color* pro diuersitate temporum, rerum & personarum, vt statim videbimus. Atque hinc ipsorum sigillorum, cerae impressorum, in *alba, flaua, rubra, viridia, caerulea* & *nigra* distributio existit: quae quidem omnia *pura* tunc vocantur, si ex vnius tantum coloris cera constant, quibus opponuntur *mixta*, hoc est, quae ex diuersi coloris cera sunt conflata. Incipiemus a purorum sigillorum generibus.

§. 335.

De sigillis cereis puris.

1. Sigilla *alba* siue *candida* omnium cereorum antiquissima sunt. Signarunt enim cera alba 1) Reges atque Imperatores tam Francici quam Germanici ab vltimis inde Meroueadum temporibus vsque ad Fridericum IV. Maximiliani I. parentem, 2) Capetii, 3) Angliae Reges vsque ad Carolum I. itemque 4) omnis generis Principes, Comites, Episcopi & Abbates. Etsi vero sigilla alba post saeculum XIII. rariora facta sunt, praesertim extra Germaniam, ita vt Fridericus IV. Imperator creato a se Duci Modenae & Reggii cera alba signandi potestatem, tamquam priuilegium singulare concederet; est tamen aliquis adhuc sigillorum alborum, praesertim in Gallia & Anglia, vsus. Vnum hoc addendum videtur, sigilla alba quo antiquiora sunt, eo facilius cum flauis siue luteis confundi posse, & confusa etiam a quibusdam esse, qui, cerae colorem album situ ac vetustate corrumpi, non cogitauerint.

2. Sigilla *flaua* siue *lutea* saeculo demum XII. inualuerunt. Saeculo XIV & XV. monasteria etiam & priuati, in Germania praesertim, eorum vsum sibi adoptarunt. Neque eo secius eodem tempore ipsi quoque Imperatores, Principes, ac Episcopi cera flaua signare diplomata perrexerunt. In Gallia cerae flauae vsus non vltra saeculum XIII. ascendere videtur. Postero tempore Reges Galliae sigilla flaua soli fere sibi quasi vindicarunt, ita vt nunc quoque literae regiae & acta vsualia cera flaua signentur.

3. Si-

3. Sigilla *rubra* primi omnium Imperatores Byzantini vsurpasse videntur: constat certe, eos duplici cera, rubra nempe & viridi signasse, & eam quidem ob caussam, testante *Balsamone*, vt & Imperatores se & Patriarchas esse demonstrarent. MABILLONIVS quidem iam Merouaeadas pariter, atque Carolidas *cera rubricata* interdum vsos esse tradit; sed videtur sigilla alba, quae vetustas in flaua aut rubricata mutauit, cum rubris confudisse. In Angliae Regibus *Wilhelmus II. Rufus* (A. 1087-1100.) ex Galliae Regibus *Ludouicus VII. Iunior* (A. 1137-1178.), & inter Imperatores Germanicos *Fridericus I. Barbarossa* (A. 1152-1190.) primi, quantum constat, cera rubra signarunt. Post interregni magni, quod vocant, tempora, hoc est, sub finem saeculi XIII. cerae rubrae vsus tam in Gallia, quam in Germania frequentior factus est, ita vt Imperatores quosdam, multosque *Principes*, *Episcopos*, *Abbates*, quid? quod *Nobiles* etiam (vid. *Historia mea Holzschuheriana* p. 32. sq.) ea signasse deprehendas. In Germania tamen magnum huic cerae generi pretium statutum est, adeo vt Sigismundus Imperator adhuc A. 1423. Friderico Bellicoso, Saxoniae Electori, cera rubra vtendi potestatem, ceu priuilegium quoddam, concederet. Etsi vero hodie tam Imperatores ordinesque Imperii, quam Reges Daniae, Sueciae & Poloniae sigilla rubra prae ceteris vsurpare solent; in Gallia tamen & Anglia restrictior eorum vsus est: illic enim expediendis tantum negotiis, quae ad Prouinciam, Delphinatum, aliasque terras cum Regno non coniunctas spectant, hic signandis dumtaxat commissionis, quas dicunt, literis adhibentur. *Pontifices Romani* a multis retro saeculis *Breuia* annulo Piscatoris in cera rubra signare solent. *Cardinales* etiam interdum cera rubra vsos esse constat.

4. Sigilla *viridia* etsi antiquitus ab *Orientis* Imperatoribus & Patriarchis vsurpata sunt; in *Gallia* tamen non ante saeculum XII. in *Germania* autem & *Anglia* demum saeculo XIV. innotuerunt. Quemadmodum vero sigilla viridia, pura nempe, in Germania admodum rara sunt; ita e contrario in Gallia nunc quoque magno in pretio habentur, regiisque literis vel maximi momenti imprimi solent. In Anglia hodie cerae viridis vsus literis tantum, quas chartas (*chartres*) vocant, signandis reseruatus est.

5. Sigillorum *caeruleorum* nullum exemplum exstat, nisi quod Carolus V. Imperator Doctori Norimbergensi *Stockhamero* A. 1524. cera caerulea vtendi ius ac potestatem dedit.

6. Sigilla *nigra* in *Germania* quidem nulla, in aliis vero terris non prorsus incognita fuerunt. Vt enim *Patriarchas Constantinopolitanos* taceam, quos cera nigra interdum signasse tradunt, *Magnus Ordinis Teutonici in Prussia Magister*, item *Magnus Melitensium Equitum Magister*, praeterea *Nobiles* quidam nigris sigillis vsi sunt. In *Gallia* iam A. 1274. cerae nigrae vsus cognitus fuit. Vid. HEINECCIVS p. 50-54. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 32-42.

§. 336.

De sigillis cereis mixtis.

Sigilla cerea mixta sunt sigilla, quae ex diuersi coloris cera sunt composita. Atque huiusmodi sigillorum nullum, saeculo XIV. antiquius, vidisse se HEINECCIVS profitetur, reprehensus ob id cum a beato *Chronici Gotwicensis* auctore (p. 104.), tum ab auctoribus *noui operis diplomatici*. Sed Heineccius, quantum ego quidem iudicare possum, caussa nondum cecidit. Etsi enim satis multa Carolidarum & subsequentium Imperatorum ac Regum diplomata vidi, nullum tamen, fateor, mihi occurrit, cuius sigillum in *limbo* illo eminentiore alium cerae colorem, & diuersum ab interiore parte, cui typarium impressum est, prae se ferret. Cerae itaque colore haec sigilla a Merouingicis sigillis non differunt: idem vtrobique color deprehenditur, margo autem seu limbus eminentior in Carolidarum & posterorum Principum sigillis inde exstitit, quod haec, quia maiora Merouingicis annulis erant, vehementiore vi atque impetu imprimerentur, ideoque altiora typarii vestigia & quasi excauationes relinquerent. Sed vt redeam ad id, vnde coepi, sigillorum mixtorum quatuor potissimum genera sunt. *Primum* est eorum, quae a tergo contrasigillum alio colore impressum habent, cuiusmodi multa sunt Caroli IV. Sigismundi aliorumque huius aetatis Imperatorum, item quamplurimorum Episcoporum sigilla. *Alterum* genus eorum est, quae sculpturam quidem rubrae, aut viridi cerae impressam habent, sed cereae quasi lanculae aut albi, aut flaui coloris infusa cernuntur. Huius generis sunt pleraque sigilla Praesulum, Principum, Comitum ac Nobilium, quae saeculis XIV & XV. comparuerunt, inprimisque ea, quae secreta appellantur. Ac initio quidem nulla fere coloris ratio in hoc sigillorum mixtorum genere habita videtur: siquidem omnes sacrae dignitatis homines, vt Archiepiscopi, Episco-

Episcopi, Abbates & Abbatissae rubram ceram vsurparunt, saeculares vero Principes Comitesque non dubitarunt viridem etiam adhibere, quam tamen eodem tempore non tantum ciuitates, Monasteria, & Nobiles, sed priuati etiam vsurpabant. Sed paullo post cerae rubrae nescio quid praerogatiuae tributum est, adeo vt saecularibus etiam personis color viridis displiceret, quem cum rubro commutare non Principes tantum & Comites, sed etiam ciuitates ac Nobiles studuerunt, id quod partim ex ipsorum sigillorum intuitu, partim ex multis diplomatibus Caesareis, quibus his illisue ius vtendi cera rubra concedebatur, cognoscere licet. Occurrerunt mihi, vt hoc addam, recentiorum praesertim Imperatorum sigilla, tantae quidem *magnitudinis*, vt lancis cereae, cui infusa sunt, diameter integrum fere pedem aequet. Ad *tertium* sigillorum mixtorum genus refero sigilla non limbata, hoc est ea, quae limbo s. margine eminentiore carent, licet ex diuersi coloris cera conflata sunt, ita nempe, vt, vna ex parte vel rubra vel viridia sint, ex altera vero vel alba vel flaua appareant. Atque horum sigillorum ante saeculum XVI. non tam exiguus numerus, quam Heineccius existimauit, reperitur. *Quartum* denique genus est eorum, quae ex binis diuersis sigillis quasi coagmentata sunt, vt "si quando Princeps „& subditi (sunt verba Heineccii) eidem cerae impressere sigilla, atque „adeo ille rubro, hi alio colore vsi sunt. Tale est illud Ciuitatis Fran„cofurtensis ad Viadrum, diplomati super fundatione Monasterii Kar„thusiensis die 10 Augusti anno 1396. confecto, adpensum, quippe „quod, ill. Sam. Strykio teste in diss. (de cera rubra) *Gallum ac reliqua „insignia Francofurtanae ciuitatis in alba cera expressa exhibet, cuius „parti superiori inserta conspicitur aquila Electoris Brandenburgica fru„stulo cerae rubrae impressa.*" Rarissima huius generis sigilla esse, per se intelligitur. Duo adhuc, priusquam ab hoc loco discedimus, obseruanda videntur. Vnum est hoc, reperiri inde a saeculo XV. sigilla, quae pura quidem per se sunt, sed mixtorum speciem ideo habent, quod capsulis vel metallicis vel ligneis inclusa cernuntur, cuius generis sigilla aliquot, eaque viridia ex saeculo XV. ipse possideo. Alterum hoc est, inualuisse ineunte saeculo XVI. consuetudinem, ceram, rubram inprimis, frustulo quodam papyraceo albo ita tegendi, vt typarium non cerae ipsi, sed frustulo papyraceo imprimeretur, id quod nunc quoque in sigillis farinaceis fieri videmus, quae ex *oblatis*, quas dicunt, parantur. Vid. HEINECCIVS p. 54. sq. & *Nouv. Traité de Dipl.* T. IV. p. 42. sq.

§. 337.

§. 337.

De sigillis cretaceis, farinaceis & malthinis.

Sigilla *cretacea* omnium fortasse sigillorum antiquissima sunt, vtpote quibus iam Aegyptii veteres, item Graeci ac Romani, vtebantur. Eorum media quoque aetate, quamquam rarissime, mentio fit. Sed literas etiam Regum publicas farina macerata, quam *pastam* s. crudum panem dicebant, signatas fuisse, constat. Atque haec sunt sigilla, quae *farinaceorum* nomine insignire placet. Ad farinacea etiam referri possunt sigilla, ex *oblatis*, quas dicunt, parata, quorum hodie vsus quam late pateat, nemo est, qui ignoret. *Malthina* denique, siue *mastichata* sigilla voco, quae ex maltha siue mastiche facta sunt. Maltha autem, quae interdum ad signandum adhibita est, varie explicatur: aliis enim est pix cum cera mista; alii vero eam e pice liquida & axungia, vel seuo, item e calce minutatim superadiecta confectam esse tradunt. Occurrit mihi eiusmodi sigillum malthinum, siue quod idem est, mastichatum, quod in praefatione *Historiae meae Holzschuheriane* p. 8. descripsi. Impressum est (non appensum) literis, chartae linteae A. 1389. inscriptis, a Friderico Holzschuhero, Ordinis Teutonici equite. Vid. HEINECCIVS p. 55. sq. & *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 31. sq. coll. cum TROTZII notis ad *Hugonis* lib. de prima scribendi origine p. 73. sq.

§. 338.

De cera Hispanica in transcursu.

Cera Hispanica, qua hodie ad obsignandas literas plerumque vtimur, ante hos centum & viginti quinque circiter annos in *Gallia* a mercatore quodam Parisino, cui nomen erat *Rousseau*, inuenta est. Is quum fortunam tam aduersam expertus esset, vt omnia sua flammis amitteret, necessitate, vltimo telo coactus, ceram hanc signatoriam, cuius conficiendae modum in India orientali didicerat, elaborandam suscepit, tantumque inde lucri cepit, vt breui tempore ac velut repente ex Iro Croesus fieret. Dedit autem huic cerae nomen Hispanicae, vt eam a liquida gummi lacca distingueret. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 33. Adde HÜBNERI *Kunst-Lexicon*, in quo hoc cerae genus pluribus descriptum est.

§. 339.

§. 339.

De sigillorum figura.

Sigillorum *figura* admodum variauit. Nam vt veterum *Graecorum Romanorumque* annulos pariter, atque tabellas aeneas omittam, quae posteriores cum literis, tum inprimis fictilibus vasis aliisque rebus obsignandis adhibebantur, & plerumque quadratum oblongum, interdum plantam pedis, vel circuli quadrantem, soleam ferream, lunam crescentem, cet. referunt; possunt sigilla, mediae praesertim aetatis, ratione figurae in *rotunda*, *triangularia*, *quadrata*, *pentagona*, *hexagona*, *octogona*, & *caua* s. *lanciformia* dispertiri, de quibus singulis pauca dicemus.

§. 340.

De sigillis rotundis, eorumque in orbicularia, oualia & parabolica diuisione.

Sigilla *rotunda* sunt vel

1. *orbicularia* (vid. Tab. IX. num. 1-7.) Huius generis sunt 1) omnes fere bullae, tam Imperatorum veterum Romanorum, vt Aurelii & Lucii Veri, quam eorum omnium, quos bullis, aeuo praesertim medio, vsos supra (§. 330-333) diximus, 2) sigilla cerea a) omnium Meroueadum, solis Childerico I & III. exceptis, b) ex Carolidis tantum Caroli III. Crassi, Arnulphi & Ludouici IV. Infantis, item Zuenteboldi, Regis Lotharingiae, & Lotharii, penultimi Carolingicorum Galliae Regum, c) omnium Imperatorum ac Regum Germanicorum, d) omnium Capetiorum, solo Roberto excepto, e) omnium Regum Hispaniae, Siciliae, Scotiae, & plerorumque Regum Angliae. Deinde veteres etiam Duces, Comites, Dynastae & Nobiles orbicularibus plerumque sigillis vsi sunt. Eamdem porro formam antiquissima sigilla ecclesiastica habent. Etsi vero orbicularia sigilla ecclesiastica postmodum rara facta sunt; multis tamen Episcopis, Abbatibus & Abbatissis sigilla orbicularia a saeculo XII - XV. placuerunt.

2. *oualia*

a. *perpendicularia* (vid. Tab. V. num. 3 & 6.). Huiusmodi sigillis vsi sunt 1) quidam ex veteribus Imperatoribus Romanis, vt Alexander

Seuerus in bulla quadam plumbea, 2) ex Merouecadibus soli Chil dericus I & III. 3) Carolidae omnes tam in Gallia, quam in Germania, exceptis Carolo III. Crasso, Arnulpho, Ludouico IV. Infante, item Zuenteboldo Lotharingiae Rege, & Lothario, penultimo Carolingicorum Galliae Regum, 4) Eudes s. Otto, Galliae Rex, 5) ex Capetiis solus Robertus. Inde a saeculo XI. rara haec sigilla fieri coeperunt, ita tamen, vt subinde, praesertim saeculo XIV. ab Episcopis & Comitibus vsurpata deprehendantur.

b. *horizontalia* (vid. Tab. IX. num. 9.). Horum vsus in Italia praesertim inde a saecnlo X. inualuit.

3. *parabolica*

a. *rotundata* (vid. Tab. IX. num. 10), quae inde a saeculo XII. potissimum Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, Monasteriis, Capitulis, Officialibus & feminis illustribus placuerunt.

b. *cuspidata* (vid. Tab. IX. num. 11.), quibus inde a saeculo XI. personae ecclesiasticae & feminae illustres, item Principes & Optimates, quamquam rarius, vsi sunt.

4. *triangularia*, quibus inde a saeculo XII. (hoc est, ex eo tempore, quo insignia gentilitia sigillis inferri coepta sunt) Principes rarius, at Comites, & Nobiles tam agrarii, quam vrbani s. Patricii semper fere vtebantur. Ex his sigillis quoniam nonnulla trianguli, alia cordis, rursus alia scuti, vel piri etiam siue folii, item trifolii speciem prae se ferunt, possunt denuo distribui in

a. *triangularia proprie dicta*, (vid. Tab. IX. num. 8.)

b. *cordiformia*, (vid. Tab. IX. num. 12.)

c. *scutiformia*, tam *cuspidata* (vid. Tab. IX. num. 13. 14. 15.), quam *rotundata* (Tab. IX. num. 16.)

d. *piriformia* siue *foliata* (Tab. X. num. 1.)

e. *trifolina*, quae omnium rarissima sunt (Tab. X. num. 2.)

* Vid. HEINECCIVS p. 56-59. & *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 44-57.

§. 341.

§. 341.

De sigillis quadratis, pentagonis, hexagonis, octogonis, item cauis s. lanciformibus.

1. Sigilla *quadrata* admodum rara sunt. Pertinent huc
   a. *quadrata proprie dicta*, cuius generis bullae quaedam plumbeae sunt, vt Traiani Imperatoris, item Sergii & Stephani, Pontificum Romanorum incertorum (Tab. X. num. 3.).
   b. *oblonga*
      1) *horizontalia* (Tab. X. num. 4.), cuius generis sigillis, iisque aeneis, tam Graeci, quam Romani veteres vsi sunt, vid. supra §. 339.
      2) *perpendicularia* (Tab. X. num. 5.), cuiusmodi pauca ex saeculo potissimum XIV. supersunt.
   c. *rhombata* (Tab. X. num. 6.), qualia iam saeculo XIII. quamquam raro, vsurpata sunt.
2. Sigilla *pentagona*, ex saeculo XIV. vid. Tab. X. num. 7.
3. Sigilla *hexagona*, tam *cornuta* inde a saeculo XIII. (Tab. X. num. 8.), quam lineis rectis formata, ex saeculo XIV. (Tab. X. num. 9. 10.). Hexagona non tam rara sunt, quam pentagona.
4. Sigilla *octogona* iam in veterum annulis expressa cernuntur, vsurpata deinde etiam saeculo XVI. a quibusdam Nobilibus sunt, vid. Tab. X. num. 11.
5. Sigilla *caua* siue *lanciformia*, quae HEINECCIO ea dicuntur sigilla, quae sculpturam in medio orbe admodum depressam, perigraphen vero exstantiorem habent, vt totum sigillum lanci videatur simile. Huius generis exempla duo HEINECCIVS attulit; alia, aeque inusitata, in nouo opere diplomatico exhibentur.

* Vid. HEINECCIVS p. 60. sq. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 57-63.

§. 342.

De sigillorum quantitate.

Quantitas sigillorum non minus, quam figura & materia, variauit. Ac *bullarum* quidem *aurearum* quantitas in superioribus (§. 330.) pro

instituti nostri ratione definita est. Quod vero ad *cerea sigilla* attinet, placet eorum quantitatem HEINECCII verbis describere. "Cerea „Francorum (inquit p. 61.), vt & Conradi I. & Henrici I. aetate, flo„renum Germanicum vix excedunt. Postea sensim magnitudine creue„runt. Trium Ottonum sigilla tres fere digitos habent in diametro, „Conradi II. quatuor, Henrici III. & IV. paullulum minus quam qua„tuor, Lotharii quatuor & semissem, Conradi III. quatuor, Friderici I. „quatuor, nec non quatuor & semissem. Nec vidi ex saeculo X. & XII. „sigillum, quod quinque digitos excedat. At saeculis insequentibus „mirum, quantopere creuerit sigillorum moles, Ottonis IV. Henrici VII. „Guilielmi sigilla diametro quinque digitos, Rudolphi I. paene sex, at „omnium maxima Friderici III. septem absoluens. Idem quoque discri„men in principum, episcoporum, monasteriorum sigillis obseruatur, „quorum seorsim hic definire magnitudinem, nimis esset taedioſum. „Deficiente iam prope saeculo XIV. sigillorum moles veluti ad extre„mum deducta, paullatim decreuit, donec ad eam, qua hodie vtimur, „rediit. Hinc exspirante saeculo XV. & ineunte XVI. sigilla ab episco„pis adpensa notaui quadrimulo quem *einen Mattier* vel *Vierling* voca„mus, haut multo maiora. Adeo etiam ex sigillis diuersus saeculo„rum genius hominumque animus ad nouas subinde mutationes procli„uis elucet, cet." Quae Heineccius de sigillis Germaniae dixit, ea quoque ad reliquorum regnorum sigilla pertinent, id quod cum ex ipsorum sigillorum intuitu, tum ex *nouo opere diplomatico* pag. 64. sq. cognoscitur. Conf. etiam, quae supra (§. 336.) de magnitudine sigillorum, recentiorum praesertim Imperatorum, dicta sunt.

§. 343.

De sigillorum inscriptionibus.

Scripturas in *literales* & *reales* diuidi, iam supra (§. 72. p. 82. sqq.) dictum est. Vtrarumque specimina in sigillis obseruantur. Possunt itaque *inscriptiones sigillorum*, hoc est, ea in vniuersum considerata, quae sigillis inscripta cernuntur, siue verba sint, siue res rerumque imagines, in *literales* & *reales* dispertiri. In plerisque sigillis vtriusque generis inscriptiones, reales nempe pariter, atque literales animaduertuntur. Atque haec sigilla doctrinae causſa *epigrapha* dicere liceat, quibus opponuntur tum *monepigrapha*, quae non nisi inscriptiones literales

rales habent, quam *anepigrapha*, quae omni inscriptione literali carent. Clarius hoc discrimen ex iis, quae de inscriptionibus sigillorum literalibus & realibus sigillatim dicemus, intelligetur. Quoniam denique inscriptionum literalium aliae in margine sigillorum, aliae in ipsa area ad explicationem quarumdam imaginum, exaratae deprehenduntur, possunt inscriptiones literales in *perigraphas* & *epigraphas*, vel etiam in *primarias* & *secundarias inscriptiones* distingui.

§. 344.

De inscriptionibus sigillorum literalibus.

De *inscriptionibus literalibus* sigillorum haec teneamus

* Vid. HEINECCIVS p. 62-73. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 65-78.

I. *Generatim:* 1) Quo antiquiora sigilla sunt, eo simpliciores & breuiores eorum inscriptiones literales esse solent; 2) Longiores inscriptiones inde a saeculo XI. magis vero a saec. XIII. inualuerunt; 3) Vnius eiusdemque personae sigilla diuersas haud raro inscriptiones literales habent, quia nempe, vt in superioribus (§. 318.) dictum est, Principes aliique etiam homines pluribus saepe ac diuersis inter se typariis & olim vsi sunt, & nunc quoque vtuntur; 4) Bullarum inscriptiones literales ab inscriptionibus sigillorum cereorum multum discrepant; 5) Inscriptiones sigillorum literales ad regnum scripturarum artificiale pertinent, de cuius ordinibus, partitionibus, generibus ac speciebus iam supra (§. 73-222.) pluribus exposuimus.

II. *Speciatim* notentur:

1. *Literae*, quae interdum graecae, plerumque vero latinae, ac maiusculae quidem vsque ad medium saeculum XIV. (§. 73.), fuerunt. Ex literis sigillorum ipsorum aetatem ac fidem aestimari posse, per se intelligitur.

2. *Interpunctiones*, vid. §. 52.

3. *Siglae verbales* (§. 62.). E. gr. in bulla quadam plumbea Caroli M. inscriptio siglis hunc in modum expressa est: DN. KAR. IMP. P. F. PP. AVG hoc est: *Dominus noster Karolus Imperator, pius, felix, perpetuus Augustus.* Huc etiam Friderici IV. Imperatoris siglae aenigmaticae A. E. I. O. V. referendae sunt.

4. *Notae numerales* pariter atque *verba numeralia*, quibus partim plures eiusdem nominis Imperatores ac Reges, item Pontifices Romani distinguebantur, partim annus, quo typarium factum, vel etiam possessor eius natus est, indicabatur. Ex Imperatoribus 1) Italicis, Ludouicus III. iam ineunte saeculo X. 2) ex Germanicis Henricus III. & V. Lotharius II. Conradus III. Ludouicus Bauarus, Carolus IV. Fridericus IV. Rudolphus II. cet.; ex Regibus Galliae solus Franciscus I. quantum mihi quidem constat; ex Regibus Angliae Henricus I. item Richardus I. Normanniae Dux; & Pontifices Romani inde a Leone IX. (A. 1049-1054.) numeris huiusmodi a praedecessoribus vel successoribus suis eiusdem nominis distincti fuerunt. Typarii autem confecti epocha in contrasigillo curiae Episcopi Halberstadensis diplomati, quod A. 1302. exaratum est, adiuncto, ap. LEYSER. de contrasigillis p. 41. in hac perigraphe indicata est: S. FCM. ANO. DN. M. CC. XCI. hoc est: *Sigillum factum anno Domini 1291.* Simile exemplum in Cel. OETTERI *Geschichte der Burggraven zu Nürnberg* P. I. p. 79. exhibetur, ita inscriptum: *Sigillum Iudicii Prouincialis Burggrauiatus in Nurnberg 1450.* Quoniam sunt, qui statuant, notas Chronicas in sigillis numquam expressas esse, inprimisque IOACHIM, V. C. *in der Einleitung zur Teutschen Diplomatic* p. 104. id sibi aliisque persuasit; placet alia quaedam huius generis exempla ex HVEBERI Austria illustrata huc transcribere, vt: 1) ad an. 1459: *S. Friderici Dei Gratia Romanorum Imperatoris Semper Augusti Austrie Stirie etc. Ducis 1458*; 2) ad an. 1478: *Sig. Caspar. Vorster. Prepositi. Domus. S. Floriani 1467*; 3) ad an. 1483: *S. Friderici. Romanorum. Imperatoris --- 1464*; 4) ad an. 1484: *Sigill. Iorig. basil. 1477*; 5) ad an. 1497: *Sigillum Sancti Sebastiani in Eberspers. & renouatum est sub anno domini M. CCCXXI*; 6) ad an. 1531: *Si. Hainrici Abbatis in Seitenstetten 1524*; 7) ad an. 1585: *Sigillum Conuentus Medlicensis. Anno. 1540.* Huius generis exemplum exstat etiam in FALCKII Cod. Tradition. Corbeiens. Tab. XI. num. 6 ad an. 1538: *Sigillum. ciuitatis. Hannouer 1534.* Alia duo sigilla, numeris notata ego ipse in *Historiae meae Holzschuherianae* Tab. XVII & XVIII. ad an. 1552 & 1560. exhibui, quorum vnum praeter siglas G F M B P Z C, hoc est, *Georgius Fridericus Marchio Brandenburgensis*,

burgenſis, Pruſſiae etc. annum *1544.* alterum vero, quod fuit *Wilhelmi, Archiepiſcopi Rigenſis,* natu *Marchionis Brandenburgenſis,* praeter nomen & titulum, quorum pauca veſtigia in perigraphe ſuperſunt, annum *1545.* exprimit. Sed ſigilla etiam interdum annum, quo poſſeſſores eorum nati ſunt, deſignant. Huc pertinet 1) ſigillum Rudolfi IV. Archiducis Auſtriae ad an. 1359. apud HVEBER. in Auſtria illuſtrata, ita inſcriptum: † *Rudolfus Quartus Dei Gratia Palatinus Archidux Auſtrie Styrie Karinthie Sueuie & Alſatie Dominus* † *Carniolie Marchie ac Portus Naonis. Natus Anno Domini M. CCCXXX;* & 2) ſigillum Friderici IV. Imperatoris ap. HEINECC. p. 109. cum hac perigraphe: *Sigillum Maieſtatis Friderici Dei Gratia Romanorum Imperatoris Semper Auguſti Ducis Auſtrie Karinthie & Carniole Comitiſque Tirolis etc.* & infra additum: *Qui natus eſt in die Mathei Apoſt.* CIↃCCCCXV.

5. *Monogrammata,* vnde illud monogrammatum genus exiſtit, quae ſupra (§. 278.) monogrammata *ſphragiſtica* diximus.

6. *Signum crucis,* de quo ſupra (§. 267.).

7. Vox *ſigillum,* vel integris literis, vel ſiglis aliiſque ſcripturae compendiis, vt *S. Si. Sig. Sigill.* item *S.a* ſcripta, demum ſaeculo X. magis vero inde a ſaec. XII. inſcriptioni ſigillorum praemiſſa eſt.

8. Formula *Dei Gratia,* eique ſimiles aliae formulae, vt *Dei miſericordia, nutu,* cet. Formula haec primum vſurpata eſt a Carolo II. Caluo, neglecta ab omnibus Meroueadibus & a pleriſque Carolidis, reſtituta deinde ab Imperatoribus Germanicis, Capetiis, cet. adhibita etiam a Principibus, Comitibus, item ab Epiſcopis, quamquam non ſemper, & inde a ſaeculo XII. ab Abbatibus quoque. Exeunte ſaeculo XIII. poſtquam electiones abolitae ſunt, Epiſcopi, Principum ſaecularium, vt credibile eſt, exemplum ſecuti, non Dei tantum, ſed *apoſtolicae* etiam *ſedis gratia* ſe Epiſcopos eſſe declararunt, cuiuſmodi eſt ſigillum Arnoldi, Epiſcopi Bambergenſis, ad an. 1287. inſcriptum: † *Arnoldus. Dei. &. Aplice. Sed. Gra. Babenbergen. Eps.* Principes ſaeculares iam ſaeculo XI. in diplomatibus dignitatem ſuam *Dei & Imperatoris gratia* acceptam retuliſſe, vel Bertholdi, Ducis Zaehringenſis († 1077.) exemplo condocemur.

9. *No-*

9. *Nomina & tituli*, discrepant partim inter se pro temporis diuersitate, partim a nominibus & titulis, in fronte ipsorum diplomatum expressis. *Terrarum hereditariarum* nomina sigillis primum, quantum mihi quidem constat, illata sunt in Anglia a *Wilhelmo I. Conquestore* (A. 1066-1087.), in Sicilia a primo Siciliae Rege, *Rogerio* (A. 1130.), in Gallia a *Ludouico VII. Iuniore* (A. 1137-1178.), in Germania ab *Henrico VI. Imperatore* (A. 1190-1197.), in Oriente a primo Imperatore Latino, *Balduino* (A. 1204.), in Hispania a *Iacobo*, Aragoniae Rege (A. 1226), cet. Otto III. Imperator in sigillis imperialibus, & Henricus III. in regiis titulum *Romanorum* primi adhibuerunt: quemadmodum Henricus VI. tam in regiis, quam in imperialibus sigillis voculam *semper* titulo *Augustus* primus praemisit.

10. *Nomina cognationis* etiam sigillis inscripta fuisse ex his exemplis cognoscitur: 1) ad an. 1194: † *Balduinus filius Marchionis Namurci Comitis Hanoie*; 2) ad an. 1225: † *S. Margarete Sororis Comitisse Flandrensis*; 3) † *Conradus.* (IV. A. 1250-1254.) *Diui. Augusti. Imperatoris. Friderici. filius. Dei. Gratia. Romanorum. in. Regem. electus. & Heres. Ierusalem*; 4) ad an. 1269: † *S. Otakari. siue. Premislai. Quinti. Regis. Boemorum. Marchionis. Morauie. filii. Wenceslai. Regis. Quarti*; 5) ad an. 1383: † *Sigillum Philippi filii Regis Francorum Ducis Burgundie*, cet.

11. *Natales* praeterea in sigillis quibusdam indicatos esse, iam num. 4. huius §. diximus.

12. *Inscriptiones metricae* & varia *versuum leoninorum*, quos dicunt, specimina in sigillis iam inde a saeculo IX. obseruantur.

§. 345.

De inscriptionibus sigillorum realibus.

Quemadmodum iam antiquissimis temporibus moris fuit, in sigillis *imagines figurasque symbolicas* varii generis exhibere, & Christiani veteres etiam annulos habuerunt, quibus simulacra multarum rerum, vt columbarum, piscium, ancorarum, lyrarum, duarum manuum sibi inuicem iunctarum, cet. tamquam symbola insculpta erant; ita eadem consuetudo ad mediae quoque aetatis homines, & hinc ad nostrum vsque

vsque aeuum propagata est. Omnia vero haec imaginum figurarumque genera ad *scripturas reales* pertinere, ex iis, quae supra (§. 72. p. 82. sqq.) dicta sunt, patet. Possunt autem *inscriptiones sigillorum reales* in duas potissimum classes describi, 1) *idiopragmaticas*, tam *holographicas*, quam *cyriologicas*, & 2) *symbolicas*: de quibus nunc sigillatim pauca dicenda sunt.

I. *Inscriptiones idiopragmaticae.* Refero huc imagines cum Sanctorum, tum Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, Episcoporum, Abbatum, cet. quorum quoniam nunc capita tantum, nunc protomae siue effigies vmbilico tenus, nunc integra corpora in sigillis exhibita cernuntur; patet, inscriptiones idiopragmaticas sigillorum vel *cyriologicas* esse, vel *holographicas*. In sigillis vero an satis accurate vultus eorum, quos diximus, expressi fuerint, tam inerti praesertim artiumque rudi aeuo, quaerunt, varieque, vt mos est hominum doctorum, respondent. Ego quidem etsi cum HEINECCIO p. 181. sqq. & p. 211. sq. statuere non dubito, sigilla multum prae numis praerogatiuae hoc in genere habere, & id quoque commodi nobis afferre, vt ex imaginum vultu & habitu ipsorum sigillorum fidem aestimare possimus; varie tamen contra ipsarum rerum naturam hac in re ab artificibus medii aeui peccatum esse video. Sic, vt hoc vtar, Ludouico IV. Infanti, quem numquam ex ephebis excessisse constat, sigilla eaque maxime genuina vultum viri paene senescentis tribuunt. Vid. Tab. IX. num. 3.

II. *Inscriptiones symbolicae.* Conf. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 78-95. & p. 374-394. Huc pertinent

1. *Cruces*, pietatis christianae ac fidei symbola, quae in area sigillorum, in fronte perigraphes & post nomina etiam (§. 267.), item in globis terrestribus, sceptris, coronis expressae, quid? quod sceptri etiam loco vsurpatae cernuntur.

2. *Coronae*, Imperatorum, Regum, Principum capitibus impositae, summae vel ad summam proxime accedentis auctoritatis symbola. Variant autem coronae mirum in modum, vt ex earum figuris a BERNHARDO DE MONTFAVCON (*Monum. de la Monarch. Franc.* T. I. Tab. 2. & ab HEINECCIO p. 208. sq. exhibitis patet, cum quibus conferendus est GANGIVS in dissertatione XXIV. ad Ioinvilleum. Sunt scilicet coronae laureae, radiatae, florigerae,

quarum ſpecies liligerae ſunt; item margaritis gemmiſue diſtinctae; porro apertae, clauſae & ad modum mitrarum compoſitae, cet. Meroueades omnes, ſi Chilpericum I. & Childericum III. excipias, coronis abſtinuerunt in ſigillis. Pipinus, eiuſque filius Carolomannus, itemque ipſe Carolus M. antequam ad imperialem dignitatem peruenisſet, diademate redimiti in ſigillis cernuntur. Carolidae inde a Carolo M. vſque ad Ludouicum IV. Infantem, Germaniae Regem, & Ludouicum Vltramarinum, Regem Galliae laureis potiſſimum coronis delectati ſunt. Duo autem Ludouici, quos diximus, radiatas coronas, primi, quantum mihi quidem conſtat, in ſigilla induxerunt, quas in Gallia mox Hugo Capetus floribus lilii diſtingui iuſſerat. Coronis clauſis Imperatores ac Reges Cermanici inde a ſaeculo X. vſi ſunt. In Anglia coronas clauſas iam Wilhelmus I. Conqueſtor († 1087.), in Gallia vero demum Carolus VIII. († 1498.) ſigillis intulit. Scuta gentilitia ſero, & in confinio circiter ſaeculorum XV. & XVI. coronis tecta fuerunt.

3. *Haſtae*, quae poteſtatis & imperii ſymbolum ſunt, & interdum, pilorum & lancearum ſpeciem prae ſe ferunt, iam in numis veterum Imperatorum, deinde in ſigillis etiam Childerici III. Caroli III. Craſſi, Conradi I. Richardi II. Normanniae Ducis, aliorumque expreſſae deprehenduntur. A ſuperiore bipennis parte repetunt quidam homines eruditi *flores lilii*, qui quum initio nuda plerumque ornamenta eſſent, progreſſu temporis multorum Principum, Nobilium, cet. inprimiſque (inde a Ludouici VII. Regis tempore) Regum Galliae inſignia fiebant.

4. *Sceptra*, dignitatis regiae vel imperialis antiquiſſimum inſigne, non confundenda cum *baculis regiis*, qui licet interdum quoque *ſceptra regalia* dicti fuerint, proprie tamen pro gubernaculi & adminiſtrationis ſymbolo habendi ſunt. Deſinunt autem ſceptra nunc in crucis, nunc in lilii figuram, interdum globulis terminantur. Ante Arnulphum Imp. & Lotharium, penultimum ex Carolidis Galliae Regem, in ſigillis nulla ſceptra proprie dicta animaduerti. Richardus I. Angliae Rex manu dextra ſceptrum, cruce terminatum, ſiniſtra vero baculum aureum, in columbam deſinentem, tenet.

5. *Ba-*

5. *Baculi regii*, diuersi a sceptris, vid. num. 4. praeced.

6. *Globi terrestres*, seu *poma imperialia*, quibus veteres iam Imperatores Romani in numis vsi sunt, vt orbis se dominos esse ostenderent. Ab his globi ad Imperatores Constantinopolitanos peruenerunt, qui inuidiae minuendae caussa crucem addiderunt, quo factum est, vt globi hi etiam *crucigeri globi* vocarentur. Eiusmodi globus cruciger in bulla Ludouici Pii primum, deinde in alia quoque bulla Caroli Calui, postea etiam in sigillis cereis, potissimum inde ab Ottone II. obseruatur. Etsi vero in Gallia non minus quam in aliis Europae regnis, globus cruciger semper pro insigni dominationis supremae habitus est; nullus tamen Galliae Regum, praeter Hugonem Capetum eiusque filium Robertum, item Ludouicum XII. in rebus Italiam respicientibus, globo crucigero in sigillis vsus fuit. Conf. HEINECC. p. 86.

7. *Manus iustitiae*, quae dicitur, est symbolum iustitiae supremae Regum ac Principum, primum ab Hugone Capeto vsurpatum (vid. Tab. X. num. 12.), deinde restitutum quasi a Ludouico X. & continuatum ab eius successoribus vsque ad Carolum VI. qui primus manum iustitiae cum sceptro coniunctam, prouti nunc quoque moris est, adhibuisse dicitur. Ex Imperatoribus nostris nemini hoc symbolum placuit; contra Reges Angliae morem gallicum imitari non dubitarunt.

8. *Throni* in sigillis potissimum maiestaticis expressi cernuntur, & cum his simul introducti sunt. Vid. supra §. 327. Vetustiores throni sphragistici a sellis vulgaribus parum discrepant.

9. *Gladii*, qui inter antiquissima auctoritatis & iustitiae vindicatiuae symbola numerari debent, in contrasigillis pariter, atque in sigillis equestribus Regum, Ducum ac Comitum veterum exhibentur. Gladius inprimis nota auctoritatis principalis, vt sceptrum regiae, erat. Sigillorum Herbipolitanorum perigraphe: *Herbipolis sola iudicat ense stola*, in prouerbium fere abiit. Fuerunt autem gladii sphragistici plerumque nudi, ac initio quidem breuiores acutioresque, postea longiores tantaeque molis, vt nunc clypeis, nunc thoracibus catena satis longa annecterentur.

10. *Vexilla*, supremae dominationis Principum, qui ea manibus tenent, symbolum, in sigillis Caroli III. Crassi, Conradi I. Henrici I. &

Ottonis III. itemque designati Regis Galliae, Ludouici Crassi, & saeculis XII & XIII. in permultorum Principum Comitumque sigillis exhibentur. Figura vexillorum quam varia fuerit, ex HEINECCIO, qui ea in opere suo de sigillis p. 199. aere exscribenda curauit, cognosci potest.

11. *Clypei*, defensionis, quam Principes hominibus sibi subiectis debent, symbolum, in sigillis Ludouici Pii, Caroli III. Crassi, Conradi I. & Ottonis I. item Ludouici VII. Galliae Regis, ac denique in multorum Principum sigillis expressi cernuntur. Clypei hi, in quibus totius artis heraldicae origo latet, varii generis fuerunt, orbiculares, triangulares, ouales, cuspidati cet. & plerumque vinculo quodam coriaceo vel catena collo alligati sunt, ne scilicet in conflictibus praeliisque cum honoris periculo amitterentur. Sinistro plerumque lateri, interdum vero etiam dextro appensi cernuntur. Vid. HEINECCIVS p. 201. sq. vbi & eorum figuras varias, aeri incisas videbis.

12. *Vestimenta*, ac primo quidem *pallium* siue *chlamys*, humero dextro fibula quadam alligata, ita quidem, vt brachium dextrum nudum, sinistrum vero velatum appareat. Eiusmodi chlamyde vsi sunt cum Reges Gallici secundae & tertiae stirpis, tum plerique Imperatores ac Reges Germanici. Infra pallium s. chlamydem iidem *togam* quamdam plus minusue longam & angustam gestarunt. Milites nobili genere nati, in Anglia praesertim, eo tempore, quo Iohannes sine terra (A. 1199-1216.) regnabat, *loricis* tunicas ad talos vsque promissas superinduere coeperunt. Reperiuntur praeterea in sigillis homines, a capite ad calcem loricati, vel pellibus amicti, quum contra alii nudi fere appareant, neque aliud quidquam vestium, nisi galeam, vel mitram cuiuscumque generis capiti impositam ostentent. Iam saeculo XII. Principes aliique dignitatis altioris homines breuiore habitu vsi sunt, ex quo ornamenta quaedam, in cuspidem desinentia dependebant. De *tunicarum prolixiorum* aetate minus commode, vt videtur, HEINECCIVS pag. 206. hunc in modum loquitur: "Maiores „nostros a Francorum aetate in vniuersum video togas prolixiores „in pace breuibus thoracibus praetulisse, vestesque adeo ad talos „vsque promisisse, quippe quem habitum viris credebant dignio-

„rem.

„rem. Hinc vbicumque aut Principes aut priuati ſtantes, ſeden„tes (equitantes enim & velut ad bellum compoſitos breuiorem „habitum induere commoditatis cauſſa oportuit), ſemper toga „promiſſa adparent veſtiti. Sic Caeſares, ſic Reges, ſic Principes „Comiteſque finguntur, vt adeo breuiorem habitum, qui hodie „inter pleroſque obtinet, ante ſaeculum XV. vix inuenias. Ex „eo enim tempore coeperunt ſenſim tunicas reddere breuiores. „Quod tamen iam tum non adeo placuit viris antiquae grauitatis „ſtudioſis." Quibus addit p. 207: "Quemadmodum igitur Fran„corum aetate breuiori habitu delectabantur Germani, ita emor„tua Carolingorum gente quum Saxones ad imperium adſpirarent, „ſimul prolixior habitus videtur inuectus." Magis placent, quae idem vir doctiſſimus p. 202. de *thoracibus* & *loricis* attulit. "Ex "iis (ſigillis) patet, inquit, I. antiquiores nonniſi breuiores tho„races in medio per lumbos cinctos induiſſe, eoſque II. paullo „poſt circulis ferreis non tam contra ſagittarum quam gladiorum „ictus praemuniuiſſe. III. Iſtos circulos, quos & annulos voca„bant, ſenſim feciſſe minores, vt etiam ſagittas ſuſtinerent --- „IV. Nec deeſſe thoraces aeque ac loricas, quibus eodem tractu „adhaerent galeae aut certe mitrae, galeis ſupponendae. V. Or„natus cauſſa nouas ſuperindui coepiſſe ſiue camiſias, ſiue tunicas „manicis carentes--- VI. Has porro tunicas nonnumquam lectiſ„ſimis coloribus ſolitas diſtingui, aut VII. inſignibus etiam gentili„tiis ornari, donec iuſti ſuccederent thoraces ferrei. VIII. Porro „in ſigillis notabit loco circulorum ferreorum nonnumquam adhi„beri ſolidas laminas (*maculas* vocabant), ex eadem materia arti„ficioſe conſutas, vt veluti ſquamis piſcium reſponderent (vnde „& *ſcammatae* quaſi *ſquamatae* dicebantur), facilique negotio qua„qua verſum flecterentur." Eodem loco p. 204. 1) *tunica breuior*, 2) *lorica ſquamata*, 3) *lorica minorum circulorum*, 4) *thorax, cui galea adhaeret*, 5) *lorica alia minorum circulorum*, 6) *lorica maiorum circulorum*, 7) *lorica cum galea*, 8) *camiſia loris ſuperinduta*, 9) *tunica variegata*, 10) *tunica picta*, 11) *tunica variegata*, 12) *thorax ferreus*, aere exſcripta cernuntur. Capita Imperatores ac Reges *coronis*, vt diximus, reliqui pileis, vel *mitris* potius tegebant, quarum figuras varias videſis apud HEINECC. p. 208. ſq. Nihil iam de *chirotheciis*, *ocreis* & *calcaribus* dicam, quarum qui-

dem rerum noscendarum cupiditate qui tenentur, eos ad HEINECC. p. 204. ablegamus.

13. *Animalia.* Ac primo quidem *equi*, quibus Principes aliique illustrioris dignitatis homines inde a saeculo XI. insidentes in sigillis exhibentur, initio non erant ephippiis, fraenis ac stapedibus instructi. Ephippia antiquissima admodum simplicia erant, nihilque a puluinaribus differebant, nisi quod interdum plura lora habuerint, quae per equi latera vtrimque defluebant. Lorum, quo ephippium equis adstringebatur, per pectus equorum transibat, multisque phaleris, tintinnabulis globulisque condecoratum erat. Et in reliqua etiam equorum sternendorum vestiendorumque ratione recentiorum temporum equites ab antiquis moribus discessserunt. Stapiarum vsus saeculo XII. nondum vbique locorum inualuit. Saeculo XIII. equorum stragula & dorsualia pulcherrime picta, variisque figuris, animalium, florum cet. plerumque vero insignibus gentilitiis exornata apparent, ita quidem, vt equi phaleris quasi inuoluti esse videantur: quorum ornamentorum originem HEINECCIVS p. 205. sq. ab expeditionibus, quas vocant, cruciatis repetere non dubitauit. Sed *feminae* etiam *illustres* inde a saeculo XII. equis, vel feminarum, vel virorum etiam ritu insidentes, manibusque nunc aues, nunc lilia aliosue flores tenentes, in sigillis animaduertuntur. Omnia vero *sigilla equestria* ad indicandum inprimis natalium splendorem adhibita sunt, & in Germania quidem vsque ad saeculum XV, sed peregrini Reges ac Principes eorum vsum ad posteriora etiam tempora continuarunt. Praeter equos, *cerui* etiam, *canes*, *falcones*, aliaque *volatilia* in sigillis expressa cernuntur, quae quidem animalia venationis symbola esse, res in vulgus nota est. Neque quemquam latere poterit, feminas illustres non facile, olim praesertim in publicum sine aue quadam, quam manibus, tamquam dignitatis suae notam prae se ferebant, prodiisse.

14. *Flores*, vt *palmae*, sanctitatis, constantiae & victoriae symbolum; *rosae*, *lilia*, aliique flores, quos, tamquam morum integritatis testes, Episcopi, Abbates, Abbatissae & feminae illustres manibus tenebant. In sigillis Ecclesiarum & Monasteriorum flores ad indicandum florentem rerum statum adhibiti fuerunt.

15. *Tur-*

15. *Turres, portae, caſtella*, quae inde a ſaeculo XII. in ſigillis Principum aliorumque illuſtrioris dignitatis hominum, item in vrbium ſigillis admodum vſitata fuerunt, &, niſi inſignia tantum gentilitia illis ſignificata eſſe conſtat, pro iuriſdictionis poteſtatiſque ſupremae ſymbolis habenda ſunt.

16. *Inſignia* ſ. *arma gentilitia*. Ac de inſignium quidem origine ac natura iam nihil attinet dicere, vt quae res ad Heraldicam pertinent, & a me ipſo in libello heraldico, quem operi meo de Genealogia & Heraldica recentiorum temporum (*Handbuch der neueſten Genealogie und Heraldic*, Norimb. 1763. 1764 & 1765. 8. mai.) ſubieci, ſatis pro inſtituti ratione explicatae ſunt. Illud vero hoc loco non eſt praetermittendum, ſigillis, genuinis nempe, ante ſaeculum XI. (A. 1050.) nulla indita cerni inſignia gentilitia, vt quae ſaeculo demum XII. paullo vſitatiora facta ſunt. Inter primos, qui armis gentilitiis vſi ſunt, refertur Godefridus Comes Andegauenſis & Cenomanenſis. Ex *Galliae* Regibus Ludouicus VII. (ab A. 1137-1178.) primus lilia in contraſigillis oſtentauit. In *Angliam* Henricus II. (A. 1154-1189.) inſignium gentilitiorum vſum introduxiſſe fertur. Angliae proceres arma primum ſigillis auerſis circ. A. 1218. intulerunt, deinde ab A. 1366. ſigilla non niſi armis gentilitiis exornarunt. In *Scotia* arma inde ab A. 1165. quo Wilhelmus Leo Rex factus eſt, in *Portugallia* vero ab A. 1135. repetuntur. In *Germania* ſcuta gentilitia ſigillis demum ſaeculo XIII. illata eſſe tradunt. Quod vero ad *Aquilam Imperii*, quam dicunt, attinet, ſimplici aquila Ludouicum IV. Bauarum primum fuiſſe in contraſigillis vſum, & anſam etiam aquilae duplicis ſ. bicipitis effingendae praebuiſſe vulgo exiſtimant, ita quidem, vt a Carolo V. aquilae duplicis vſus perpetuus deriuandus eſſet, cet. At mihi aquila ſimplex iam in ſigillo ſecreto Alberti I. Auſtriaci, Romanorum Regis, quod diplomati, A. 1299. dato, appenſum eſt, occurrit, vide *Tab. noſtram aen.* IX. num. 5. vt adeo aquilae imperialis originem nondum ſatis exploratam eſſe pateat. Dignum ſane eſt Alberti I. ſecretum, quod pluribus explicetur, ſed in aliud tempus vberiorem eius illuſtrationem differendam eſſe video, quia nunc ad reliqua, de quibus dicere inſtitui, pergendum eſt. *Lotharingiae* Duces exeunte ſaeculo XII. *Allobroges* vero quadraginta circiter annis maturius, & Principes Domus *Eſtenſis* circ. A. 1239.

ſigilla

sigilla armis gentilitiis distinxerunt. *Episcopi* quidam insignia dignitatis iam inde ab A. 1128. sigillis intulerunt, id quod *Abbates* etiam eodem saeculo XII. sed paullo serius, quam Episcopi, faciebant. In *Monasteriorum* denique sigillis arma inde ab A. 1173. magis vero ab A. 1250. apparent. Quando autem Episcopi & Abbates ecclesiarum, quibus praefuerant, insignibus gentilitia insignia addere coeperint, varie definiunt viri rei diplomaticae periti. Auctores noui operis diplomatici, Dominum DE GVDENVS secuti, annum 1320. designarunt: contra HERRGOTTIVS in Genealog. dipl. Gentis Habspurg. T. I. p. 101. demonstrare conatus est, hunc morem iam a Rudolpho, Episcopo Constantiensi, in sigillis A. 1278. 1287 & 1288 obseruatum fuisse. Paullo altius, & ab ipsis adeo initiis saeculi XIII. res haec repetenda est, si *Nobilium* sigilla respiciamus, id quod in *orat. mea* de difficultate artis diplomaticae p. 46. sq. not. 69. ostendi. *Pontifices Romani* binas illas potestatis pontificalis claues inde ab ineunte saec. XIV. sigillis imprimi iusserunt. Armorum a Principibus concessorum exemplum antiquissimum existimatur illud, quod a Richardo I. Angliae Rege (A. 1189-1199.) profectum est. Lutetia Parisiorum itidem iam A. 1190. a Philippo Augusto arma accepit. Etsi vero *insignia* quaedam iam saeculis XI & XII. *haereditaria* facta sunt; constat tamen, adhuc saeculo XIV. immo serius, vnius eiusdemque gentis homines variis saepe ac diuersis imaginibus clypeos gentilitios condecorare consueuisse. Vid. *orat. mea* de diffic. artis diplom. p. 53. not. 80.

§. 346.

De sigillis impressis.

Sigilla vel ipsis diplomatibus innexa, vel e filis, chordis lorisue membranaceis appensa deprehenduntur. Existit inde ipsorum sigillorum in *impressa* & *pendula* distributio. Ac bullae quidem numquam non diplomatibus appensae sunt: contra sigilla cerea initio impressa, postea vero pendula fuerunt. Faciemus ab *impressis* sigillis dicendi initium. Veteres Romani epistolis ac testamentis sigilla extrinsecus impresserunt. Nerone imperante aduersus falsarios, vt ait SVETONIVS, primum repertum, ne tabulae, nisi pertusae ac ter lino per foramina

foramina traiecto, obsignarentur. Atque hanc obsignandi rationem ad mediam quoque aetatem propagatam esse, ex formulis Marculphi & Lindenbrogii constat. Neque hodie mos ille prorsus abrogatus cernitur, siquidem epistolae clausae Principum adhuc, non lino quidem, at loris tamen membranaceis traiici solent. Quod vero ad *modum* attinet, quo sigilla diplomatibus imprimebantur, membrana, quid? quod charta etiam Aegyptiaca seu papyrus, in crucis vel ordinariae, vel decussatae, vel stellulae etiam modum incisa est, ita quidem, vt, reuulsis incisurae angulis, cera per foramen transmitteretur, & ex parte aduersa obsignaretur; quamquam, vt supra (§. 326.) diximus, Principes Langobardici ceram vtrimque signarunt, vt itaque errent, qui pendula tantum sigilla vtrimque signata fuisse tradunt. Etsi vero, vt cera chartis firmius adhaereret, sigillumque ipsum ab impostorum fraudibus securum praestaretur, pili interdum cerae immiscebantur, vel vincula membranacea particulaeue ligneae sigillis traiiciebantur, vel denique verba quaedam, notis Tironianis expressa, vt *subscripsit*, *ambasciauit*, aut ductus quidam arbitrarii nunc infra, nunc supra sigilli aduersi superficiem scribebantur; haud raro tamen accidit, vt sigilla vel casu e diplomatibus decciderent, vel a falsariis etiam inde detraherentur, aliisque diplomatibus, mox genuinis, mox commentitiis adderentur. Vt itaque hic signandi modus non inter optimos numerandus sit. *Locus* ordinarius sigillorum impressorum in diplomatibus regiis & imperialibus ad dextrum diplomatum latus fuit; ac in Merouingicis quidem diplomatibus sigilla paullo supra vltima *Dati* verba, in Carolingicis post aut supra signum recognitionis Cancellariorum, & in posterioribus e regione signi & recognitionis Cancellariorum, interdum vero, in Gallia praesertim, infra *Datum* collocata fuerunt. In chartis Ducum, Episcoporum & Abbatum sigilla ad calcem literarum reiecta sunt, ita quidem, vt vel mediae paginae, vel extremae chartarum orae, & dextrae quidem plerumque, numquam fere sinistrae affixa cernantur. In diplomatibus, quorum sigilla perierunt, vestigia quaedam fusci coloris eo in loco, quem sigilla occupabant, plerumque impressa cernuntur, ex quorum figura & ambitu sigillorum & ipsorum diplomatum aetas ac fides aestimari potest. *Durauerunt* autem sigilla impressa 1) in *Anglia* vsque ad Eduardum Confessorem (A. 1042-1065.), vel etiam vsque ad Wilhelmum I. Conquestorem (A. 1066-1087.); 2) in *Gallia* vsque ad Ludouicum VI. Crassum (A. 1108-1137.); 3) in *Germania* vsque ad Friderici

ricum I. (A. 1152-1190.); 4) in *Flandria* vsque ad Balduinum VII. Comitem (A. 1112-1119.), qui *Securis* cognominabatur. *Episcopi* & *Abbates* vsque ad saeculum XII. & in *Gallia* quidem vsque ad A. 1164. in *Germania* vero vsque ad A. 1190. sigillis impressis vsi existimantur. Vid. HEINECCIVS p. 169. sq. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 394 398. Neque vero praetermittendum est, I) concurrisse ad extremum sigillorum impressorum & pendulorum vsum, ita vt iidem Reges, vel Principes etiam & Praesules nunc his, nunc illis vterentur; II) sigillorum impressorum exempla etiam saeculis XIII. XIV & XV. occurrere, quorsum pertinet 1) sigillum Henrici, Ducis Saxoniae & Comitis Palatini ad Rhenum, quod diplomati A. 1222. dato, impressum est, ap. FALCK. in Cod. Tradition. Corbeiens. p. 780. sq. 2) sigillum Friderici Holzschuheri, Equitis Ordinis Teutonici, A. 1389. literis in charta lintea exaratis, impressum, quod in praefatione, *Historiae meae Holzschuhcrianae* praemissa p. 8. descripsi, 3) sigillum Senatus Erfordiensis binis literis A. 1445. in membrana scriptis, impressum, itemque aliud sigillum Senatus Wolhusensis literis eodem anno 1445. in membrana exaratis, affixum, quas quidem tres chartas, & aliam praeterea iis similem, A. 1545. d. 14. Iunii datam, ipse in scriniis meis custodio. Refero huc etiam ordinationem supremae rationum curiae Parisiensis, A. 1370. datam, & quinque sigillis impressis munitam, licet de his sigillis timidius pronuntiauerint auctores *noui operis diplomatici* T. IV. p. 396. Patet itaque, sigilla impressa post saeculum XII. in desuetudinem quidem abiisse, numquam tamen prorsus cessasse.

§. 347.

De sigillis pendulis.

Sigillorum pendulorum, eorumque cereorum, antiquissimum exemplum suppeditat diploma Roriconis, Episcopi Laudunensis, vtpote A. 961. datum. Eius aequalis, S. Dunstanus, Angliae Episcopus itidem sigillum suum chartis appendi iussit, vt itaque sigilla pendula in Gallia & Anglia eodem tempore inualuerint, & inter omnia pendula *Episcopalia* pro antiquissimis habenda sint. Gastonis, Vicecomitis Bearniae, diplomati A. 1000. dato septem sigilla pendula adiuncta sunt. Primi porro sigillis pendulis vsi sunt: 1) ex *Normanniae* Ducibus Richardus II. A. 1015. 2) ex *Galliae* Regibus Robertus A. 1025. magis vero

Ludoui-

Ludouicus VI. Craſſus († 1137.) & Ludouicus VII. Iunior († 1178.), 3) ex *Angliae* Regibus Eduardus III. Confeſſor (A. 1042-1065.), 4) ex *Scotiae* Regibus Duncanus II. (A. 1093-1100.), 5) ex *Imperatoribus Regibuſque Germanicis* Fridericus I. (A. 1152-1190.), 6) ex *Hiſpaniae* Regibus Alphonſus IX. poſt medium ſaeculum XII, 7) ex *Flandriae* Comitibus Balduinus VII. Securis (A. 1112-1119.). Antiquiſſimum Equitum Ordinis *Templariorum* ſigillum pendulum ad an. 1190 refertur. De ſigillis denique pendulis *Germaniae* in vniuerſum tenendum, quae ſaeculo XII. antiquiora ſint, vel falſa eſſe, vel certe ſuſpecta. Sigilla pendula initio plerumque *monoſphragiſta* fuerunt, poſtea vero *amphiſphragiſta* etiam, tam *nummaria*, quam *contraſignata* introducta ſunt (§. 326. 328): cauendum tamen eſt, ne ad amphiſphragiſta referantur, quorum tergo foramina vel pollice, vel inſtrumento quodam impreſſa cernuntur. Neque hoc praetereundum eſt, ſigilla *maiora* interdum pendulorum nomine fuiſſe inſignita. Quod vero ad *locum* ſigillorum pendulorum attinet, ea ſemper fere ex inferiore chartarum ora, raro ex ſuperiore, vel ex vtroque latere, dependent. Ad inuſitata & rariſſima exempla pertinet teſtamentum Bernhardi, Domini de Turre, Pariſiis A. 1248. datum, vtpote quod viginti quinque ſigillis munitum eſt, quorum ſex inferiori orae & quinque ſuperiori, reliqua lateribus, & octo quidem dextro, ſex vero ſiniſtro appenſa ſunt. Etſi interdum, ſi qua diplomata pluribus ſigillis inſtructa ſunt, *ordo* quidam inter ſigilla, quem perſonarum natales, dignitas, ſexus aliaeue res deſiniebant, obſeruatus deprehenditur; numquam tamen hoc ad perpetuam aliquam velut regulam traductum eſſe, conſtat. Inde a ſaeculo XIII. cum in Germania, tum alibi, & in Gallia praeſertim, *nomina* eorum, quorum ſigilla chartis appendenda erant, vel loris membranaceis, e quibus ſigilla pendent, vel ſupra inciſuras, quibus lora vel fila innexa erant, a notariis adſcribi ſolebant. *Fila*, e quibus ſigilla dependent, & colore & materia inter ſe differunt. Alia ſunt membranacea, alia coriacea, alia ſerica, cannabina, cet. Serica nunc vnius, nunc diuerſi coloris ſunt: in membranaceis vero id ſingulare, & ad ſeruanda ſigilla valde appoſitum eſt, quod ſaepe, praeſertim extra Germaniam, lora ex ipſis membranis, quibus diplomata inſcripta ſunt, excidebantur. Sequiori aeuo Epiſcopi, Principes, Comites, Monaſteria, in Germania potiſſimum, non filis ſericis aut cannabinis, ſed loris membranaceis vtebantur. Vid. HEINECC. p. 170-173. & *Nouv. Traité de Diplom.* T. IV. p. 398-406.

§. 348.

De ritibus in impressione vel appensione sigillorum observatis.

Varia olim *sollemnia* in sigillorum siue impressione siue appensione obseruata sunt. Constat enim, maioris fidei ac roboris caussa nunc pilos aliquot capitis, vel barbae sigillis adiunctos, nunc dentium morsus illis impressos esse. Interdum foramina auersae sigillorum parti pollice, vel instrumenti cuiusdam ope imprimebantur. Fuerunt etiam, qui varia symbola inuestiturae, vt annulos aureos, margaritas, chirothecas sigillis simul adiungerent. Neque hoc praetermittendum est, diplomata, non publica tantum, sed priuata etiam, in conuentibus publicis, in praesentia Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, cet. signata esse; vt alios huius generis ritus taceam. Conf. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 406-410.

§. 349.

Regulae quaedam, ad discernenda sigilla supposititia necessariae.

HEINECCIVS in opere suo saepius iam laudato, p. 177. sq. regulas quasdam, discernendis sigillis suppositititiis inseruientes, attulit, quarum praecipua capita huc transcribere liceat:

I. Quodcumque sigillum *figurae* multo recentioris est, quam diplomatis aetas ferre possit, illud merito est inter adulterina referendum.

II. Si *cera* coloris sit tum temporis nondum recepti, sigillum etiam non caret suspicione --- Hic porro monendum est, non modo colorem, sed & ipsam ceram probe esse inspiciendam, num tantam aetatem ferat. Quum enim diuturnitate temporis cera magis magisque exsiccetur, ita vt demum argillae, quam materiae eiusmodi pinguiori videatur proprior, cum cura videndum est, num cerae quaedam adhuc inesse videatur pinguedo, aut certe, num alterutra facies ceram videatur habere altera pinguiorem. Hoc si ita sit, statim deprehendent sagaciores, quid sigillo factum sit. (Hanc regulam ego quidem pro lubrica & fallaci habeo; habeo enim

enim experimentis propriis compertum, suam cerae vel recentissimae pinguedinem adimi posse).

III. Si sigillum cereum *adpensum* dicitur eo tempore, quo nondum in ista regione hic mos inualuerat, aut si *innexum* (*impressum*) fertur eo tempore, quo dudum haec consuetudo obsoleuerat, non dubitandum videtur, quin sigillum non sit ex eo aeuo, quod diploma praefert.

IV. Si sigillum aliud in fine diplomatis *nominatur*, aliud membranae adpensum est, vix hoc νοθείας absolui poterit.

V. Si in sigillo saeculorum VIII. IX. X. vel ineuntis XI. *insignia gentilitia* aut scuta ad heraldicae artis regulas composita inueniantur, fraus videtur in oculos incurrere.

VI. Si in sigillo antiquiori *titulus* prolixior & ad hodiernum morem compositus, aut plane ineptus habetur, fraus commissa statim patescit.

VII. Si in sigillo *nomen proprium* exstat, quod tum nondum in vsu fuit, de eius fide merito dubitatur.

VIII. Par ratio est, si *formula* quaedam recentior in sigillo antiquiori habetur.

IX. Ipsae quoque sigillorem *imagines* si a ceteris eiusdem ordinis vel aetatis imaginibus nimium discrepant, & contra cum aliis recentioribus satis conueniunt, suspicionis haut parum habent.

X. *Literae* quemadmodum in sigillorum inscriptionibus singulis fere saeculis aliae fuerunt, ita praecipue vsum praestant in aetate sigillorum diiudicanda.

II) SPHRAGISTICA SPECIALIS.

§. 350.

De sigillis Merouingadum & Carolidarum.

Expositis, quae ad sigilla in vniuersum considerata pertinent, nunc ea, quae in singulas eorum classes, ordines ac genera cadunt (§. 325.)

paucis declarabimus. Incipiemus autem a *sigillis* antiquissimis pariter atque praecipuis, *regiis* nempe & *imperialibus*. Agmen iure suo ducunt *Merouingadum* & *Carolidarum* sigilla:

I. *Merouingadum* sigilla (Tab. IX. num. 1).

1. *Inscriptio literalis:* Nomen & titulus *Rex Francorum*. Childerici I. typarium inscriptum est: *Childerici Regis*.

2. *Inscriptio realis:* Nudum caput Regum, facie aduersa, capillis prolixis & vtrimque defluentibus, barba exigua. Sola Childerici I. Chilperici I. & Childerici III. sigilla protomen exhibent.

II. *Carolidarum* sigilla (Tab. V. VII. item IX. num. 2. & 3).

1. *Inscriptio literalis*. Carolidae priores vsi sunt inprimis hac formula: XPE (Christe) *protege Pippinum* (Carolum, Hludouuicum cet.) *Regem Francorum*, vel *Imperatorem*. Singulares formulae sunt: 1) *Pipinus* (Caroli M. pater) *Imperator*, pro *Rex*, interdum enim verba *Rex* & *Imperator* hoc tempore inter se confusa sunt, 2) XPE *adiuua Hlotharium Aug.* (Augustum). Inde a Carolo II. formula *Dei gratia*, licet non perpetuo, addita est. Formularum haec exempla ponemus: *Karolus* (Caluus) *Gratia Dei Rex*, item *Karolus misericordia Dei Imperator Augustus*; *Karlomannus* (Rex Galliae) *Gratia Dei Rex*; *Karolus* (III. Crassus) *Imperator*; *Karolus* (Simplex) *Gratia Dei Rex*; *Zuenteboldus* (Rex Lotharingiae) *Rex*; *Arnolfus* (Rex German.) *Rex*; *Hludouuicus* (IV. Infans) *Rex*; *Lotharius* (Gall. Rex) *Rex Francorum*. In *bullis* Reges & Imperatores, qui in Gallia, Italia & Germania a Pipino vsque ad Carolum III. Crassum regnabant, formam numorum Graecorum & Romanorum veterum imitati sunt. Sic, vt hoc vtar, bulla plumbea Caroli M. inscripta est: DN. KAR. IMP. P. F. PP. AVG.; in auersa autem bullae parte leguntur verba: RENOVATIO ROMANI IMPERII; infra autem ROMA. Alia eiusdem Imperatoris bulla in aduersa parte habet perigraphen: † IHV (Iesu) NATE DEI CARLVM DEFENDE POTENTER; in auersa autem parte leguntur verba: GLORIA SIT CHRISTO REGI VICTORIA CARLO. Cum hac conuenit bulla quaedam plumbea, quam Carolo Caluo tribuunt, nisi quod inscriptiones vice versa expressae fuerint. In aliorum Principum bullis nunc

Renoua-

Renouatio Imperii Romae & Francorum, nunc alia, similis huic, formula inscripta cernitur.

2. *Inscriptio realis.* Regum vel Imperatorum protome, capite plerumque laureato, facie dextrorsum conuersa, capillis breuioribus, mento modestius barbato, humeris chlamyde vestitis, brachiis nullis. Ab hac forma recedunt sigilla Carolomanni, Ludouici Vltramarini, Ludouici Germanici & Ludouici Saxonis, quorum vultus sinistrorsum spectant. Inde a Carolo III. Crasso in sigillis Imperatorum ac Regum Germaniae sinistro humero vmbella s. scutum aliquod minoris formae cum vexillo vel etiam sceptro, nunc liligero, aut pomigero, nunc decurtato adiunctum cernitur. Brachia primus in Germania Ludouicus IV. Infans, quamquam non perpetuo, in Gallia vero Lotharius, penultimus Carolidarum, in sigillis ostentarunt, vterque etiam corona tectus est; ac ille quidem vultu pro more dextrorsum conuerso, dextro brachio hastam tenens, sinistro intra scutum latente, hic vero facie aduersa, manu dextra sceptrum liligerum, sinistra baculum regium, Herculis clauae similem, tenens, exhibetur. *Bullarum* pars prior nunc protomen dextrorsum spectantem & lauro vel diademate coronatam, nunc protomen facie aduersa, corona tectum caput, & vmbellam cum sceptro ad sinistrum humerum collocatam: posterior autem pars vel monogramma Regis aut Imperatoris, vel coronam lauream, quae inscriptionem interiorem ambit, vel crucem ancoratam, vel denique castellum, vrbis Romae symbolum exhibet. Vid. HEINECCIVS p. 115 - 119. & p. 73 - 89. item *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 100 124.

§. 351.

De Regum atque Imperatorum Italiae sigillis.

Regum atque Imperatorum Italiae non tot sigilla, quot monogrammata supra (§. 303.) descripsimus, afferre possumus. Conueniunt horum Principum sigilla cum sigillis posteriorum Carolidarum. Specimnis loco haec sufficiant:

1. *Berengarii I.* Italiae Regis (A. 887 † 923.) sigilla duo cognita habeo, quorum vnum ouale perpendiculare, alterum orbiculare est,

est, vtrumque monophragistum. Prius exhibet Regis protomen absque brachiis, chlamyde indutam, capite nudo, capillis rotunde tonsis, facie dextrorsum conuersa, cum perigraphe: † *Berengarius Rex:* posterius a priori non differt, nisi quod caput diademate ornatum, & ad dextrum latus scutum cum hasta collocatum, in perigraphe autem crucis signum omissum fuerit.

2. *Widonis*, Imperatoris (A. 889 † 896.) bulla plumbea in priore parte refert eius imaginem dimidiatam absque brachiis, facie aduersa, capite coronato, mento modestius barbato, corpore reliquo palliato, scuto & hasta bipenni ad latus dextrum collocatis, cum perigraphe: *VVido Imperator Agu* (Augustus): posteriori autem parti non nisi verba: *Renouatio Regni Franc.* eaque corona laurea ambita, inscripta cernuntur.

3. *Ludouici*, (Prouinciae &) Italiae Regis (A. 900-902.) bulla plumbea in priori parte exhibet eius protomen, facie aduersa, capite coronato, capillis breuioribus, mento modestius barbato, chlamyde humeris circumuoluta, manu sinistra, quae sola conspicitur, hastam vel sceptrum etiam tenente, cum perigraphe: DN HLVDOVICVS IIIS AVG, hoc est, Dominus noster Hludouicus Tertius Augustus, quae quidem perigraphe tam propter notam numeralem *Tertius*, quam ob vocem *Augustus* commemorabilis, vel potius singularis est. Parti posteriori, praeter verba: DECVS IMP. (Imperii), nihil inscriptum est.

4. { *Hugonis*, Italiae Regis (A. 926) &
{ *Lotharii* eius filii, Italiae Regis (A. 932 † 949.) sigillum commune, quod diplomatibus A. 941. sq. adiunxerunt, est ouale horizontale, monophragistum, exhibens amborum Regum imagines pectore tenus, se inuicem respicientes, ideoque facie Hugonis dextrorsum, Lotharii vero sinistrorsum conuersa, capitibus diademate liligero ornatis, capillis breuioribus, mento Hugonis barbato, Lotharii imberbi, tunica indutos, & sua quemque manu sceptrum liligerum tenentes. Inscriptio literalis haec est: *Hugo & Lotharius piissimi*..... (*Reges* fortasse, aut certe quidquam simile). Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 187-189. coll. p. 71. sq.

§. 352.

§. 352.

De Imperatorum ac Regum Germanicorum sigillis.

1. *Inscriptio literalis.* Imperatores ac Reges Germanici breuioribus vsque ad Henricum VI. titulis vsi sunt, vt: *Chuonradus* (I) *Rex*, *Heinricus* (I) *Rex* (Tab. VII.); *Otto* (I) *Dei gratia Rex*, formula regiorum sigillorum ab Ottone I. vsque ad Ottonem IV. continuata, nisi quod Henricus III. in regiis quibusdam titulum *Romanorum* & notam numeralem III. adiecerit hunc in modum: *Heinricus Dei Gracia III. Rex Romanorum*; *Otto* (I. & II.) *Imperator Augustus*; *Otto* (III.) *Dei Gratia Romanorum Imperator Augustus*, continuata haec formula vsque ad Henricum VI. Primus nempe Henricus VI. formulam *semper Augustus*, itemque *titulos terrarum hereditariarum* in sigilla induxit, id quod ex hac perigraphe cognoscitur: *Henricus* (VI.) *Dei Gratia Romanorum Rex & Semper Augustus & Dux Sueuie.* Ab eodem etiam vsus *contrasigillorum* cum perigraphe: *Iuste iudicate filii hominum*, repetitur. Posteriorum Regum atque Imperatorum sigilla eodem modo, quo Henrici VI. sigillum, inscripta sunt: prouinciarum tamen titulos nonnisi Friderici II. & eius filii Conradi IV. sigilla exhibent; sed inde a *Carolo IV.* omnes Imperatores reliqui prouinciarum titulos sigillis intulerunt. Quod vero ad inscriptiones *bullarum* attinet, in earum auersa parte initio verba *Renouatio Imperii Romanorum*, postea vero plerumque versus leoninus: *Roma caput mundi regit orbis frena rotundi*, vel cum, vel sine verbis *Aurea Roma*, hoc est, princeps s. primaria vrbs Roma, inscripta cernuntur. Otto III. vocabula *Aurea Roma* primus adhibuit: nam ante eum vox *Roma* simpliciter tantum in bullis exprimebatur.

2. *Inscriptio realis* (Tab. VII. item Tab. IX. num. 4. & 5.).

Epocha I. Regum Germanicorum Conradi I. Henrici I. & Ottonis I. adhuc Regis: Protome dextrorsum conuersa, capite coronato, in Ottonianis sigillis diademate redimito, capillis, breuioribus, sine barba, chlamyde humeris circumuoluta, dextra vexillum, sinistra vmbellam s. scutum ferente. In Schannatiano Henrici I. non nisi caput Regis cum collo, non coronatum, sed diademate insignitum, absque brachiis, vexillo & scuto exhibetur.

Epocha II. Imperatorum ac Regum Ottonis I. II. III.: Effigies dimidiata, facie aduersa, capite coronato, capillis breuioribus, mento interdum, quamquam semper modestius barbato, corpore tunica astrictiore & simul chlamyde vestito, dextra manu sceptrum, rarius baculum regium, sinistra pomum imperiale, cruce plerumque destitutum, ferente. Inusitatum & prorsus singulare est illud Ottonis III. Imperatoris sigillum, diplomati A. 993. adiunctum, vtpote quod Imperatoris stantis integram imaginem contra istius aeui morem exhibet.

Bullae aureae Ottonis III. pars prior habet Imperatoris protomen absque brachiis, facie dextrorsum conuersa, capite laureato pariter atque corona clausa tecto, mento modestius barbato, humeris chlamyde vestitis: in auersa autem exhibetur effigies dimidiata, capite diademate ornato, vultu iuuenili, dextra vexillum, sinistra scutum tenente, corpore vestito.

Epocha III. Imperatorum ac Regum ab Henrico II. Sancto (A. 1002-1024.) vsque ad Fridericum III. (IV.) A. 1493. mortuum: Imago integra Imperatorum ac Regum, throno insidentium, omnibusque dignitatis imperialis regiaeue insignibus conspicuorum. Atque haec sunt sigilla, quae supra (§. 327.) *maiestatica* appellauimus.

Contrasigilla & *secreta* aquilam simplicem iam inde ab Alberti I. Austriaci temporibus exhibere, supra (§. 345. sub fin.) obseruatum est.

Bullae in auersa parte initio, &, vt videtur, vsque ad Fridericum II. dimidiatam tantum, inde a Friderico II. integram Imperatoris imaginem, & illam quidem ad modum Ottonianorum in secunda epocha, hanc ad formam sigillorum maiestaticorum exhibent: in auersa autem parte plerumque vrbis Romae symbolum (rarissime monogramma) exstat.

Epocha IV. inde a Friderico III. (IV.) ad nostram vsque aetatem: Insignia siue arma (*Wappen*), hoc est, aquila imperialis, & illa quidem vsque ad Carolum V. indiscriminatim mox simplex, mox duplex, inde ab hoc autem Imperatore, Aquila duplex in imperialibus, simplex in regiis sigillis, adiunctis simul vario modo insignibus Imperatorum Regumque gentilitiis.

Imago

Imago Imperatorum ac Regum, qualis olim in maiestaticis exprimebatur, inde a Friderico III. (IV.) in *bullis* dumtaxat exhiberi solet. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 158 - 181. & HEINECCIVS p 89 - 114.

§. 353.

De Imperatorum Constantinopolitanorum sigillis.

Etsi *Constantinopolitanorum Imperatorum* pauca sigilla exstant; ex iis tamen, quae innotuerunt, itemque ex historicorum testimoniis patet, eos, vt in aliis rebus, ita in expediendis etiam signandisque diplomatibus splendoris ac pompae fuisse studiosissimos. Signarunt autem Imperatores Graeci auro, argento, plumbo, cera, creta. Omnia haec sigillorum genera communi nomine βύλλας, ipsum vero instrumentum signatorium βυλλοτήριον appellarunt. Sed propriis etiam nominibus singula sigillorum genera pro materiarum diuersitate distinxerunt. Dixerunt nempe auream bullam χρυσόβυλλον, plumbeam bullam μολιβδόβυλλον siue μολιβδίνην βύλλαν, cereum sigillum κηρόβυλλον. *Imperatores Latini*, qui inde ab A. 1204. Constantinopoli aliquamdiu regnabant, Orientis & Occidentis ritus in diplomatibus signandis quasi miscuerunt. Exempli loco esse potest bulla aurea *Balduini*, qui primus Latinorum Constantinopoli regnauit. Bulla haec ab HEINECCIO ex *Oliuario Vredio* aeri incisa exhibetur, atque hunc in modum describitur: "Notabis in eius antica Imperatorem coronatum throno insi-„dentem, dextra crucem, commune Caesarum Byzantinorum gestamen; „sinistra globum cum cruce tenentem, cum inscriptione hac Graeca: „ΒΑΛΔΟΥΙΝΟC ΔΕCΠΟΤΗC, in postica eundem coronatum palu-„datumque, insidentem equo dextraque strictum ensem, sinistra scutum „leone insignitum gestantem, cum hac Latina perigraphe: BALDuinus „DI GRA IMPR. ROM. FLANDriae HAINoiae COMes. Multa „sunt in hoc sigillo notabilia, corona a ceterorum Byzantinorum diade-„matibus multum diuersa, thronus ad crucis speciem effictus, totus „habitus ad Imperatorum potius occidentalium virilem decoramque, „quam muliebrem & scrupulosam Byzantinorum vestiendi rationem „accedens, phalerae denique equorum tintinnabulis exornatae, ex „quibus simul de huius moris, quem supra tetigimus, aetate coniicere „licebit." Vid. HEINECC. p. 114. §. LXXI. sq. addatur *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 11. & 199.

§. 354.

De Regum Galliae Capetingicorum sigillis.

1. *Inscriptio literalis.* Capetii, si Hugonis Capeti & Francisci I. sigilla excipias, quorum illud: *Hugo Dei misericordia Francorum Rex*, (Tab. X. num. 12.); hoc vero: *Franciscus Dei Gratia Francorum Rex primus*, inscriptum est, hac formula: *N. Dei Gratia Francorum Rex*, perpetuo vsi sunt.

Prouinciarum tituli rarissime, nec vmquam in aduersa primariorum sigillorum parte, sed vel in auersa parte sigillorum nummariorum, vel peculiaribus sigillis, iisque ad expedienda tantum exterarum terrarum negotia accommodatis, expressi sunt. Sic Ludouicus VII. *nummariorum sigillorum* in Gallia auctor, priori parti sigilli sui consuetam Galliae Regum formulam: *Ludouicus Dei Gratia Francorum Rex* insculpi iussit, in posteriori autem parte leguntur verba: *Et Dux Aquitanorum.* Peculiaribus vero sigillis ad expedienda terrarum exterarum negotia vsi sunt Carolus IV. V. & VIII. item Ludouicus XII. Formulae illis inscriptae sunt: 1) *Carolus* (IV.) *Dei Gratia Francorum & Nauarre Rex*, 2) *Sigillum Caroli* (V.) *Dei Gratia Francorum Regis & Dalphini Vienn* (Viennensis), & in contrasigillo: *Secretum sigillum Caroli Dei Gratia Francorum Regis & Dalphini Vienn.* 3) *Caroli* (VIII.) *Dei Gratia Francorum Iherusale & Sicilie Regis*, 4) † *Ludouicus* (XII.) *Dei Gratia Francorum..... Neapoli*, & in contrasigillo: † *Ludouicus Dei Gratia Francorum Ierusalem & Neapoli Rex.*

Contrasigilla, quae pariter atque sigilla nummaria a Ludouico VII. in Galliam introducebantur, anepigrapha sunt, exceptis tantum Ludouici VII. Ludouici IX. Caroli V. & Ludouici XII. contrasigillis, quorum primum inscriptum est: *Ludouicus Rex*, & secundum siglas *S. L.* hoc est, *Sigillum Ludouici*, continet. Tertii & quarti inscriptiones modo commemorauimus.

Sigillo equestri primus vsus est Ludouicus VI. viuente adhuc patre suo Rex declaratus, id quod ipsius sigilli inscriptio haec docet: † *Sigillum Ludouici Designati Regis*: item post eum Ludouicus VII. qua Dux Aquitaniae, vt paullo ante diximus. Propria inprimis sigilla equestria *filiorum regiorum* erant. Etsi enim Principes

iuuen-

iuuentutis Merouеadum & Carolidarum aetate propriis sigillis caruerunt; Capetiis tamen regnantibus, haud raro illis vsi sunt, quod quidem partim ex sigillorum exemplis, partim ex illa formula cognoscitur, qua nonnulli Reges in ipso diplomatum contextu profitebantur, vti se adhuc sigillo, quo, antequam solium conscendissent, vsi fuerint, cuius generis haec est formula, qua Iohannes Bonus, Rex Galliae, qui antea Dux Normanniae erat, ad an. 1350. vtebatur: *Nostrum sigillum, quo vtebamur ante susceptum regimen regni nostri fecimus presentibus his apponi.* In Principibus iuuentutis, qui sigillis equestribus vtebantur, numerandi sunt 1) Robertus, frater Regis Henrici I. 2) Ludouicus VI. Crassus, antequam scilicet, vt diximus, ipse regnare coepisset, iam designatus Rex, 3) Carolus Comes Valesiae & Andegaui, frater Philippi IV. Pulchri, 4) Carolus Valesius, Comes Alenconiensis & Perticensis, frater Philippi VI. 5) Iohannes Bonus, antequam Rex factus esset, 6) Carolus V. adhuc Princeps iuuentutis, 7) Ludouicus Dux Andegauensis, frater Caroli V. eiusque per Occitaniam vicarius. Inscriptionum literalium, in eiusmodi sigillis equestribus exhibitarum, haec exempla ponemus: 1) † *Sigillum Lodouici* (VI.) *designati Regis*, 2) *Carolus* (frater Philippi IV.) *Regis Franciae filius, Comes Valesiae, Andegauiae*, item: *S. Karoli.... Regis* (Francorum filii)... *ac Dni Criciaci*, & in contrasigillo: † *C. S. Karoli IIII. Regis....* 3) *Sigillum Karoli* (fratris Philippi VI.). *Valesie Comitis. Al..... tis*, & in contrasigillo: † *Contrasigillum Karoli.... itis* (Comitis), 4) *S. Iohannis* (Boni) *Primogeniti Regis Francorum. Ducis Normeror.* (Normanorum) *Comitis. Andegauie & Cenoman*, 5) † *S. Karoli* (V.) *Primogeniti. Regis. Francor. Delphini. Viennen.* (prima vice DELPHINI titulus vsurpatus), 6) *Ludouici* (fratris Caroli V.) *filii Regis & Paris Franciae, Ducis Andegauensis....*

Tutores Regum impuberum, ceterique *Regni*, absentibus praesertim Regibus, *administratores* sub Capetiis initio sigillis ipsorum Regum, quorum vicem obierant, postea vero (inde a Ludouico IX. vsque ad Carolum VI.) peculiaribus & ad hunc vsum accommodatis sigillis vsi sunt. Posterioris generis sigillorum inscriptiones literales has exempli loco commemorabimus: 1) *S. Ludouici* (Sancti) *Dei Gratia Francorum Regis in partibus transmarinis agentis*, 2) *S. Ph.*

(Philippi III.) *Dei Gratia Regis Francorum ad regimen Regni dimissum*, 3) *Philippus Regis Francorum* (Philippi IV. Pulchri) *filius, Franciae & Nauarrae regens Regna.*

2. *Inscriptio realis.*

Epocha I. Regum Hugonis Capeti (Tab. X. num. 12.) & Roberti: Rex corpore dimidiato, capite corona liligera tecto, facie aduersa, capillis, vt videtur, breuioribus, mento barbato, dextra in Hugonianis manum iustitiae (ac prima quidem vice), in Robertinis sceptrum breuius liligerum, sinistra globum tenens, tunica & chlamyde indutus.

Epocha II. Regum Henrici I. Philippi I. & Ludouici VI. Crassi: Sigilla maiestatica, eaque monosphragista, quae imaginem Regis integram, solio insidentem, capite corona liligera tecto, facie aduersa, capillis breuioribus, mento barbato, dextra breuius sceptrum liligerum, sinistra baculum regium tenentem, tunica & chlamyde indutam exhibent. Horum sigillorum maiestaticorum auctor est Henricus I.

Epocha III. inde a Ludouico VII. sigillorum nummariorum & contrasignatorum auctore.

a) Inscriptio realis *primariorum* s. *maiestaticorum sigillorum:* Rex throno insidens, imagine integra, capite corona liligera tecto, facie aduersa, capillis prolixis sub tribus prioribus, breuioribus autem sub posterioribus Regibus, mento tonso, tunica & chlamyde, post pallio regio induta, tenens 1) vsque ad Ludouicum X. dextra breuius sceptrum liligerum, sinistra regium baculum seu aliud sceptrum longius flore lilii, rhombo interdum inclusi terminatum, 2) inde a Ludouico X. vsque ad Carolum VIII. dextra baculum regium, sinistra manum iustitiae, 3) inde a Carolo VIII. indiscriminatim nunc manum iustitiae & sceptrum, nunc sceptrum & globum, nunc sceptrum & baculum regium. Sigillum maiestaticum *Iohannis Boni* in hoc singulare quidquam habet, quod in eo duae aquilae, vt in sigillo maiestatico Ludouici IV. Imperatoris, ad vtrumque throni latus expressae cernuntur.

b) Inscriptio realis *contrasigillorum:* Imago regia in contrasigillis Ludouici VII. & IX. in reliquis omnibus, quantum mihi quidem

dem constat, lilia, vel vnum, vel plura infinito numero. Tria lilia *Philippus III.* primum adhibuit, sed in successoribus non inuenit, qui eum hac in re imitarentur, praeter *Carolum V.* qui non perpetuo quidem, at plerumque tamen tribus liliis scutum distinxit. Perpetuus vero trium liliorum vsus a Carolo VI. arcessendus est.

Quod denique ad *sigilla equestria* attinet, iis vsi sunt Reges designati, item Reges, qua Duces; inprimis vero filii ac fratres Regum. Statuae equestres dextrorsum conuersae sunt. Ludouicus VI. viuo adhuc patre Rex declaratus, in sigillo exhibetur equo, neque ephippio, neque stapediis phaleriſque instructo, insidens, mitra cuspidata tectus, dextra vexillum, sinistra frenum tenens. Contra in sigillo equestri, quo Ludouicus VII. qua Dux Aquitaniae, in auersa sigilli nummarii parte vsus est, equus ephippio & stapedibus instructus, ipse vero eques galea tectus, dextra gladium, sinistra scutum vacuum cum freno tenens cernitur. Eadem forma filiis fratribusque Regum placuit, nisi quod eques vestimento militari & equus phaleris quasi inuolutus, gladius catenulae ope thoraci annexus & scutum pariter atque phalerae liliis consita deprehendantur. In contrasigillis eiusmodi sigillorum equestrium non nisi scutum liliis plenum, cui iam inde a Philippi IV. Pulchri temporibus, quamquam non semper, galea imposita est, exhibetur. Carolus V. qua Princeps iuuentutis, in equestrium sigillorum vtraque parte scutum quadripartitum Principum Delphinorum, hoc est, in 1. & 4. areola lilia Francica infinito numero, in 2. & 3. delphini imaginem, primus ostentauit. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 124-158.

§. 355.

De Regum Angliae sigillis.

Reges *Angliae* iam inde ab *Eadwini* atque *Edgari* temporibus sigillis vsos esse, supra (§. 259) obseruatum est. Neque vero rara sunt eius aetatis diplomata, quae sigillis prorsus carent. Vsitatiora sigilla in Anglia inde a Normannorum dominatione facta sunt, licet ne tunc quidem Angli statim a pristino more, diplomata crucibus loco sigillorum firmandi, recesserint, id quod ex quibusdam Wilhelmi I. & II. Henrici

rici I. & Stephani diplomatibus, quorum sollemnia in crucibus, non in sigillis ponebantur, cognoscitur. Antiquiora Regum Praesulumque Angliae sigilla non statim, vt omnes fere contendunt, pendula, sed vsque ad Eduardum Confessorem, & quodammodo vsque ad Wilhelmum I. Conquestorem impressa fuisse, in superioribus (§. 346.) dictum est.

Epocha I. inde ab Edwino (A. 955.) vsque ad Eduardum Confessorem (A. 1042.): Sigilla impressa, monosphragista, & protomen tantum Regum exhibentia. Regis *Edwini* sigillum, diplomati cuidam A. 956. impressum, quale fuerit, non constat: *Edgarus* vero ad an. 960. sigillo impresso vsus est, in quo eius protome, pro more istius aetatis expressa cernitur.

Epocha II. ab Eduardo Confessore (A. 1042.) vsque ad Richardum I. (A. 1189.): Sigilla pendula, nummaria, integram Regum imaginem exhibentia, ex parte vna (eaque pro re nata nunc priore, nunc posteriore) maiestatica, ex altera vero equestria. In *maiestaticis* sigillis exhibetur Rex throno insidens, chlamyde indutus, facie aduersa, capite corona (in Eduardi Confessoris sigillis, mitra) tecto, dextra gladium euaginatum (in Eduardinis, crucem), sinistra globum (plerumque crucigerum) tenens. Contra *equestria* sigilla exhibent Reges, ad modum Ducum equo vectos, galea & lorica indutos, dextrorsum conuersos, facie tamen prope aduersa, dextra vexillum, sinistra clypeum gestantes, insignibus nullibi expressis. Ab his recedit sigillum auersum Eduardi Confessoris, quippe quod Regis integram imaginem eodem modo, quo in aduerso s. maiestatico exhibita est, refert, nisi quod Rex in auerso vexillum dextra, sinistra vero gladium, cuius manubrium stomacho innixum est, teneat. *Inscriptionum literalium* haec exempla ponemus: 1).... *Eadwardi* (Eduardi Confessoris) *Anglorum Basil.* (Basilei); 2) *Si* (Signo) † *Hoc Normannorum. Willelmum* (I. Conquestorem). *Nosce Patronum*; cui additum in auerso eoque hic maiestatico: † *Hoc. Anglis. Regem. Signo. Fatearis. Eundem*; 3) *Willelmus Dei Gratia Rex Anglorum:* haec vltima inscriptio vtrique sigilli parti adiuncta cernitur, ipsum vero sigillum ab Hickesio tribuitur Wilhelmo I. Conquestori, at maiori fortasse iure Wilhelmus II. Rufus intelligitur.

Epocha

Epocha III. a Richardo I. (A. 1189.) vsque ad Eduardum III. (A. 1327.): Sigilla pendula nummaria, partim maiestatica, partim equestria (Tab. IX. num. 6.). In sigillis *maiestaticis* Rex eodem, quo in praecedenti epocha, repraesentatur, nisi quod inde ab Henrico III. pro gladio sceptrum columbatum (cuiusmodi sceptrum iam in quodam, licet paullulum suspecto sigillo Eduardi Confessoris expressum cernitur) dextra teneat. Eduardus II. ad vtrumque throni latus castellum, tamquam insigne matris suae Eleonorae, filiae Ferdinandi III. Regis Leonis & Castiliae, collocari iussit. *Equestria* vero sigilla huius epochae a prioribus in hoc differunt, quod eques caput habeat coronatum, dextra gladium teneat, &, quod inprimis notandum, insignia Angliae ostentet, ac initio quidem in scuto tantum, inde ab Henrico III. vero (phalerarum auctore) in phaleris etiam; ita scilicet, vt Richardus I. indiscriminatim vnum, duo & tres leopardos vsurpauerit, Iohannes vero numerum leopardorum ternarium ad posteros propagauerit. Etsi SANDFORD, V. C. vnionem plurium insignium in vno eodemque scuto, ad perpendiculum diuiso, ante Eduardum II. in Anglia incognitum fuisse tradit: fatetur tamen simul, iam Eduardo I. regnante plura insignium genera in vno eodemque scuto vnita reperiri. *Inscriptionum literalium* formam ex his exemplis cognoscere haud difficile erit, 1) Richardi I: † *Richardus. Rex. Angl. Dux. Norm. Aquit. & Com. Ande.* (Rex Angliae, Dux Normannorum, Aquitaniae & Comes Andegauiae), & in auerso s. equestri sigillo: † *Ric. Dei. Gra. Rex. Angl. Dux. Norm. & Comes. Andegauo*; 2) Iohannis, eadem inscriptio, nisi quod titulus *Dominus Hiberniae* prioribus titulis primum additus sit; 3) Henrici III: *Henricus Rex Angliae, Dominus Hiberniae & Dux Aquitaniae* (omissis titulis Ducis Normannorum & Comitis Andegauensis), 4) Eduardi I. & II: *Edwardus Dei Gratia Rex Anglie Dominus Hybernie Dux Aquitanie.*

Epocha IV. ab Eduardo III. (A. 1327.) vsque ad Iacobum I. (A. 1603.). Huius epochae sigilla potissimum *Regis Franciae* tam titulo, quam insignibus a prioribus discrepant. Lilia scilicet Francica, primum infinito numero, terna autem inde ab Henrico V. (A. 1413-1422.) in scuto quadripartito primum & quartum, Anglici vero leopardi secundum, & tertium locum tenent. *Inscriptio literalis* haec fere

erat: *N. Dei Gratia Rex Franciae & Angliae* (item inuerso ordine: Rex *Angliae & Franciae*), *Dominus Hiberniae*; nisi quod inde ab Henrico VIII. titulus *Defensoris Fidei* adiunctus sit. Neque hoc praetermittendum est, Henricum VI. more Galliae Regum *contrasignata* etiam sigilla, hoc est, maiestatica contrasigillis munita, adhibuisse, quibus tamen, praeter eum, nullus vnquam Rex Angliae vtebatur. Eduardus IV. primus post Wilhelmum I. Conquestorem corona clausa vsus est.

Epocha V. inde a Iacobo I. (A. 1603.). In hac epocha primum *literalis inscriptio* mutata est, cuius exemplum in Iacobi I. sigillis habemus, quorum pars prior inscripta est: *Deus. iudicium. tuum. Regi. da*, & posterior: *Iacobus. D. G. Magn. Brit. Franc. & Hib. Rex.* Deinde insignium etiam forma ter mutata deprehenditur. Scutum scilicet quadripartitum exhibet 1) inde a Iacobo I. in area 1. & 4. Franciae & Angliae insignia quadripartita, in area 2. symbolum Scotiae & in 3. tesseram Hiberniae; 2) inde ab A. 1701. (quo sub Annae regimine Angliae & Scotiae regna perpetua vnionis lege coniuncta sunt) in area 1. & 4. vnita Angliae & Scotiae insignia, in 2. Franciae & in 3. Hiberniae symbolum; 3) inde a Georgio I. A. 1714. in area 1. coniuncta Angliae & Scotiae insignia, in 2. Franciae digma, in 3. Hiberniae tesseram, & in 4. insignia Regum gentilitia. *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 200-213.

§. 356.

De Regum Scotiae & Hiberniae sigillis.

I. *Regum Scotiae* sigilla. Scoti ante Malcolmum III. (A. 1057-1093.) sigillorum vsum ignorarunt, crucibus tantum, quae testium nominibus praemittebantur, sollemnium loco vsi. Antiquissimum Scotiae Regum sigillum Duncano II. (A. 1093-1100.) acceptum refertur.

1. *Inscriptio literalis*

Epocha I. Duncani II. & Edgari: Nomen & titulus, vt: † *Ymago.* (in Duncanianis *Sigillum*) *Edgari Scottorum Basilei.*

Epocha

Epocha II. ab Alexandro I. (A. 1107.) vsque ad Iohannem Baliol (A. 1292.): Nomen & titulus, adiecta simul formula *Deo Rectore*, vt: *Alexander* (I.) *Deo Rectore Rex Scottorum.*

Epocha III. a Iohanne Baliol (A. 1292.) vsque ad Iacobum VI. (A. 1567.): Nomen & titulus, adiecta simul formula *Dei Gratia*, loco formulae *Deo rectore.*

Nummariorum sigillorum vtraque pars eodem modo inscripta est, nisi quod Maria in sigillo auerso primo hanc formulam: *Saluum fac populum tuum Domine*; deinde postquam A. 1558 Delphino Franciae (qui postea sub nomine Francisci II. Rex Galliae factus est), nupserat, duas siglas F M coronatas (hoc est, *Franciscus, Maria*) insculpi iusserit.

2. *Inscriptio realis.*

Epocha I. Duncani II. & Edgari: Sigilla monosphragista, ac Duncani II. quidem equestria, Regem equitantem, galeatum, tunica strictiore indutum, dextra vexillum, sinistra scutum tenentem exhibentia; Edgari vero maiestatica, Regem throno insidentem, corona aperta tectum, facie aduersa, chlamyde indutum, dextra sceptrum liligerum, sinistra gladium euaginatum, cuius manubrium genu incumbit, tenentem, referentia.

Epocha II. ab Alexandro I. (A. 1107.) vsque ad Alexandrum III. (A. 1249): Sigilla amphisphragista, eaque nummaria, vna ex parte maiestatica, ex altera equestria.

1) in *maiestaticis:* Rex throno insidens, corona aperta (exceptis Wilhelmo & Alexandro II. quorum ille caput striato galericulo tectum, hic nudum ostentat), facie aduersa, tunica & pallio regio indutus, dextra gladium euaginatum, sinistra globum crucigerum tenens.

2) in *equestribus:* Rex equitans, dextrorsum conuersus, galea & lorica indutus, (excepto solo Wilhelmo) dextra vexillum (gladium nudum in vltimi huius epochae Regis Alexandri II sigillis), sinistra scutum (inde a Wilhelmo, qui ab A. 1165-1212. regnauit, Regni Scotiae *insignibus* notatum) tenens.

Epocha III. ab Alexandro III. (A. 1249.) vsque ad Iacobum VI. (A. 1567.): Sigilla itidem amphisphragista eaque nummaria, vna ex parte maiestatica, ex altera equestria.

1) in *maiestaticis:* Rex throno insidens, corona aperta (clausa in solius Mariae sigillis), facie aduersa, tunica & pallio regio indutus, dextra sceptrum (non gladium, vt in prioribus) gestans, sinistra plerumque vacua & ad pectus admota, rarius globum tenens.

2) in *equestribus:* Rex equitans, dextrorsum conuersus, galea & lorica indutus, dextra gladium euaginatum, sinistra scutum insignibus Scotiae notatum tenens.

II. *Regum Hiberniae* sigilla. Ex his sigillis non nisi vnicum Reguli beneficiarii, nomine *Fedlimid*, qui saeculo XIII. vixisse videtur, ac Regum Angliae auctoritate titulum regium, ad modum aliorum Hiberniae Optimatum, obtinuit, cognitum habemus. Ipsum sigillum, de quo quaeritur, monosphragistum idque equestre est, exhibens Regulum equitantem, dextra gladium, sinistra scutum tenentem, & inscriptum: *S. Fedlimid Regis Conactie.* Vid. *Nouv. Traité de Diplom.* T. IV. p. 213-218.

§. 357.

De veterum Regum Siciliae & Neapoleos, item Regum Sardiniae & Hispaniae sigillis.

I. Veterum Regum *Siciliae & Neapoleos*, sigilla.

1. Sigilla *Rogerii* (A. 1130-1154.) sunt plumbea eaque contrasignata siue contrasigillis munita. Partem aduersam crux occupat, cuius angulis inscripta sunt verba: *Roggerius Dei Gratia Rex Sicilie, Ducatus Apulie & Principatus Capue.* Perigraphe partim dextrorsum, partim sinistrorsum scripta, exhibet haec verba: † *Dextera Dni fecit virtutem. Dextera Dni exaltauit me.* Contrasigilla variant: quaedam enim imaginem integram Sancti cuiusdam, throno insidentis, dextra benedicentis, sinistra librum tenentis, alia Regem throno insidentem, corona radiali tectum, dextra globum, sinistra sceptrum liligerum gestantem, alia denique Regem

stantem,

ſtantem, mitra criſtata tectum, dextra baculum longum, ſiniſtra globum crucigerum, cum perigraphe graeca, exprimunt.

2. Sigilla *Caroli I. Andegauenſis* (A. 1266 - 1285.) nummaria ſunt, vna ex parte maieſtatica, exhibentia Regem throno inſidentem, dextra ſceptrum liligerum, ſiniſtra globum cruce notatum tenentem: altera ex parte equeſtria, exprimentia Regem equitantem, dextra gladium ſtrictum, ſiniſtra ſcutum, liliis gallicis cum lemniſco trium ſegmentorum inſignitum, geſtantem.

3. Sigilla *Caroli II.* (A. 1285 - 1309.) nummaria ſunt, vna ex parte maieſtatica, exprimentia Regem throno inſidentem, dextra ſceptrum trifolinum, ſiniſtra globum crucigerum tenentem, cum perigraphe: *Karolus Secundus D. G. Rex Ieruſalem & Siciliae. Ducatus Apuliae. Principatus Capuae:* altera ex parte equeſtria, exhibentia Regem equitantem, cum ſcuto & phaleris inſignibus Domus Andegauenſis notatis. Perigraphe haec eſt: *Comes Prouinciae & Forcalquerii.* Sed exſtant etiam huius Regis ſigilla, quae in parte aduerſa Regem equitantem, cum perigraphe: *Karolus Dei Gratia Siciliae Rex*, in auerſa autem ſcutum inſignibus Aragoniae notatum, cum epigraphe: *Prouinciae & Forcalquerii Comes & Marchio*, exhibent.

4. Sigilla *Ludouici I.* (A. 1382 - 1384), antequam Rex factus eſſet, exhibebant aquilam coronatam & inſiſtentem hinc leoni, illinc boui cubanti. Pectori aquilae impoſitum eſt ſcutum liliis conſperſum ac limbo circumdatum, cum perigraphe: *S. Ludouici Filii Regis & Paris Franciae, Ducis Andegauenſis*..... In aliis ſigillis Princeps hic armatus & equo inſidens, dextra gladium, thoraci ope catenulae annexum, ſiniſtra ſcutum inſignibus Domus Andegauenſis tam veteris quam nouae notatum tenens repraeſentatur, cum elogio *Filii Regis, Paris Franciae & Filii Reginae Ieruſalem* (Iohannae I.). Qualia autem Ludouici ſigilla poſtquam Rex factus eſt, fuerint, reperire non poſſum.

II. *Regum Sardiniae* ſigilla. Exempli loco eſſe poſſunt duae bullae plumbeae *Bareſonis* ſeu *Bareſoni* Regis ad an. 1182. quarum vna in parte aduerſa portam ſ. caſtellum, tamquam ſymbolum vrbis Arboreae, cum perigraphe: † *Arborea*, in auerſa crucem, in angulis primo & quarto ſtellam, in ſecundo & tertio lunam creſcentem, cum

perigraphe: *Bareſonus Rex*, exhibet. Altera vero bulla in parte aduerſa Regis caput mitra tectum cum collo, facie aduerſa, mento tonſo, capillis nullis, in auerſa non niſi hanc epigraphen †*Bareſone Rex*, exprimit.

III. *Regum Hiſpaniae* ſigilla. Vſus ſigillorum paullo ſerius in Hiſpaniam introductus videtur. Nullum certe ſigillum Hiſpaniae, quod ſaeculo XII. antiquius eſſet, huc vſque innotuit. Primum omnium Hiſpaniae Regum ſigillum, quantum ego quidem noui, eſt illud, quod, teſte MABILLONIO, *Alphonſus VIII.* iuxta cum ſigillis duorum filiorum ſuorum diplomati, Abbatiae S. Dionyſii in Gallia A. 1156. appendi iuſſit. Pendula eſſe haec tria ſigilla, ex formula ſphragiſtica patet, qualia autem in ceteris ſint, non conſtat. Idem de bulla aurea *Alphonſi X. Sapientis* (A. 1252 - 1284.) dicendum eſt. Dolemus ſimul, Hiſpanicos diplomatum editores rei ſphragiſticae adeo plerumque negligentes adhuc fuiſſe, vt ſigilla vel prorſus omitterent, vel literales tantum eorum inſcriptiones indicarent. Ex iis tamen ſigillis, quae aliunde innotuerunt, qualia cetera ſint, haud aegre intelligi poteſt. Sic, vt hoc vtar, ſigillum *Iacobi I.* Aragoniae Regis, ad an. 1226. nummarium eſt, vna ex parte maieſtaticum, exhibens Regem throno inſidentem, habitu admodum ſimplici indutum, corona ſ. mitra tribus cornibus rotundatis terminata tectum, dextra gladium genibus impoſitum tenentem, cum perigraphe: † *S. Iacobi Di Gra Rec: Arag. Comit. Barc.* †; altera vero ex parte equeſtre eſt, repraeſentans Regem equitantem, ſiniſtrorſum conuerſum, eodem modo coronatum, vna manu clypeum, lanceam altera tenentem, cum perigraphe: *S. Domini Montiſpeſſulani.* Bulla plumbea *Ferdinandi III. Sancti* ad an. 1230. vna ex parte inſcripta eſt: † *Sigillum Regis Ferrandi*, ex altera vero: *Toleti & Caſtelle.* Reliqua forma huius bullae aeque ignota eſt, ac forma bullae plumbeae *Henrici III.* ad an. 1390. quae inſcripta eſt: † *S. Enrici Dei Gracia Regis Caſtelle & Legionis.* Poſterior haec inſcriptio in hoc ſingularis eſt, quod ſingula verba binis cruciculis diſtincta reperiuntur. Bulla plumbea *Ferdinandi Catholici & Iſabellae* ad an. 1484. exhibet Regem equitantem & gladium manu tenentem, Reginam vero throno inſidentem ac ſceptrum geſtantem. Aduerſa pars hanc perigraphen habet: † *Ferdinandus Dei Gracia Rex: Caſtelle Legionis Aragonum & Secil.* In parte auerſa autem legun-

leguntur verba: † *Helisabet. Dei. Gra. Regina. Castelle. Legionis. Aragonum. & Secilie.* Reges ex Austriaca Domo prognati, qui inde ab A. 1504. vsque ad A. 1700. in Hispania regnabant, sigilla sua plerumque ad modum sigillorum imperialium effingenda curarunt. Qua de re haec habet HEINECCIVS p. 120 §. XII. "Sane eodem „paene schemate, quale in Imperatorum sigillis deprehendimus, „Reges Hispaniarum Philippum I. Carolum I. Philippum II. Philip„pum III. & Philippum IV. exhibent sigilla, quae eleganter aeri „incisa sistit Oliuarius Vredius, ex quibus exempli loco seligimus „sigillum Philippi II. quod Philippum exhibet throno splendidissi„mo insidentem, dextra gladium, sinistra sceptrum tenentem, dispo„sitis ex vtraque parte insignibus, cum hoc titulo: *Philippus D. Gr.* „*Rex Hispan. Angl. Franc. Vtr. Sicil. etc. Archid. Austr. Dux Burg.* „*Brab. etc. Comes Flandr. etc.*"

Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 189. sq. & p. 194-199.

§. 358.

De Regum Sueciae sigillis.

Regum Sueciae sigilla parum discrepant ab aliorum Regum sigillis, de quibus hactenus expositi. IOHANNIS PERINGSKIÖLD Genealogia Regum Sueciae, quae lingua Suedica conscripta est, & hoc titulo ornata: *Ättartal för Swea och Götha Konunga Hus, efter trowärdiga Historier och Documenter i vnderdänighet vpräknadt*, Holmiae A. 1725. fol. prodiit, vt multa alia, ita Regum etiam Sueciae sigilla, ligno eleganter incisa exhibet. Ex his regia tantum sigilla in praesenti paucis explicabimus, praesertim quum ea ab auctore laudato maximam partem non descripta sint.

1. Sigillum *Caroli VII, Suerkeri I. filii* (A. 1162-1168.), numarium est, vna ex parte maiestaticum, exhibens Regem coronatum, throno insidentem, facie aduersa, barbatum, habitu regio indutum, dextra gladium, sinistra globum crucigerum tenentem, cum perigraphe: † *Sigillum Karoli Sueonum Regis:* altera ex parte equestre, exhibens Regem equitantem, dextrorsum conuersum, facie tamen aduersa, coronatum, habitu militari indutum, dextra hastam oblique positam, sinistra scutum tenentem, cum peri-

perigraphe: † *Hic idem ſummus Gothorum Dux.* Vid. ectypon in PERINGSKIÖLD l. c. p. 92.

2. Sigillum *Canuti,* filii Erici IX. Sancti (A. 1168-1199.), maieſtaticum maximi moduli eſt, in hoc tantum a praecedenti diſcrepans, quod Rex ſceptrum loco gladii dextra tenet, crucemque ciſtercienſem pectori impoſitam prae ſe fert. Perigraphe haec eſt: *Sigillum. Dei. Gracia. Kanuti. Sueorum. Regis.* Vid. PERINGSKIÖLD p. 56. vbi aliud quoque eiuſdem Regis ſigillum maieſtaticum idque medii tantum moduli exhibetur.

3. Sigillum *Erici X.* filii Canuti (A. 1208-1216.) numarium eſt, vna ex parte maieſtaticum, exhibens Regem, vt in praecedenti, dextra ſceptrum, globum crucigerum ſiniſtra tenentem, cum perigraphe: † *Sigillum. Erici. D. G. Regis. Sueorum.* Partis auerſae aream duo leopardi coronati, capitibus ſibi inuicem obuerſis occupant, cum perigraphe: † *Clipeus. Erici. D. G. Regis. Sueorum.* Vid. PERINGSKIÖLD p. 57.

4. Sigillum *Erici XI. Balbi,* in vernacula *Läſpe* cognominati, (A. 1222-1229.) numarium eſt, vna ex parte maieſtaticum, vt in praecedenti, cum perigraphe: † *Sigillum. Erici. Dei. Gracia. Regis. Sueorum.* Partis auerſae aream replent tres leopardi coronati, ad inſtar pali diſpoſiti, cum perigraphe: † *Clipeus. Erici. Dei. Gracia. Regis. Sueorum.* Vxor eius *Catharina* ſigillo parabolico cuſpidato, eoque contraſignato ad an. 1253. vſa eſt. Sigillum primarium exhibet effigiem Reginae coronatam, vſque ad genua expreſſam. Ex inſcriptione literali non niſi ductus quidam ſuperſunt. Contraſigillum triangulare anepigraphum eſt, exhibens tres baltheos dextros (non vndulatos) cum ſuperimpoſito leone erecto non coronato. Vid. PERINGSKIÖLD p. 58.

5. Sigillum *Magni I. Ladulai* (A. 1276-1291.), antequam Rex factus eſſet, fuit numarium, in aduerſa parte Principem equitantem, habitu militari indutum, dextra vexillum, leone inſignitum, ſiniſtra clypeum, itidem leone notatum, tenentem, cum perigraphe hac mutilata: *Sigillum. Magni. Dei. G.....*; in auerſa autem ſcutum triangulare, in cuius area cordibus conſperſa tres balthei ſiniſtri cum ſupergrediente leone expreſſi cernuntur, cum perigraphe mutila: ..... *oris. Ducis. Sue....*, exhibens. Poſtquam vero

vero Rex factus erat, sigillo numario vsus est, vna ex parte maiestatico, Regem more vsitato throno insidentem exhibente, nisi quod crucem tabellae rhombatae impressam & ex collo dependentem prae se ferat, cum perigraphe solita: *Signum. Magni. Dei. Gracia. Regis. Sweorum.* Partis auersae aream replet scutum triangulare, idque limbo arcuato circumdatum, exhibens in solo, cordibus conspersо, tres baltheos siniſtros cum superimposito leone coronato. Adsunt praeterea tres coronae, quarum vna supra scutum, duae vero reliquae ad latera collocatae sunt. Inscriptio literalis haec est: *Clipeus. Magni. Dei. Gracia. Regis. Sweorum.* In alio huius Regis sigillo, pars aduersa nullam crucem de collo Regis dependentem exhibet; & in auersa loco trium coronarum literae A & Ω cum vocula & intermedia expressae deprehenduntur. Eius vxor Helwigis vsa est sigillo rotundo contrasignato. Sigillum primarium exhibet Reginam coronatam, coram Maria, infantulum Iesum manibus comprehendente, ad genua prostratam, cum perigraphe: *Sigillu..... ig... Regine Sweorum.* In contrasigillo rotundo conspicitur scutum triangulare, baltheis tribus siniſtris, cum superimposito leone non coronato, insignitum. Vid. PERINGSKIÖLD p. 73-75.

6. Sigillum *Birgeri* (A. 1291-1319.) nummarium est, vna ex parte maiestaticum, Regem solito maiestatis ornatu & habitu repraesentans, cum perigraphe mutila: *Sigillum Birgeri Dei Graci.....m*; altera ex parte scutum triangulare, limbo arcuato circumdatum, exhibens in area cordibus conspersa tres baltheos siniſtros cum super imposito leone coronato. Ex inscriptione literali haec restant: † *Cli..... Dei. Graci..(a) Regis. Sweorum.* Vide PERINGSK. p. 76.

7. Sigillum *Magni II.* cognominati *Smek* (A. 1319-1363.) nummarium a praecedentibus haud differre videtur, licet illud in PERINGSKIÖLDI libro non exstet. Notatu vero dignum est, quod ille p. 77. exhibet, *Secretum* Magni II. literis A. 1360. & 1361. datis appensum, propterea quod illud primum & antiquissimum Regum Sueciae secretum est, quod mihi quidem occurrit. Est autem orbiculare medii moduli, exhibens scutum triangulare, siniſtrorsum inclinatum, in cuius area cordibus conspersa tres baltheі siniſtri cum superimposito leone coronato exhibentur. Scuti

angulo sinistro impositа est galea, duabus coronis ornata, quarum inferior trifoliis, superior autem margaritis terminata est: superiori etiam coronae vtrimque cauda pauonina adiuncta cernitur. Perigraphe haec est: † *Secretum: Magni: Regis: Suecie: &: Norwegie.*

Praeter haec regia sigilla PERINGSKIÖLD etiam p. 55. *sigillum Regni Sueciae* publicauit. Est illud orbiculare maximi moduli, idque monosphragistum, exhibens Ericum IX. Sanctum († 1162.) stantem, facie aduersa, galea coronata & thorace ferreo per integrum corpus tectum cum superimposito pallio vtrimque defluente, gladio accinctum, dextra vexillum, sinistra scutum triangulare inferius rotundatum, in cuius area tres coronae, vt 2. & 1. dispositae deprehenduntur, tenentem, cum perigraphe: *Sanctus. ericus. svevorum. gothorum. rex. Sigillum. regni. Svecie.* Res ipsa loquitur, sigillum hoc saeculo XIII. recentius esse. Appensum plerumque simul cum sigillo regio est diplomatibus maioris momenti. Sic *Christophorus* Rex Daniae & Sueciae († 1448.) legibus Regni a se emendatis A. 1440. partim regium suum sigillum maiestaticum. exhibens eius imaginem cum insignibus Dacicis, Slauicis & Bauaricis, addita perigraphe: *Sigillum. Matestatis. Christoferi. D. G. Dacie. Sclavorum. Gotorumque. Regis. Comitis Palatini. Rheni. &. Ducis. Bavarie.* partim sigillum Regni, quod explicauimus, appendi iussit. Vid. HEINECCIVS p. 120. §. XII.

Principes regii aliique primores haud raro numariis sigillis vsi sunt, ita quidem, vt in aduersa parte eorum equitantium imagines plerumque dextrorsum conuersae, in auersa autem insignia gentilitia appareant, cuius generis est sigillum Magni I. supra num. 5. huius §. descriptum. Plura habet PERINGSKIÖLD in opere suo genealogico saepius laudato.

§. 359.

De sigillis Regum Daniae.

Veterum *Daniae Regum* sigilla *aenea* fuisse, iam in superioribus (§. 333.) obseruatum est. Eorum satis multa PETRVS RESENIVS ex archiuis Danicis produxit, atque aere exscripta Historiae suae Friderici II. Regis, lingua Danica scriptae (*Kong Frederichs den Anders Kronicke:*

Kronicke: Kiovenhaffen 1680. fol.) adiunxit. Illa deinde explicauit etiam, omissis tamen ectypis, IOHANNES LAVERENTZEN in editione II. auctiore *Musei Regii Danici*, ab OLIGERO IACOBAEO primum descripti, Parte II. Sect. III. num. 88-96. Liceat mihi in praesenti Regum Daniae sigilla verbis Iohannis Lauerentzen explicare. Addam vero simul hinc illinc, quae ab hoc viro docto omissa sunt, sigilla.

1. *Canuti IV. Sancti* (A. 1080-1086.) sigillum, omnium, quae mihi occurrerunt, antiquissimum, omissum inter regia a IOHANNE LAVERENTZEN, exhibitum vero ad an. 1085. a PERINGSKIÖLDO in opere genealogico, §. pho praecedenti laudato, p. 71. est numarium, vna ex parte maiestaticum, exhibens Regem coronatum, throno insidentem, tunica & chlamyde indutum, dextram vacuam femori innitentem, sinistra vero globum crucigerum tenentem, cum perigraphe: † *Presenti Regem signo cognosce Cnutonem;* altera ex parte equestre, repraesentans Regem equitantem, dextrorsum conuersum, facie tamen aduersa, coronatum, dextra auem, sinistra fraenum tenentem, cum perigraphe: † *Hic natum Regis Magni sub nomine cernis.* His addenda sunt, quae IOH. LAVERENTZEN l. c. n. 97. sub finem attulit: "Regis exinde huius (Canuti) Protomartyris piam inculcare memoriam maiores nostri voluerunt, vnde & anno 1100. inter diuos apotheosi noua relatus est, qui etiam anno 1085. vti *Hvitfeld.* in Chron. Episcop. pag. 49. meminit, Lundensis Collegii Canonicorum sigillum esse voluit, effigiem Regis in throno sedentis & inscriptionem eiusdem: *Praesenti Regem signo cognosce Cnutonem*, cui ab altera parte, vt in sigillo auerso, Heros equo insidens expressus cernitur, qui filium Canuti Magnum significat, vt versus insculptus docet: *Hic natum Regis magni sub nomine cernis.*"

2. *Valdemari II.* (A. 1202-1242.) sigillum rotundum est, diametro sua duos pollices & dimidium occupans absque inscriptione, vbi Rex in prima sigilli facie iuuenis sedet in sella regia, & trabea indutus, porrigens pomum crucigerum, sinistra vero sceptrum liligerum tenens, in capite coronam apertam & quasi turritam gerit. Altera facies eiusdem sigilli habet clypeum ferme triangularem, in quo tres leones, currentes a dextro ad sinistrum, non coronati,

cordibus erectis viginti quatuor hinc inde sparsis supra, inter & infra leones. LAVERENTZEN num. 88.

* His verbis deinde Lauerentzen ad explicanda Daniae insignia subiecit: Illud primum ex monumentis produci potest sigillum, quod *leones tres cum cordibus* in clypeo Regni Daniae practulit, & Regis Valdemari II. esse censetur, quemadmodum ex literis vetustis, quibus sigillum hoc additum, *Resenio* innotuit, qui propterea illud ad an. 1216. regnante Valdemaro eodem, retulit. *Tribus coronis* quosdam Reges Daniae in clypeo suo vsos itidem esse indicauit *Nicolaus Vptonus* lib. 4. de officio militari p. 128. Svenonem nimirum *Tiufve-Skäg*, seu furcatae barbae, Canutum Magnum & Harde-Canutum. Verba eius sic ibi iacent: *Tunc interuenit quidam Danus, alias Dacus, nomine Suaynus, alias Svayno, qui expulit Edredum Regem Angliae a Regno, & regnauit vsque ad mortem, & in Eboraco sepultus est, qui portauit tres coronas palatas aureas in campo rubro. Et duo alii Reges Dani — Knutus & Harde-Knutus. Idque propter Angliam,* inquit idem autor, *quam veteri iure petebant, impetebant, & vindicabant, de quibus item alii scribtores.* Et quamuis in Anglia regni insignia vaga etiam principio fuisse credi possit, ex allatis tamen tuto colligimus, *Danos prima insignia Danici regni attuliſſe ſecum ex Anglia*, tres istas coronas adscribendo, quas deinde & situ & ordine & colore clypei non nihil immutarunt, nam coronae primum fuerunt palatae, ait *Vptonus*, h. e. vna sub altera positae a summo ad imum; atque ita S. Erico, qui anno 1150. in Suecia regnare coepit vsitatas fuisse, meminit Suecus scribtor, *Bureus* in Adulruna sua. Pari ratione *Anglos postea in trinis leonibus, non coronatis, adscisendis imitatos esse Danos*, censemus, quoniam Danorum Reges splendido successionis ordine & iusto titulo dominium maris Balthici eiusque freta seu ostia tria, *öraesundam, Balthiae-sundam & Middelfarti-sundam* ab omni aeuo habuerunt, quarum in clypeo Regis Daniae trini leones caeruli ex solo aureo sinistrorsum procurrentes verae sunt notae hieroglyphicae, quemadmodum & caerulei latices illi aestu augusto in fretis his exsultant, nauigantium frequentia & auro vectigali foecundi. Et sic tandem a vaga hac ratione insignium Reges reuocati, *firma quaedam ac stabilia regnorum insignia circa seculum XII.* sibi fecisse & delegisse videntur. Ante Valdemarum II. qui regnare coepit ab an. 1203. vsque ad an. 1242. trinos istos leones in sigillis Regum Daniae videre quidem nobis adhuc non contigit, antiquiores repertos tamen fuisse confido etc.

3. *Abelis* (A. 1250-1252.) sigillum propemodum ouatum est, longitudine sua tres pollices & dimidium exaequans, vtrimque absque inscribtione. In prima sigilli facie Rex Abel itidem iuuenis sedet in solio regio & trabeatus, sceptrum dextra gerens duabus crucibus in extremitate, sinistra pomum illud regium, in capite coronam apertam. Auersa sigilli in clypeo ferme triquetro corda triginta

ginta duo leonibus tribus coronatis interfusa habet. Refertur illud, teste *Resenio*, ad an. 1251. LAVERENTZEN l. c. num. 89.

* In libro egregio, qui lingua Danica scriptus, sub elogio: *Danske-Magazin*, Hafniae ab A. 1745-1752. 4. voluminibus VI. prodiit, multisque sigillis aliisque ad artem diplomaticam spectantibus rebus refertus est, Vol. V. p. 33. aliud sigillum *Abelis* Regis ad an. 1250. exhibetur. Ipsum sigillum orbiculare numarium est, vna ex parte maiestaticum, exhibens Regem throno insidentem, coronatum, facie aduersa, capillis breuioribus, tunica & pallio regio indutum, dextra sceptrum liligerum, sinistra globum crucigerum tenentem, cum hac mutila perigraphe: ABEL..... REX. Aversa pars exhibet scutum triangulare, cordibus consperſum, cum tribus ad instar pali dispositis leonibus coronatis. Ex perigraphe haec tantum restant: † CLIPE..... QVE. REGIS.

4. *Christophori I.* (A. 1252-1259.) sigillum rotundum est, tres pollices diametro occupans. In circuitu primi lateris insculptum exstat Romanis literis: † *Christophorus. Dei. Gratia. Danorum. Sclavorumque. Rex.* Rex in solio aut sella regia sedens cum pallio in anteriore parte colli fibulato & in tergum reiecto a brachiis, sceptrum dextra liligerum tenens & solito more pomum sinistra, capiti, loco coronae, pileolum regium impositum habet, quem Dani *Konge Hette* vocarunt, Regibus quippe ita vsitatum. In auersa: *Clypeus. Christophori. D. G. Danorum. Sclavorumque. Regis.* Leones tres coronati in clypeo, quibus corda decem intercurrunt, ex quibus duo superiora in angulis plane inuersa, duo sequentia extima ad dextram inclinata, reliqua vero stant erecta, cet. LAVERENTZEN l. c. num. 90.

5. *Erici V. Glipping* cognominati (A. 1259-1287.) sigillum est rotundum & in diametro sua duos pollices & dimidium excedit. In aduersa parte leguntur verba: † *Ericus. Dei. Gracia. Danorum. Sclavorumque. Regis*, nisi in vocabulo *Regis* (pro *Rex*), aut etiam in nomine *Ericus* (pro *Erici*) sculptoris manus errauerit. Rex sedet more solito in sella regia coronam apertam in capite gerens, duas alias coronas apertas ad latera singula singulas habet, indutus pallio, in dextro humero quod innodatum & fibulatum. Conspicienda sese vltro hic etiam offerunt vetustiora illa insignia Regum Daniae, inde a Rege *Svenone*, furcatae barbae, vti antea meminimus, adscita, *tres* nimirum *coronae aureae*, quarum vnam

in capite Regis, ceteras ad latera eiusdem in sigillo hoc videmus dispositas. In auersa parte exstat perigraphe: † *Clypeus. Erici. D. G. Danorum. Sclavorumque. Regis.* In clypeo sunt itidem tres leones coronati; positura duodecim cordium est prope eadem, quae in Regis *Christophori I.* sigillo reperitur, refertque illud *Resenius* ad an. 1272. LAVERENTZEN num. 91.

6. *Erici VI. Menuedii* (A. 1287-1319.)

1) *Secretum* duos pollices & tertiam partem vnius in diametro vix exaequat. Prima facies: † *Secretum. Erici. Dei. Gracia. Danorum. Selavorumque. Regis.* Rex hic eadem ferme in sigillo est positura, qua Rex memoratus *Ericus Glipping* in suo conspicitur, tribus illis aureis coronis sic etiam positis. Auersa sigilli facies nullam sibi insculptam habet inscribtionem, in clypeo enim solito tres leones coronati, cordibus tredecim eodem modo, quo antea, dissem̃inatis tantum procurrunt; lateribus clypei duae additae sunt aquilae volantes. Notatu dignum, *Ericum Menued* primum fuisse, qui vocem *Secretum* in sigillis adhibuit. Retulit hoc *Resenius* ad an. 1287. & 1297. quod binas literas tunc eo sigillatas obseruauerit; tertiae eiusdem Regis literae mihi ex monumentis Soranis sunt oblatae eodem sigillo munitae & anno Chr. 1290. a coronatione vero Regis tertio anno, exaratae, cuius auersae haec inscribtio insculpta erat: *Clypeus. Erici, Danorum, Sclavorumque. Regis.*

2) *Sigillum maius*, quatuor pollices & tertiam partem vnius in diametro excedit. Anterior facies: *Ericus. Dei. Gratia. Danorum. Sclavorumque. Rex.* Rex idem in sella regia eodem modo, quo antea, coronatus & sedens, nullis tamen ad latera coronis additis. Posterior facies: † *Clypeus. Erici. D. G. Danorum. Sclavorumque. Regis.* Leonibus tribus coronatis decem sunt addita corda, partim inuersa, nullis aquilis ad clypei latera positis. Idem refert *Resenius* ad an. 1308.

3) *Sigillum minus*, duos pollices & plus quam dimidium aequans. In prima facie Rex, vt antea, coronatus sedet, pallio circumfusus, sub medio collo fibulato, sceptrum liligerum iam sinistra, pomum cruciferum dextra gerit absque inscriptione vlla. In altera facie: *Regis Erici.* Medium occupat galea regia, ex

cuius

cuius lateribus summis duo angues exsurgunt sibi inuicem occurrentes capitibus & assibilantes, habentque singuli duas cristas ex pennis pauonum breues, alteram circa caput galeae angui affixam, alteram paullo post caput serpentis exeuntem, quae galea propria est Danorum, eaque primus vsus est Rex *Ericus Menued*, cum & ipsius galea esse hic perhibeatur. LAVERENTZEN num. 92.

7. *Christophori II.* (A. 1319-1340.)

1) *Sigillum ordinarium*, duos pollices cum dimidio in diametro occupat. Prima facies: † *Christophorus. Dei. Gratia. Danorum. Sclavorumque. Rex.* Rex sedens in solio turrito, more solito, nisi quod tres Leones non coronati praefigurati sint, ante Regis pedes vnus, ad singula latera in solio vnus, & pomum aureum crux nulla, vt in ceteris, percurrat aut cingat, cui tamen crux parua insistit. Auersa pars: † *Galea. Christofori. Dei. Gratia. Danorum. Sclavorumque. Regis.* Galea similis galeae *Erici Menuedii* cum anguibus & cristis, nisi quod sit arctior, taeniisque dependentibus, quibus sub mento ligari possit. Refertur ad an. 1320.

2) *Sigillum aliquantum maius*, eadem inscriptione in prima facie, alias quoque simile priori, nisi quod sculptoris manus minus accurata loco *Sclauor* hic insculpsit *Sclauou* & leonis loco, ad pedes Regis in priori sigillo iacentis, caput angeli expressum sit; secundam faciem rasam habet, referturque ad an. 1319. LAVERENTZEN num. 93.

8. *Waldemari (III.)*, qui ex Duce Iutiae, Rex Danorum factus, Christophoro II. ejecto, ab an. 1326-1329. regnauit,

1) *Secretum primi generis*, diametro sesqui pollices ferme occupat. Perigraphe eius haec est: † *Secretum Waldemari Regis Dano. et*, & interius *Sclavorum* supra coronam apertam, medium sigilli occupantem. Refertur ad an. 1326. quo regnare coepit.

2) *Secretum alterum*, magnitudinis eiusdem, inscriptum est: † *Secretum. Waldemari. Ducis. Iucie.* In medio galea, ex cuius summitate tria lilia surgunt cum caulibus suis. Refertur a *Resenio* ad an. 1330.

Disci-

Discimus ex his sequentibusque sigillis, Danos *Waldemari* nomen per literam *W* scribere coepisse, cum antea litera *V* semper hic usi sint, quemadmodum ex numis & sigillis antiquioribus dispaluit. LAVERENTZEN num. 94.

9. *Waldemari III.* siue *IV.* (A. 1340-1375.) sigilla in multis abeunt a priorum Regum sigillis.

1) *Secretum*, in diametro sua pollices duos tertiamque partem totius implens, hanc habet perigraphen: † *Secretu. Waldemar. Dei. Gra. Domicelli. Danor.* In medio loco galeae regiae repraesentatur caput aut cranium mortui, ex quo bini angues in sigillis prioribus antea descripti surgunt, taeniis item dependentibus, & sub se habet clypeum cum tribus leonibus coronatis absque cordibus oblique positum, eo modo, quo solent scuta eius aetatis, eaque positura veluti pendentia ex vno angulo sub galeis exprimi. Refertur a *Resenio* ad an. 1341. rectius referretur ad an. 1340. Eo enim anno Rex Waldemarus IV. (III.) saepius apud *Huitfeldium* in pactis cum Comitibus Holsatiae & Duce Waldemaro Iutiae initis p. 469. *Iunker*, seu potius *Iung-Herr Woldemar*, h. e. Domicellus Waldemarus appellatur, non vero anno 1341.

2) *Aliud sigillum*, magnitudinis eiusdem, inscriptum est: † *Galea Woldemari Dei Gratia Danorum Sclavorumque Regis.* In area sigilli Galea regia aliquoties memorata, cum anguibus cristatis & taeniis, inque medio anguium supra galeam tabella in qua

AD LEG
ES TRE

hoc est, *ad leges terrae*, quasi eo sigillo leges regni sint obsignatae, quas Waldemarus dedit aut promisit --- Notatu quoque dignum est, in cereris sigillis galeam semper apparuisse nudam, hic vero cruce alba per totum signatam esse, ex quo primum nobis hic sumitur indicium *crucis Danebrogicae* in sigillis Regum.

3) *Sigillum bina facie & peculiari forma.* Hactenus rotunda & literis Romanis sigilla vidimus sculpta, hoc vero Waldemari, *triquetram figuram* clypei erecti longitudine sua duos pollices & plusquam dimidium occupantis obtinet. In prima facie magna eminet crux alba, clypeum quae secat, limbus praeterea ambit clypeum

clypeum cruciculis distinctus, spatia quoque clypei similibus crucibus impleta sunt, nisi vbi *literae monasticae* in quatuor crucis Danebrogicae angulis leguntur, quae sic distinguuntur: *Wal-dema-rus*. Secunda facies eamdem refert figuram & limbum eiusdem clypei itidem cruciculis distinctum, sed interiora lineis in quadrum ductis ordine signantur & rosis implentur quadra, excepto vbi per obliquum trabs a superiori dextro cornu descendit ad latus sinistrum, in quo monasticis literis scriptum legitur GYLDANA LOVG. Putamus indicari his vocibus Waldemari Regis *auream*, quam dedit, *Legem* seu *Bullam Auream*. Refertur ad an. 1364. Et ad hoc sigillum memoratu dignum existimamus, post Waldemarum IV. (III.) omnes Reges splendidiori successionis serie *cruce* hac, quae *Danebrogica* appellatur, vsos esse, ante illum vero in sigillis neminem, quantum nobis innotuit; dari autem sigilla hac cruce antea insignita haud refragamur, cum & in numis Regum Daniae promiscue adhibita sit ante Waldemarum IV (III.) crux haec, numum quae totum in auersa parte percurrit. Primus quoque Woldemarus hic est Rex Daniae, qui *monasticis literis* in sigillis vti coepit, neminem in sigillis Regum adhibuisse eas literas antea obseruari potuit. LAVERENTZEN num. 95.

10. *Olai IV.* (A. 1376-1387.) sigilla a IOHANNE LAVERENTZEN praetermissa sunt. Exhibentur autem duo huius Regis sigilla in *Dansk Magazin* Vol. I. pag. 225. & pag. 35. quae paucis explicabimus.

1) *Secretum* ad an. 1376. est orbiculare monosphragistum, exhibens in limbo arcuato scutum gallicum, corona tectum, ac cordibus consperssum cum tribus leonibus coronatis ad instar pali dispositis. Perigraphe, literis minusculis neogothicis exarata, haec est: *secretum. olaui. dei gracia. danorum. sclauorum. gothorumque. reg.* (regis).

2. *Sigillum, ad signanda acta iudicialia* a Regni Cancellario adhibitum, ad an. 1386. itidem orbiculare, eiusdemque fere magnitudinis est, exhibens coronam, superne cruce notatam, cum perigraphe, literis minusculis neogothicis exarata: *S. Olaui. dei. gracia. regis. danorum. ad. causas.* Ipsum hoc sigilli cognomen

in formulis etiam diplomatum sphragisticis occurrit, cuius generis haec est: *Actum & Datum sub sigillo nostro ad causas* etc. *reste Nicolao Draghae Iustitiario nostro.* Vid. *Danske Magazin.* Vol. I. p. 34.

II. *Erici VII. Pomerani* (A. 1412-1439.)

1) *sigillum primarium* in diametro tres pollices & dimidium aequat. Perigraphe, literis, quas vocant, monasticis & fractis exarata, haec est: † *S. Erici. Dei. Gra. Regnorum. Dacie. Swecie. Norvegie. Sclavorum. Gothorumque. Regis. ac. Ducis. Pomerani.* In sigilli area clypeus ferme triangularis est, quem *crux Danebrogica* totum transit, longitudine sua pollices duos & dimidium, latitudine vero duos tantum exaequans. In crucis *angulo primo*, ante leones tres, reperiuntur nouem corda, vnum sub altero a summo ad imum serie quadam posita, quem numerum posteri ab eo tempore, ordine concinniori retinuerunt: in *secundo angulo* tres coronae & erectae conspiciuntur, ea positura, qua etiamnum in sigillis Regum Daniae exstant. Vetusta illa sunt Regum Danorum insignia, quae Rex *Sueno* seu *Suenotho*, a barba furcata siue admorsa vernacule *Tiufveskäg* cognominatus, in clypeo suo portasse dicitur, autore Anglo *Vptono*, superius laudato, inque sigillis Regum *Erici Glippingii* & *Erici Menvedii* postea, quamuis alio ordine, posita hic etiam demonstrauimus; hinc quoque *Margaretam*, Daniae Reginam, eiusque in imperio adiutorem & successorem legitimum Regem *Ericum Pomeranum* easdem coronas non tantum procurata vnione trium regnorum borealium, sed & iure antiquissimo in clypeos suos assumsisse, non est, quod quisquam dubitare possit: in *tertio* crucis *angulo* insignia illa Noruagica leo prosiliens cum bipenni: in *quarto* gryphus, qui Pomeriae antiqua denotat. Crucis vmbilico scutulum, in quo Noruagiae insignia repetuntur, affixum est; vnde primus quoque hic notatur Rex Ericus, qui *scuto scutulum addidit*, primusque, quod sciam, qui *insignia regni multiplicauit*, cum tribus leonibus aut coronis aut cruce Danebrogica acquieuisse antecessores constet, quemadmodum & posteri illam crucem deinceps in insignibus regni retinuerunt. Nec minus notatu dignum, *angelum* hic bene alatum *coronae*, quae primum scuto maiori in sigillis Regum

ex

ex Oldenburgica domo imponitur, pectore tenus hic obumbrare & tutari scutum maius.

2) *Contrasigillum* vix duos pollices in diametro sua implet. Perigraphe haec est: † *Signetu. Erici. Dei. Gra. Regis. &. Ducis. Pom. etc.* Aream totam sigilli occupant leo & gryphus, qui coronam apertam super crucem Danebrogicam erecti sustentant. LAVERENTZEN num. 96.

12. *Christophori III. Bauari* (A. 1439-1448) sigilla primum, quantum constat *draconem*, insignia Sclauiae, habent. LAVERENTZEN l. c.

13. *Christiernus I.* siue *Christianus I.* (A. 1448-1481.) Iutiae septemtrionalis insigne, *leonem*, nouena corda transilientem, primo inseruit sigillis suis, vt etiam videri potest ex eiusdem Regis monumentis, a quo tempore perpetuus in regni insignibus reperitur. LAVERENTZEN l. c.

14. *Friderici I.* (A. 1523-1533.) sigilla exhibent *cygnum*, Stormariae insigne, sine corona, qua collum alias ornatur, eius loco collum sagitta transfixum. LAVERENTZEN l. c.

15. *Fridericus II.* (A. 1559-1588.) *equitem cataphractum*, Dithmarsia deuicta, addidit. LAVERENTZEN l. c.

§. 360.

De Regum Hungariae & Bohemiae sigillis.

Hungariae, *Bohemiae*, *Prussiae*, ceterique Imperio finitimi Reges sigilla sua ad formam sigillorum Imperatorum Germanicorum plerumque effingi iusserunt, id quod ex his, quae iam proferemus, exemplis clarum fiet.

1. *Hungariae Regum* sigilla. Exempli loco commemorabimus sigillum *Elisabethae*, Hungariae Reginae, quod diplomati A. 1367. dato appensum est. Exhibet illud Reginam, throno insidentem, coronatam, habitu regio indutam, dextra sceptrum longius liligerum tenentem, sinistra pectori admota, cum perigraphe: *S. Elisabeta: Dei: Gra: Hungari: Regina: Princeps Salernitana.* Vide *Chronicon Gottwicense* p. 407.

2. *Regum Bohemiae* ſigilla. *Otokarus*, Rex Bohemiae, A. 1264. vſus eſt ſigillo amphiſphragiſto nummario, vna ex parte maieſtatico, ex altera equeſtri. In maieſtatico exhibetur Rex throno inſidens, corona trifolina tectus, capillis paullo longioribus, facie aduerſa, mento tonſo, amictu regio indutus, dextra ſceptrum liligerum, ſiniſtra crucigerum globum tenens. Ad ſiniſtrum ſolii latus ſcutum triangulare, aquila inſignitum, collocatum cernitur. Ex inſcriptione literali, duplici circulo comprehenſa, haec pauca ſuperſunt: † *S. Otakari Dei Gratia..... rauie Ducis Karinthie.....* In equeſtri ſigillo conſpicitur Rex equitans, ſiniſtrorſum conuerſus, galea & toga militari indutus, gladio accinctus, dextra vexillum leone notatum, ſiniſtra frenum tenens, ſcuto cum inſignibus Auſtriae de humero ſiniſtro pendente, phaleris vndique ſcutis gentilitiis conſperſis. Ex inſcriptione literali, duplici circulo incluſa, reſtant verba haec: † *S. Otokari..... Ducis..... Styrie Domini Car..... chie. P.....* Vid. HVEBERI Auſtria ex Archiuis Mellicenſibus illuſtrata, Tab. IV. fig. 4. Admodum ſimile huic eſt ſigillum aliud *Otokari V.* Bohemiae Regis, ad an. 1269. ap. HVEBERVM l. c. Tab. V. fig. 6. Pars aduerſa ſiue ſigillum maieſtaticum hanc perigraphen habet: † *S. Otakari. ſiue. Premizlai. Quinti. Regis. Boemorum. Marchionis. Morauie. Filii Wenzeslai. Regis. Quarti*; in auerſa autem parte ſ. ſigillo equeſtri haec leguntur verba: † *S. Otakari. Dei. Gra. Regis. Boemor. Quinti. Morau. Marchionis. Auſt.....* Cum his duobus ſigillis conuenit etiam ſigillum *Wenzeslai II.* ad an. 1300. in ANT. WECKII Chron. Dreſd. P. II. tit. 1. p. 161.

§. 361.

De ſigillis Ruſſicorum Czarorum, Imperatorum Turcicorum, Regum Perſicorum, Indicorum, cet.

1. *Czari Ruſſici* olim in ſigillis ſuis nullam imaginem oſtentarunt, praeterquam circulos tres, triangulo incluſos. Primo circulo haec verba inſcripta erant: *Deus noſter Trinitas, quae fuit ante ſaecula, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Non tamen tres Dii ſed vnus Deus in ſubſtantia*; in medio titulus *Regis*, ad quem ſcribebatur,

batur, cum elogio *Fratri noſtro*; in vltimo denique *Czari* titulus, in quo ſe Regem ac Dominum totius Ruſſiae appellauit, exſtabat. Vid. HEINECC. p. 121. §. XIII.

2. *Muhamedanorum* omnium, vt ipſius *Muhamedi*, *Chalifarum* veterum, *Imperatorum Turcicorum*, *Regum Perſicorum*, *Magnorum Mogolium*, ſigilla monepigrapha ſunt, hoc eſt, non niſi inſcriptiones literales, repudiatis cuiuſcumque generis imaginibus, continent. Mahomed, item Abubecker & Omar verba: *In duplex teſtimonium*; Oſman ſymbolum hoc: *Credo in Deum Creatorem & Adminiſtratorem*; Ali hanc formulam: *Soli Deo forti dominium*; Haſen denique haec verba: *Non eſt Deus vllus praeter Deum Regem verum & manifeſtum* ſigillis ſuis intulerunt. Vid. HEINECC. p. 121. §. XIV. Idem vir doctus p. 29. §. XVI. de Mahumedanorum & Turcarum ſigillis haec, quamquam non omnino vera, commemorauit: "*Antiquos* (Mahumedanos), qui *ad Graecos mores* procliuiores plerumque erant, a „ſigillis (proprie dictis) non abhorruiſſe, conſtat *Sultanorum Iconien-*„*ſium* exemplo, quos & aureis bullis literas confirmaſſe, docet „DVCHESNIVS, ex eoque CAROLVS DV FRESNE. Sed quum „hoc Ducheſnii opus (*Hiſtoria Duc. Burgund.*) numquam mihi „viſum ſit: nec coniicere poſſum, nudiſne literis, an adiecta ſcul-„ptura iſtud ſigillum inſignitum ſit. Poſteris ſane temporibus *Tur-*„*carum Imperatores* ab imaginibus abhorrere, literae eorum teſtan-„tur, ſigilla prae ſe ferentes, nullis inſignibus (*lunam* enim, quam „vulgo Turcarum inſigne volunt, plane huc non pertinere, SCHEF-„FERVS notauit), ſed nudis literis notata, & maioris venerationis „cauſſa *aureo panno*, ſi ad Reges dirigantur, inuoluta. Meminit „quoque PAVLVS IOVIVS literarum *aurea bulla* ſignatarum, quas „Ferdinandi I. legatis conceſſit Solimannus. Huius ſiue ſigilli ſiue „typi tanta eſt apud Turcas auctoritas, vt *ſummis Viſiris* eius cuſto-„dia ſoleat demandari. Nec tamen huic ſigillo locus eſt, niſi in „literis ad Reges exteros mittendis, aut ſecretis negotiis. Patentia „enim diplomata, veluti ad Baſſas, tribunos & alios miniſtros deſti-„nata ſolo notantur *ſigno Caeſaris*, ſeu *monogrammate*, quod *Humaium*, „hoc eſt, *manucodiatam* vocant."

3. *Sinenſium* Imperatores dracone barbato & cornuto, tamquam proprio Imperatorum & Imperii Sinenſium inſigni, ad ſignandum vtuntur. HEINECC. p. 29. §. XVII. Vid. & ea, quae nos ſupra §. 314. p. 268. diximus.

4. Apud *Iapanenſes* non Imperatores tantum, ſed ipſae etiam ciuitates & pagi nobiliores imaginibus delectantur, ideoque varias figuras, vt ſtellas, caput apri, lunam, cilindros, globulos, cet. ſignandis literis adhibent. Vid. ſupra §. 314. p. 268. coll. HEINECC. p. 30. §. XVI.

5. *Abeſſinorum* Rex vtitur ſigillo, leonis, crucem tenentis, imaginem complexo, cum epigraphe: *Vicit leo de tribu Iuda.* Vid. ſupra p. 268. & HEINECC. l. c.

---

§. 362.

De ſigillis Principum, Comitum ac Nobilium generatim.

Ante interitum Carolingicae ſtirpis, non alii fere, niſi Imperatores ac Reges ſignarunt. *Principes* certe, *Comites* ac *Nobiles* tunc temporis rariſſime ſigillis vſi ſunt. Exempla poſterioris generis, albis profecto coruis rariora, ſuppeditant 1) ex ſaeculo VI. *Mummolus*, Theodeberti Regis tempore ad Iuſtinianum Imperatorem legatus, qui moribundus teſtamentum ſuum ſubſcriptionibus ac ſigillis muniendum curauit, 2) ex ſaeculo VII. *Bertchrammus*, Epiſcopus Cenomannenſis, cuius teſtamentum ſeptem virorum honeſtorum ſubſcriptionibus ac ſigillis firmatum eſt, 3) poſt medium ſaeculum VIII. *Adalhardus*, qui chartae venditionis, Fulrado Abbati S. Dionyſii datae, paruum ſigillum adiunxit, 4) ex ſaeculo IX. *Heccardus*, Comes, qui Richildi inter cetera legauit *ſigillum de amatixto* (amethyſto), *vbi aquila ſculpta eſt*, & Adanae, germanae ſuae, *ſigillum* item *de amatixto*, vbi *homo eſt ſculptus, qui leonem interſicit*; at *ſigillum de onychino*, aliudque *de berillo* aliis tradidit: quamquam haec ſigilla Heccardi inter antiquitatis fortaſſe reliquias, quas ille poſſidebat, referenda ſunt. Atque eo quidem tempore, quo tam rara, vt diximus, Principum, Comitum, Nobilium, cet. ſigilla fuerant, partim *ſubſcriptiones*, partim alia chartarum roborandarum genera ſigillorum vicem ſuppleuerunt. Inprimis hic commemoranda eſt conſuetudo, quae in Gallia potiſſimum inualuit, *lora coriacea vel membranacea* chartis adiungendi, quibus ſimul vnus alterque *nodus* innectebatur, quod qui fecerunt, *nodatores* appellati ſunt, diuerſi a teſtibus. Sic in diplomate, A. 1079. dato, leguntur verba haec: *Nodatores*

tores ac praefatae donationis firmatores: S. Gocelinus venerabilis Burdegalensium archiepiscopus. S. Achelmus archidiaconus totusque Sancti Andreae Clerus. S. Centulfus de Biarno. S. Radulfus de Sancto Hilario. Signum Willelmi fortis de Dordone. Signum Balduini de Centujano. Signum Bernardi de Bastada. Signum Amelrici Vicecomitis. Signum Odonis nepotis Comitis. Signum Balduini de Dun. Modus hic per *lora nodosa* confirmandi diplomata adhuc circa medium saeculum XII. in Vasconia vsitatus erat, id quod cum aliunde, tum ex hac clausula chartae cuiusdam donationis patet: *Horum nec non signo donorum ipse Forto-Anerius nodum in hoc corrigio primus fecit, & alium nodum Bruno de Saltu frater eius: alios deinceps nodos idonei Barones. Huius rei testes fuerunt Bonus-homo Aduren sis episcopus.* Sed, introducto licet iam sigillorum vsu, non statim tamen lora nodosa abolita, sed aliquamdiu iuxta cum sigillis ad diplomata corroboranda adhibita sunt. Vid. etiam, quae supra p. 177. s. v. *per nodum* dicta sunt. Frequentiora Principum ac Comitum, cet. sigilla inde ab eo tempore facta sunt, quo illi ex terrarum ac dignitatum administratoribus Regumque ac Imperatorum vicariis perpetui possessores ac domini fiebant. Inter antiquissima Principum Comitumque sigilla (si a sigillis Principum Langobardicorum discesseris) refertur sigillum *Arnulphi*, Flandriae Comitis s. Marchionis, diplomati, A. 941. dato, adiectum. Quo antiquiora autem huius generis sigilla sunt, eo minora ac simpliciora esse solent. Sunt autem plerumque rotunda. *Inscriptiones literales* non nisi nomen ac titulum exprimunt; cuius generis hae sunt: *Guaimarius Princeps, sigillum Balduini Comitis, Adelbertus Comes, Rotbertus Dux Burgundiae*, cet. Postea *Prouinciarum* tituli, formula *Dei Gratia*, aliaque, de quibus supra (§. 344. p. 303 sq.) diximus, addita fuerunt, vt: † *Sigillum Rotberti Comitis Flandriae,* † *Ricardus nutu Dei Comes.* † *Symon. Gra. Dei. Lotharingorum. Dux. & Marchio.* † *Theodericus Dei Gratia Flandrensium Comes.* † *S. Iohannis: Dalph: Vienn: &: Albon: Com: Dni: Q: D: Terre*, cet. Quod ad *inscriptiones reales* attinet, omnia Principum Comitumque sigilla, exceptis Principibus Langobardicis, antiquissimisque Flandriae Comitibus, & Normanniae ac Burgundiae Ducibus, *equestria* sunt. Equitantium nonnulli nudi, alii cataphracti, ac interdum, praeter loricas, tunicis etiam vestiti apparent. Manu dextra nunc gladium strictum, nunc vexillum, quid? quod sceptrum etiam, sinistra vero plerumque scutum, nullis initio insignibus gentilitiis

tiis ornatum gestant. Equorum ephippia saeculo demum XIII. vsitata fiebant, & adhuc saeculo XIV. interdum admodum simplicia erant. Insignia gentilitia demum post medium saeculum XI. sigillis illata, & eo etiam tempore admodum rara fuerunt. Sed de his rebus iam supra (§. 345.) pluribus dictum est. Conf. etiam *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 219-221. item p. 249. sq. & HEINECC. p. 121-135.

§. 363.

De Principum Langobardicorum & Normannicorum sigillis.

Principum Langobardicorum & Normannicorum, qui in quibusdam Italiae regionibus regnarunt, sigilla proxime ad *regia* accedunt, & inter regia etiam sigilla haud incommode referri possunt: ipsi enim hi Principes regia inter suos auctoritate fuerunt, etsi carebant nomine.

I. *Principum Langobardicorum* sigilla omnia impressa sunt, & numaria tamen simul, quod singulare ac notatu dignum est.

1. *Atenulphi*, Ducis Beneuentani (ab A. 901-910.) sigillum ouale anepigraphum est, exprimens in priori parte Sancti cuiusdam vel ipsius etiam Principis imaginem dimidiatam, facie aduersa, mitra & habitu fere episcopali conspicuam, dextra cruciculam ex margaritis coagmentatam, sinistra globum cruce destitutum, tenentem, adiuncta simul sinistro humero stella: auersa autem pars non nisi monogramma Principis continet.

2. *Atenulphi* eiusdem & *Landulphi* sigillum commune orbiculare & mediocris magnitudinis est, sistens in parte priore Principum amborum imagines dimidiatas, iuxta se positas, facie aduersa, coronis radialibus admodum simplicibus tectas, brachiis pallio regio inuolutis, imagine sinistra sceptrum pedo episcopali simile prae se ferente, cum perigraphe: † *Atenolfi & Landolfi Princip* (um). Partis auersae aream occupat monogramma Atenulfi, cum quo haec perigraphe coniuncta est: † *& Landolfi Prin* (Principum).

3. *Paldolfi & Iohannis*, eius filii, Principum Capuanorum (A. 1022-1026.) sigillum commune est orbiculare & ambitu satis magno, sistens

sistens in p^riori parte amborum Principum imagines dimidiatas, facie aduersa, capite nudo, regio habitu, Paldolfo sinistra hastam signiferam, Iohanne dextra pomum paruum, idque cruce destitutum, tenente, cum perigraphe: † *Paldolfi* (Paldolfo) *& Iohanni Principibus.* Partis auersae aream crux occupat, cuius lineae perpendiculari nomen *Paldolfo* ad modum monogrammatis implicitum, horizontali autem nomen *Iohanni* per consequentiam literarum superscriptum est. Perigraphe, cum epigraphe modo dicta coniunctim legenda, haec est: † *Principibus.*

4. *Waimarii* siue *Guaimarii III.* Principis Salernitani (A. 1025.) sigillum maius cereum (nam is aurea quoque bulla vsus fuit) vna ex parte exhibet Principis imaginem dimidiatam, facie aduersa, capite corona clausa tecto, habitu regio indutam, sceptrum dextra tenentem, sinistra erecta, digitis, praeter pollicem & indicem, plicatis cum perigraphe: † *Gaimarius Princeps.* Auersa pars sistit manum extensam, medio digito ad indicem reflexo, cum perigraphe eadem.

5. *Guaimarii IV.* vel *V.* Principis Salernitani & Capuani, sigillum ad an. 1044. per omnia cum praecedenti conuenit. Vid. ectypa horum & plurium aliorum huius generis sigillorum in ERASMI GATTVLA Historia Abbatiae Cassinensis post pag. 876. & in *eiusd.* accessionibus ad Historiam Abbatiae Cassinensis post pag. 860. Addatur *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 190-193.

II. *Principes Normannici*, qui inde a medio saeculo XI. terras Principum Langobardicorum tenebant, bullis plumbeis potissimum vsi sunt, quarum auersae parti plerumque porta vrbis Capuae, cum perigraphe: † *Capua Speciosa*, seu *Capua Ciuitate Speciosa*, insculpta cernitur. Prior pars in sigillo communi *Richardi* & *Iordani*, eius filii, ambos Principes iuxta se stantes, facie aduersa, rotunda mitra tectos, & toga pallioque ad hodiernum Sacerdotum nostrorum vel etiam Ludimagistrorum morem indutos, dextrisque sceptrum globulo terminatum ad formam clauae tenentes exhibet, cum perigraphe: † *Richardus & Iordanus Dei Gra Principes.* In bulla Richardi II. (ineunte saeculo XII.) prior facies exprimit Principis imaginem dimidiatam, facie aduersa, mitra & habitu regio indutam, dextra sceptrum cruce terminatum tenente, sinistra intra pallium s.

chlamydem latente, cum perigraphe: † *Secundus Richardus Princeps.* Robertus, Princeps Capuae & Dux Apuliae, ad an. 1128. in bullae suae parte priori exhibitus est capite nudo, capillis promissis, dextra sceptrum liligerum prae se ferens, cum perigraphe: † *Robertus Princeps.* Ab his bullis tam magnitudine, quam forma multum recedit bulla aurea Rogerii Principis Normanniae & Ducis Apuliae, qui postea (A. 1130.) Rex Siciliae factus est. Est illa non numaria, sed contrasignata, ac duobus quidem contrasigillis munita. Sigillum primarium, cuius diameter quinque pollices excedit, in area crucem rotundatam exhibet, in cuius quatuor angulis haec verba literis maiusculis ex parte coarctatis inspripta cernuntur: *Ego Rogerius, qui supra, Dei Gratia Dux Apulie.* Aream duplex perigraphe ambit. In exteriore leguntur verba: † *Dux semper viuas pius & clemens omni vas* (forte *omni vas* pro *omnibus*). Interior autem perigraphe haec est: ✠ *Hac cruce signata stabont nunquam violata.* Ex contrasigillis vnum sistit imaginem dimidiatam Virginis Mariae, infantulum Iesum brachiis tenentis, adiunctis ad humeros his literis graecis: ΜΡ ΘΟΥ, hoc est, Μητηρ Θεου, Mater Dei; alterum vero monepigraphum est, exhibens in area hanc epigraphen graecam: † ΡΟΓΕΡΙΟC ΕΝ ΧΩ ΤΩ ΘΕΩ ΚΡΑΤΑΙΟC ΑC. (ἀσπὶς) ΚΑΙ ΒΟΗΘΟC ΤΩΝ ΧΡΙCΤΙΑΝΩΝ †, hoc est, Rogerius in Christo Deo potens, clypeus & adiutor Christianorum. Vid. *Gattula* l. c. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 193. sq.

§. 364.

De sigillis Comitum Flandriae.

Sigilla *Comitum Flandriae* orbicularia, & monosphragista quidem vsque ad an. 1159. inde vero contrasigillis munita sunt. Impressa fuerunt vsque ad Balduinum VII. (A. 1112.), hic vero Comes pendula primus vsurpauit.

1. *Arnulphi I.* (A. 918-966.) sigillum, inter prima & antiquissima Principum Comitumque sigilla referendum, vtpote diplomati A. 941. dato impressum, exhibet Arnulphum sellae vulgari insidentem, facie aduersa, mitra ad instar diadematis tectum, capillis breuioribus, mento barbato, tunica cingulo adstricta, dextra gladium

dium euaginatum tenentem, sinistram vacuam erigentem, scuto vacuo de collo super dextrum humerum dependente, cum perigraphe: *Signum Arnulfi Flandrensis Marchisi.* Ex hoc sigillo, quod, vt perigraphe docet, subscriptionis loco vsurpatum est, cognoscitur, errare eos, qui Comites numquam in sigillis sedentes exhiberi contendunt: quamquam, vt verum fatear, sigillum hoc, licet a pluribus viris doctis, & in his ab HEINECCIO etiam defensum, si non falsum, suspectum tamen esse non vna de caussa, mihi videtur.

2. *Balduini V.* (A. 1034-1067.) sigillum (ad an. 1065.) equestre est, referens Comitem hunc absque ephippio, stapedibus & calcaribus equo insidentem, dextrorsum conuersum, galea & sago indutum, dextra gladium, sinistra fraenum cum scuto tenentem, cum perigraphe: † *Sigillum Balduini Comitis.* Sigillum hoc inter antiquissima sigilla equestria commemorandum est, licet non primum huius generis fuerit. HERRGOTTIVS enim contra HEINECCIVM ex sigillo equestri Ducis Arnulphi, chartae A. 980. datae, adiuncto ostendit, sigilla equestria saeculo XI. antiquiora esse.

3. *Roberti I.* (A. 1071-1093.) sigillum equestre (ad an. 1072.) in hoc singulare est, quod scutum *leone* insignitum est, quamquam ex insequentium Comitum sigillis, quae vsque ad Philippi Alsatici (A. 1168.) regimen nullam leonis imaginem ostentant, cognoscitur, insignia Comitum Flandriae saeculo XI. vsitata quidem, at nondum hereditaria fuisse. Ceterum in sigillo Roberti stapedes quidem, at nulla calcaria, nullum ephippium, quid? quod ne fraenum quidem expressa cernuntur. Perigraphe haec est: † *Sigillum Rotberti Comitis Flandriae.*

4. *Balduini VII. Securis* (A. 1111-1118.) sigillum in hoc a prioribus differt, quod primo pendulum est, vt diximus, deinde quia formula *Dei Gratia* in perigraphe eius primum legitur.

5. *Caroli Boni* (A. 1119-1127.) sigillum exhibet hunc Comitem capitio quodam cuspidato tectum, corpore cataphractum, equo ephippiato insidentem, sed absque calcaribus, & plerumque etiam sine stapedibus. Perigraphe haec est: *S. Caroli Comitis Flandrie & filii Regis Datie* (Daniae).

6. *Wilhelmi Normanni* (A. 1127-1128.) sigilla duo maiora eaque equestria cognita habemus, quorum vnum (ad an. 1127.) exhibet Comitem habitu militari a capite ad medias vsque coxas indutum, dextra vexillum, sinistra clypeum prae se ferentem; alterum vero (ad an. 1128.) eumdem sistit galea tectum & thorace squammato indutum, dextra gladium, sinistra scutum tenentem. Perigraphe haec est: † *Sigillum Willelmi Comitis Flandrie.*

7. *Theodorici Alsatici* (A. 1128-1168.), sigillum nouum, quod sibi, quum e Palaestina A. 1159. rediisset, sumsit, contrasigillum, protomen eius exprimens, dorso adiunctum habet. Perigraphe vtriusque partis eadem est, haec nempe: *Theodericus Dei Gratia Flandrensium Comes.*

8. *Philippi Alsatici* (A. 1168-1191.) sigillum a praecedenti non differt, nisi quod contrasigillo A. 1163. verba: *Et Viromandie* adiecta leguntur, quae verba cum perigraphe sigilli primarii: *Sigillum Philippi Comitis Flandriae* coniunctim legenda esse, per se cuiuis patet.

Omnes Flandriae Comites posteriores contrasigillis vsi sunt, quarum perigraphe admodum variauit. Equorum postilenae demum A. 1233. & phalerae defluentes A. 1247. primum vsurpatae deprehenduntur. *Philippus*, Regis Iohannis filius, in sigillo quodam circ. A. 1385. scripturam minusculam neogothicam primum vsurpauit, & in alio sigillo A. 1387. titulum *Paris Franciae* sibi sumsit, qui nulli vmquam Flandriae Comiti arrisit. Vid. VREDII sigilla Comitum Flandriae, quem librum egregium in fronte huius capitis laudauimus. Addatur *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 221-224.

§. 365.

De sigillis Lotharingiae Ducum.

1. *Adalberti* (A. 979-1037.) sigillum est pendulum contrasignatum. Sigillum primarium in diametro quinque circiter pollices, contrasigillum vero non nisi duos habet. In priori exhibetur Dux equo phaleris defluentibus ornato insidens, galea tectus, gladium dextra, sinistra scutum tenens. Aquilae extensae imago tam in scuto,

scuto, quam bis in equi stragulis expressa cernitur. Perigraphe, literis pluribus neogothicis exarata, haec est: † *S. Adalberti: Marchionis & Ducis: Lott.* Contrasigillum, quod itidem aquilae extensae imagine insignitum est, hanc perigraphen habet: † *Sigillum: Albert. Marchionis: Ducis: Loc.* At totum hoc Adalberti sigillum haud immerito pro suppositio habetur, 1) quia omnia sigilla principalia huius aetatis multo minora sunt, quippe quae adhuc exeunte saeculo XI. si vel maximae magnitudinis sunt, vix pollices tres diametro complectuntur, 2) quia ante saeculum XII. contrasigilla inusitata fuerunt, 3) quia equorum phalerae defluentes & insignibus gentilitiis notatae demum saeculo XIII. inualuerunt, ac denique 4) quia literae neogothicae saeculo XII. non sunt antiquiores.

2. *Theoderici I.* († A. 1115.) sigillum, diplomati A. 1078. dato impressum, est equestre monosphragistum, quod tres pollices & dimidium in diametro habet, & Ducem, equo simpliciter ephippiato nullisque stragulis conspicuo insidentem, dextrorsum conuersum, vna manu lanceam, scutum ouale altera tenentem exhibet.

3. *Simonis I.* († A. 1139.) sigillum ad an. 1130. equestre monosphragistum est, quod non integros tres pollices diametro complectitur, Ducemque equo insidentem cum stapediis & calcaribus, dextrorsum conuersum, dextra lanceam, sinistra scutum oblongum & cuspidatum tenentem exhibet, cum perigraphe: † *Symon. Gra. Di. Lotharingorum. Dux. &. Marchio.*

4. *Matthaei I.* († 1176.) sigillum ad an. 1144. sistit Ducem equitantem, sinistrorsum conuersum, mitra cuspidata tectum, vna manu gladium, altera clypeum longum cuspidatum ac triangulare, baculisque tribus vel quatuor decussatim positis (quales in reliquorum Ducum Lotharingiae scutis cernere non licet) insignitum, cum perigraphe: † *Mateus. Dux. &. Marchio. Lotharingorum.*

5. *Simonis II.* sigillum ad an. 1178. exhibet Ducem equitantem, dextrorsum conuersum, galea ad modum mitrae rotundae tectum, dextra gladium, sinistra scutum margaritis vel clauis etiam metallicis notatum tenentem. Ipse hic Dux & praedecessor eius soli sunt, quorum equi campanulas circa pectus ostentant. Sigil-

lum Simonis II. tres amplius pollices diametro complectitur, & ita inscriptum est: † *Simon. Dux. Lothoringie. Marchio.*

6. *Friderici I. de Bittis* († A. 1208.) sigillum ad an. 1196. repraesentat Ducem equitantem, sinistrorsum conuersum, mitra tectum, vexillum dextra, scutumque prae se ferentem. Tam scutum, quam vexillum tribus aquilis mutilis, ac prima quidem vice, insignitum deprehenditur, quae quidem insignia ab insequentibus Ducibus retenta sunt. Perigraphe sigilli, duos pollices diametro sua excedentis, haec est: † *Sigillu. Dni. Friderici. de Bittis.* Videtur autem hoc sigillum non nisi secretum fuisse.

7. *Friderici II.* († A. 1213.) sigillum ad an. 1208. contrasignatum est. Sigillum primarium sistit Ducem sinistrorsum equitantem, galeatum, dextra vexillum, sinistra scutum tenentem. Tam scutum, quam vexillum tribus aquilis mutilis insignitum est. Equus phaleris defluentibus, & aquilas sex mutilas exhibentibus superbit, qui quidem ornatus nunc primum in sigillis genuinis obseruatur. Perigraphe, literis capitalibus semigothicis exarata, haec est: † *Sigillum: Frederici: Ducis: Lothoringie: &: Marchionis.* Contrasigillum, quod Dux hic primus adhibuit, admodum paruum est, exhibens scutum tribus aquilis mutilis notatum, cum perigraphe: † *S. Frederici.*

8. *Theobaldus I.* (ab A. 1213-1220.) sigillum, monosphragistum est, tres pollices & dimidium in diametro habens, Ducemque, equo non instructo insidentem, mitra tectum, hastam vexilliferam & scutum, tribus aquilis mutilis insignitum, prae se ferentem, exhibens, cum perigraphe: *Theobaldus. Dux Lothoringorum. Marchio. Comes. de Dabor.*

9. *Matthaei II.* (ab A. 1220-1251.) sigillum est contrasignatum. Sigillum primarium, non integros duos pollices diametro comprehendens, equestre est, repraesentans Ducem, equo non phalerato insidentem, ac sinistrorsum spectantem, mitra tectum, vexillumque & scutum, & vtrumque quidem tribus aquilis mutilis insignitum, gestantem, cum perigraphe: *S. Mathei. Ducis. Lothoringie. &. Marchionis.* Contrasigillum cuius diameter non nisi vnum pollicem habet, refert scutum tribus aquilis mutilis notatum, cum hac breui perigraphe: † *Matheus.*

10. *Fri-*

10. *Friderici II.* (A. 1251-1303.) sigillum est contrasignatum. Primarium sigillum, idque equestre, cuius diameter quatuor fere pollices habet, sistit Ducem equo phaleris defluentibus & sex aquilas mutilas referentibus instructo, insidentem, sinistrorsum conuersum, galeatum, scutum tribus aquilis mutilis insignitum, ac sinistro humero incumbentem, dextra manu vexillum iisdem aquilis notatum gestantem, cum perigraphe, literis capitalibus semigothicis exarata: *Sigillum Frederici ..... Lot... ie & March.* Contrasigillum, vix duos pollices diametro continens, refert scutum tribus aquilis insignitum, cum perigraphe: † *Sigillum Secreti.*

11. *Theobaldi II.* (A. 1303-1312.) sigillum ad an. 1311. est monosphragistum equestre, & paullo minus, quam praecedens, exhibens Ducem equo phalerato & quasi cristato insidentem, dextrorsum conuersum, mitra tectum, tunica strictiore cum panniculis infra defluentibus indutum, dextra vexillum, sinistra scutum aquilis tribus mutilis insignitum tenentem, cum perigraphe: † *Sigillum. Theobaldi. Ducis. Lothoring. & March.*

12. *Friderici IV.* (A. 1312-1329.) non nisi secretum sigillum cognitum est, quod vix duos pollices diametro complectitur, Ducemque equo phalerato insidentem, vexillum scutumque tribus aquilis mutilis notatum tenentem, praetereaque aquilae extensae imaginem in area scuti a tergo Ducis exhibet, cum inscriptione: †: *S: Ferriderici. Ducis. Lotharingie. &. Marchionis.*

13. *Rudolphi* (A. 1329-1346.) sigillum equestre in hoc tantum a praecedente differt, quod aquilae extensae imaginem, coronae ducali s. galeae clathratae impositam exhibet.

14. *Mariae Blessensis*, Ducissae Lotharingiensis, quae loco impuberis Ducis Iohannis I. Ducatum ab A. 1346-1352. gubernauit, sigillum non nisi insignia Lotharingica & Blessensia refert. Telamones pariter atque aquilae extensae singulare aliquid habent: illi enim truncum arboris, vnde scutum dependet, vnguibus tenent, hae vero, quasi ramis arboris praedictae insidere volentes, expressae deprehenduntur.

15. *Iohannis I.* (A. 1346-1390.) tria sigilla innotuerunt. Ex his 1) *maius* contrasignatum est. Primarium sigillum, diametro plus quam

quam tres pollices complectens, est equestre, exhibens Ducem equo phaleris defluentibus mutilasque aquilas referentibus instructo, insidentem, galea clathrata, cuius coronae pariter atque capiti equi aquilae extensae imago imposita est, tectum, manu gladium, catenulae ope thoraci annexum, vibrantem, cum perigraphe: *Sigillum: Iohannis: Ducis: Lothorigie: &: Marchionis.* Eamdem perigraphen etiam contrasigillum habet, quod diametro vnum pollicem & quod excurrit, comprehendit, & scutum vetus Lotharingicum exhibet. 2) *Ordinarium* Iohannis I. sigillum est monosphragistum, pollices duos & dimidium diametro complectens, scutumque exhibens, tribus aquilis mutilis insignitum, galeaque ornatum, cui corona ducalis cum aquilae extensae imagine imposita est. Scutum duo animalia, telamonum loco tenent. Perigraphe haec est: † *Iohannis. Ducis. Lothoringie. & March.* 3) Sigillum paruum s. secretum Iohannis I. diametro vnum vix pollicem excedens, exhibet aquilam extensam, coronam ducalem & pallium, quod scutum Ducum Lotharingicorum gentilitium ambit, cum perigraphe: *S. Iohannis: Ducis: Lothoringie.*

16. *Caroli II.* (A. 1390-1430.) non nisi paruum sigillum s. secretum ex an. 1393. habemus, quod diametro duos pollices exaequat, & non nisi scutum, insignibus Lotharingicis notatum, eique impositam aquilae extensae imaginem, apicis loco, cum duobus leonibus coronatis telamonum vicem obeuntibus, refert. Perigraphe literis minusculis iisque satis elegantibus concepta, haec est: *S. Caroli Ducis Lotharingiae & March.*

17. *Renati I. Andegauensis* (A. 1431-1480.) sigillum maius, si quod habuerit, incognitum est: innotuerunt tamen alia duo, quorum vnum contrasignatum est, duos pollices & dimidium diametro excedens, & in priore parte tria lilia lemnisco notata, cum superimposita corona ducali & hac perigraphe: † (crux lotharingica) *Renatus ex Sicilia liliis coronatus;* in posteriore autem parte insignia Hungariae & Hierosolymae, item insignia Andegaui & Barri, vno scuto orbiculari comprehensa, cum perigraphe, cuius singula verba crucibus Lotharingicis distincta sunt: *Andegauis Barri Dux & Prouinciae Comes,* exhibens. Alterum sigillum non nisi secretum est, exhibens insignia Siciliae, Neapoleos, Hungariae s. Hierosolymae iuxta cum insignibus Aragonicis.

Vid.

Vid. AVGVSTINI CALMET *Hiſtoire de Lorraine, depuis l'entrée de Iules Ceſar juſque 1690.* Nancy 1728. fol. Voll. III. & *Nouv. Traité de Diplom.* T. IV. p. 240-245. in quo poſteriore libro etiam de ſigillis *Ducum Normanniae, Britanniae minoris, Burgundiae*, cet. inde a pag. 224-240. multa egregie dicta ſunt.

§. 366.

De ſigillis Comitum Habſburgicorum.

1. *Alberti II.* ſigillum, quod ad an. 1114. refertur, vti antiquitate, ita ſimplicitate etiam reliqua ſui generis ſigilla ſuperat. Eſt autem pendulum monoſphragiſtum & equeſtre, duos circiter pollices & dimidium diametro complectens, Ducemque equo neque ephippio, neque phaleris ſtapedibuſque inſtructo abſque calcaribus inſidentem, ſiniſtrorſum conuerſum, galea tectum, dextra gladium ſtrictum vibrantem, ſiniſtra ſcutum triangulare, leonis imagine inſignitum geſtantem, exhibens. Ex perigraphe non niſi hae literae reliquae ſunt: *...rti. Comit.....rc*, hoc eſt, *S. Alberti Comitis de Habeſpurc.*

2. *Alberti III.* ſigillum ad an. 1199. praecedenti multo elegantius eſt, ſiſtens Albertum hunc, equo ephippiato cum calcaribus & ſtapediis inſidentem, dextrorſum conuerſum, galea ad modum mitrae cuſpidatae efficta & cum veſtitu reliquo connexa tectum, gladium dextra, ſiniſtra ſcutum ſ. vmbellam tenentem, cum perigraphe hac mutila: † *Albert. de H..... facie*, hoc eſt, *Albertus de Habeſpurc Landgrauuius Alſacie.* Aliud eiuſdem Alberti III. ſigillum, quod diplomati A. 1213. dato appenſum eſt, exhibet hunc Comitem equo abſque calcaribus inſidentem, corona Comitis tectum, & praeter thoracem ferreum, tunica longa, margaritis ornata & cingulo adſtricta ſuperindutum, dextra gladium, ſiniſtra ſcutum triangulare leonis imagine notatum tenentem. Equus neque in hoc ſigillo, neque in ſigillis poſteriorum Comitum, phaleris amplis varieque ornatis, quales alii ſaeculi XIII. Principes oſtentant, ſtratus cernitur. Perigraphe haec eſt: † *Sil* (Sigillum) *Albti. C...* (Alberti Comitis) *de Habeſb. &. Langrauii. Alſacie.*

3. *Alberti IV.* tria ſigilla commemoranda ſunt. Primum eſt ſecretum eius anepigraphum, & ad an. 1213. refertur, exhibens ſolum ſcu-

tum gentilitium, idque oblongum ac triangulare, leonis imagine satis negligenter formata, insignitum. Primus vero Albertus IV. inter Comites Habsburgicos eiusmodi sigillo, solis insignibus gentilitiis notato vsus est. Reliqua duo sigilla equestria sunt, in quorum vno ad an. 1233. Comes sinistrorsum, in altero vero ad an. 1240. dextrorsum conuersus repraesentatur. In ceteris haec sigilla nihil singulare habent.

4. *Rudolphi I.* plura sigilla cognita habemus, quibus ille inde ab A. 1240. vsque ad an. 1259. vsus est. Duo ex illis non nisi secreta sunt, quae arma tantum gentilitia, leonis nempe imaginem sistunt, & magnitudine dumtaxat inter se differunt. Maiora s. equestria eius sigilla monosphragista & omnia quidem eiusdem paene formae sunt, exhibentia Comitem equitantem, galeatum, sinistrorsum conuersum, dextra gladium (interdum lanceam oblique positam), ad sinistrum vero humerum scutum leonis imagine insignitum prae se ferentem, cum perigraphe: † *S. Comit. Rud. de Habesb. Lantgraui. Alsatie.* Sigillum Rudolphi, quod diplomati A. 1259. dato adhaeret, vt in aliis quibusdam, ita in hoc inprimis a reliquis recedit, quod area quinque floribus lilii insignita est, quorum vnus ante equitis faciem, duo a tergo, & reliqui duo infra equi ventrem collocati cernuntur. Vid. MARQV. HERRGOTTI Genealogia diplomatica augustae gentis Habsburgicae. Viennae 1737. fol. Vol. III. Addatur *Nouveau Traité de Diplomatique* T. IV. p. 245-248.

---

§. 367.

De sigillis Nobilium.

Dynastae, qui ad nobilitatem superiorem, in Germania certe, referuntur, exeunte demum saeculo XI. sigillis vti coeperunt, in quibus initio *statuae equestres*, vt in sigillis Principum Comitumque, rarissime *stantium imagines*, ac denique inde a saeculo XII. nonnisi *arma gentilitia* expressa cernuntur. Ac Dynastae quidem, quorum diplomata ante exitum saeculi XI. crucibus tantum, sigillorum loco, munita fuerant, eo potissimum consilio, vt alibi, ita in Gallia praesertim, sigillorum

lorum vſum ſibi adoptarunt, vt maleuolorum hominum fraudibus machiniſque occurrerent, qui, quum vidiſſent, chartas fundationis ac donationis, Eccleſiis atque Monaſteriis datas, nullis ſigillis eſſe roboratas, occaſionem inde, hominum ſacris ordinibus adſcriptorum bona inuadendi, arripuerunt: id quod inter alia ex hoc documento, exeunte ſaeculo XI. exarato, dilucide cognoſci poteſt: "Ioannes dictus Dolen-„ſis Dominus Camburnii decreui omnia quae dederunt anteceſſores mei „Eccleſiae S. Trin. Comburnii ſigilli mei munimine confirmari. Notum „eſt quod nobiles viri antiquo tempore fundantes monaſteria ſimplici-„bus cartis dona, quae Deo & eccleſiis offerebant, commendabant. „Nunc vero filii huius ſaeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua „facti *multas contentiones* contra eccleſiaſticos rectores mouent. Quod „perpetuo delere cupiens inter ſucceſſores noſtros & monachos maioris „monaſt. quoniam anteceſſores noſtri *ſigilla non habuerunt*, eo quidquid „ipſi dederunt dono, concedo, & ſigillo meo confirmo. Sed ne ali-„quid videar immutare, cartam Riualloni filii Haimonis anteceſſoris „noſtri ſubter ſcribere & ſigillo meo in quantum potui roborare volui." Idem ex alio documento Simonis Domini de Broies, A. 1155. ſcripto, patet, cuius haec verba huc transſcribere placet: "Quia ſcilicet in „tempore illo (quadraginta annis ante), quo donum factum eſt, *minime* „*conſuetudo eſſet, de donationibus cartas ſigillare, quos malitia dierum* „*iſtorum non recipit*, auctoritate euacuans quas non ſigillatas conſpexit." Ex his verbis ſimul facili negotio intelligitur, ſigilla Dynaſtarum adhuc ineunte ſaeculo XII. rara fuiſſe, neceſſaria autem poſt medium ſaeculum XII. hominum dolis inſidiiſque eſſe facta. Quod vero ad ſigilla *Nobilium inferioris ordinis* attinet, ea vix ac ne vix quidem ſaeculo XIII. antiquiora ſunt. Hoc certe ſaeculo ſigillorum vſus per vniuerſam Europam inter homines nobili proſapia prognatos inualuit, quum antea eorum chartae vel *crucibus* tantum, vel ſigillis *Principum* aut *Epiſcoporum* ordinariorum confirmatae deprehendantur. Inſeruerunt autem Nobiles ſigillis ſuis vix aliud quidquam, praeter *inſignia gentilitia*, ac initio quidem abſque galeis: *galeas* enim ſcutis gentilitiis ſaeculo demum XIV. imponi coeptas eſſe, cum aliunde conſtat, tum etiam variis exemplis, in *Hiſtoria mea Holzſchuheriana* allatis, declaratum eſt. Nobilium ſigilla initio *triangularia*, poſtea vero *rotunda* etiam fuerunt, ac *viridi* potiſſimum *cerae*, rariſſime *rubrae* impreſſa cernuntur. *Diſcernicula* armis gentilitiis inde ab exeunte ſaeculo XII. adiuncta ſunt.

Militis titulus in ipsis diplomatibus vix ante saeculum XI. in sigillis vero demum exeunte saeculo XII. & circa initia saecnli XIII. vsurpatus deprehenditur. An *Milites* in signandis chartis praerogatiuae quidquam prae *Famulis* habuerint, iam in superioribus (§. 323.) quaesitum est. Conf. etiam *Nouveau Traité de Diplomat.* T. IV. p. 256-272. Addatur HEINECCIVS p. 137. sq.

§. 368.

De sigillis Ciuitatum.

Ciuitatum sigilla, in veteri Romanorum Imperio vsitata quidem fuerunt, & inde ab ineunte etiam saeculo V. aliquamdiu sunt retenta, postea vero prorsus cessarunt, quum vrbes non amplius Consulibus ac Senatui, sed Comitibus, Ducibus ac Missis Dominicis parerent, ideoque negotia non suo suorumque magistratuum nomine expedirentur. Quo factum est, vt antiquissima, quae ex aeuo medio supersunt, ciuitatum sigilla non vltra saeculum XII. ascendant: *communitates* enim, quas vocant, vrbanae saeculo demum XI. restitui coeptae sunt, vt haberent Imperatores ac Reges, quod potentiae Principum & Optimatum, nimium quantum auctae, tamquam fraenum obiicerent. Varie autem sigilla ciuitatum dispertiri possunt, ac primo quidem in *authentica* & *secreta*, quorum posteriorum originem HEINECCIVS ad saeculum XV. reiecit, deinde in sigilla *ciuitatum imperialium* ac *municipalium*, item in sigilla *Senatus* & *Burgensium*. Sunt etiam ciuitates, quae quoniam ambitu suo plures vrbes s. regiones complectuntur, plura etiam ac diuersa sigilla vsurpant. Exemplo esse potest vrbs *Brunsuicensis*, quae, quum in quatuor quondam regiones, quarum singulae sui quasi iuris fuerunt, diuisa esset, quatuor etiam sigillis vsa est. Primum eorum leonem erectum cum anchora, iubis in latere sinistro imposita, & perigraphe: *Newen. Stadt*; alterum eiusdem generis leonem, sed rota notatum, cum perigraphe: *Hagen*; tertium leonem colosso insistentem cum perigraphe: *Sack*; ac postremum denique caput leoninum, cum titulo: *Alte. Weig* exhibet. Sed placet, aliarum quoque ciuitatum, & Gallicarum inprimis, ceu paullo rariorum apud nos, sigilla paucis describere. 1) Sigillum *Rothomagi*, sub initia saeculi XIII: Leonis s. potius leopardi imago, cum

cum perigraphe: † *Sigillum. commune. vrbis. Rothomagi.* 2) Sigillum *Ambiani:* sub finem saeculi XIII: Rosa, in centro areae collocata, ex qua, tamquam radii marginem versus, sex capita inusitatae formae (tamquam symbolum Praetoris vrbani & Scabinorum) & totidem floribus lilii diuisa prodeunt, cum perigraphe: *Sigillum ciuium Ambianensium.* Contrasigillum eius non nisi vnum florem lilii exhibet, cum perigraphe: *Secretum meum mihi.* 3) Sigillum *Nemausi* ad an. 1226: Quatuor hominum (Consulum ciuitatis) imagines stantes, cum perigraphe: *Sigillum Consulum. Ciuitatis. Nemaus..* 4) Sigilla duo *Narbonae* ad an. 1278, vnum: Imago Virginis Mariae, cum perigraphe: *Sigillum Pacis Consulum Narbonae;* alterum: Agnus Dei, cum perigraphe: *Sigillum Consulum Burgi Narbonae.* 5) Sigillum plumbeum *Auenionis,* in priore parte: Quatuor protomae hominum palliatorum, cum perigraphe: † *Sigillum Consulum Auenionensium;* in altera parte: Imago aquilae extensae, cum his siglis: G. E. R. F. A. L. C. V. S. 6) Sigillum *Genuae* seu *Ianuae* ad an. 1374: Gryphus, faucibus gallinam, vnguibus ranam tenens, cum perigraphe rhytmica: *Griffus vt has angit, sic hostes Ianua frangit.* 7) Sigillum *Senae,* in honorem Henrici II. Regis factum, in superiori parte areae: Imago Virginis Mariae, e nubibus caeli stellati prospiciens, ac septem capitibus angelicis quasi sustentata, in inferiori autem lupa Romulum ac Remum lactans, cum hac perigraphe, in fronte lilii flore ornata: CAP. itaneo. POPVLI. ET. DEFENS. ori. LIBERTAT. is. REIP. ublicae. SENEN. sis. HENRICO II. AVSP. ici.

Quo distinctius vero inscriptiones reales seu figurae sigillis ciuitatum insertae cognoscantur, placet eas ad capita quaedam singularia reducere. Exhibentur scilicet in ciuitatum sigillis

1. Aut *turres* (moenia turribus munita) vel *castella,* aut *diui tutelares,* aut vtrumque. Turres nempe sicut commune ciuitatum symbolum sunt; ita Diui tutelares adiuncti eo potissimum consilio sunt, vt vna ciuitas ab altera facilius posset discerni. Sic in sigillo *Goslariae* exhibentur moenia ciuitatis, porta & turribus aliquot distincta, inter quas eminent duo sancti, Simon scil. & Iudas Apostoli, vt ex inscriptione schedularum, quas ii manibus tenent, cognoscitur, cum perigraphe: † *Sigillum Burgensium in Goslaria.* Cum hoc conuenit sigillum *Quedlinburgi,* in quo etiam moenibus inter

duas turres insistit S. Seruatius, Patronus Quedlinburgensium, cum perigraphe: *Sigillum Burgensium in Quedelingeburch.* Huius vrbis sigillum secretum eiusdem formae, at paullo minus est, sicque inscriptum: *Secretum ciuitatis Quedelingeborch.* Pari modo *Treuerenses* S. Petrum, *Gothani* S. Gothehardum Hildesheimensem Episcopum, *Ienenses* & *Ordruffenses* S. Michaelem Archangelum, *Isenacenses* & *Bambergenses* S. Georgium, *Fuldenses* S. Bonifacium, *Coburgenses* S. Mauritium, *Saalfeldenses*, S. Iohannem Baptistam, alii alios Patronos sigillis insculpi iusserunt. Antiquissimum huius generis exemplum a quibusdam existimatur sigillum ciuitatis *Leodiensis*, S. Lamberti Martyris imagine insignitum, & inscriptum: *Sancta Legia Romanae Ecclesiae filia*; sed falsum illud atque commentitium esse, multis rationibus HEINECCIVS declarauit.

2. *Figurae paronomasticae*, hoc est, quae ad nomen atque etymon ciuitatum alludunt. Sic *Mülhusenses* ferrum molendinare, *Isnenses* soleam equinam, *Monachienses* monachum, *Schafhusenses* ouem, *Bernenses* vrsum, *Magdeburgenses* virginem burgo seu castello insistentem, *Auerspergenses* vrum in monte gradientem, *Sternbergenses* stellam in monte, *Hennebergenses* gallinam in monte, *Arnstadienses* aquilam (vereri Francorum dialecto *Arn* dictam) inter turres vrbis volitantem, *Argentinenses* rubram stratam in albo scuto, *Biennenses* (incolae vrbis vulgo *Biel* dictae) securim, *Eimbeccenses* praeter turres leonemque amnem etiam per portam defluentem, *Francofurtenses ad Oderam* gallum, *Antwerpienses* (quasi *Handwerpienses*) binas manus, *Scheppenstedenses* nauem, sigillis inseruerunt.

3. *Insignia dominorum*, quibus ciuitates parent. Sic *vrbes imperiales* permultae in sigillis suis aquilae imaginem exhibent. Ex *opidis municipalibus* omnia fere, quae vmquam in Ducum *Brunsuico-Luneburgensium* ditionem descripta fuerunt, leonis imaginem in sigillis ostentant: id quod Lüneburgensium, Hanoueranorum, Goettingensium, Northeimensium, Mundensium, Dransfeldensium, Pattensensium, Vslariensium, Moringensium, Osterodensium, Senensium, Scheppenstedensium, Scheningensium, Lothariensium, Bodenwerteranorum, Duderstadensium, cet. exemplis satis dilucide comprobari potest. Idem vrbes *Marchicae*, *Saxonicae* cet. item permultae etiam *Galliae* ciuitates declarant. Possunt huc etiam

etiam *Rhenanae ciuitates* quodammodo referri, de quarum insignibus IACOBVS CVRIO ap. *Heineccium* haec commemorat: "Franciae Ducum imperio, vt annales referunt, circa haec tem„pora subiectas fuisse Rhenanas ciuitates, clypeorum signa, quae „adhuc fuerunt, non obscure indicant. *Agyrippinates* in milita„ribus signis suis acies triangulares, parum a *Würzburgensibus* „aciebus discrepantes, initio habuerunt. Caeterum vbi Magorum „corpora accepissent, acies mutatae eis sunt in tres coronas, ser„uato *Francorum colore albo & rubro.* Sic suis signis Francos ali„quando se *Moguntini, Wormatienses, Spirenses, Argentoratenses,* „& multi alii testantur. *Moguntia* duas rotas albas in rubro solo, „*Spira* Conradinam, id est, Francicam Ecclesiae structuram in „solo albo, *Argentoratum* rubram stratam in albo." His verbis „subiecit HEINECCIVS: "Hactenus curiosa Curionis coniectura, „quae non videtur de nihilo esse. Sane enim si tres coronas Co„lonienses, turres Spirenses, rotas Moguntinas exceperis, quas „recentiore aeuo constat accessisse, nihil poterit excogitari his „sigillis antiquius, nihil Francico scuto, quod Wurzbergenses „Episcopi retinuere, similius."

4. *Symbola vitae generis*, cui ciues alicuius vrbis prae ceteris dediti fuerunt. Huc potest referri sigillum *Lutetiae Parisiorum*, nauem, mercaturae & nauigationis symbolum, exhibens, item sigillum *Scabinorum Remensium*, vitis imagine conspicuum, cum perigraphe: †. SEG. illum SCABINOR. um REMEN. sium.

Vid. HEINECCIVS p. 138-141. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 273-279. Add. TREIBERI, Arnstadiensis quondam Rectoris, Schediasma de nonnullis iudiciorum ciuitatumque insignibus ac sigillis, Arnstad. 1690.

§. 369.

De sigillis iudiciorum, magistratuum, communitatum ac collegiorum cuiuscumque generis.

1. *Iudiciorum* sigilla vltra saeculum XII. vel XIII. quantum mihi quidem constat, non ascendunt: propterea quod antea omnes causae in curiis siue sollemnibus siue minus sollemnibus disceptatae fuerunt.

Exhi-

Exhibentur autem in sigillis iudicialibus plerumque eorum insignia, vel symbola etiam, quorum auspiciis iudicia habentur: id quod cum aliorum, tum inprimis Gallicorum tribunalium sigillis, quorum accurata & elegans descriptio *in operis noui diplomatici* T. IV. p. 279-286. exstat, declarari potest.

2. *Magistratuum* sigilla, iam florente Imperio Romanorum veteri vsitata fuerunt, post barbararum deinde gentium incursiones in desuetudinem venerunt, demum saeculo XII, magis vero XIII. restituta sunt. In his sigillis pariter atque in iudicialibus plerumque insignia gentilitia, interdum vero alia symbola expressa deprehenduntur.

3. *Communitatum, collegiorum,* cet. sigilla varii generis sunt; quorsum pertinent, sigilla *Vniuersitatum*, earumque singularum, quas dicunt, *Facultatum, Academiarum & Societatum literariarum, collegiorum opificum.*

§. 379.

De sigillis Notariorum, Iudaeorum & Priuatorum.

1. *Notariorum* sigilla ab eorum signis s. *signetis* probe distinguenda sunt (§. 243.). Notarii scilicet initio eorum, quibus seruiebant, sigillis vsi sunt, sed inde ab ineunte saeculo XIV. peculiaribus propriisque sigillis signarunt, quod vero de publicis tantum Imperatorum, Regum, cet. Notariis intelligendum est, reliquos enim signetis tantum vsos aliquamdiu constat.

2. *Iudaeorum* sigilla antiquissima iam in superioribus (§. 314.) attigimus. Sed his, quae ibi dicta sunt, hoc loco addimus, Iudaeos etiam post *dispersionem* suam, quamquam nulla amplius eorum respublica esset, *sigillis publicis* vsos fuisse. Sic, vt hoc vtar, Philippus Augustus, Galliae Rex, constituit, vt in singulis Franciae & Normanniae vrbibus duo iureiurando obligati homines eligerentur, qui sigillum Iudaeorum custodirent, eorumque contractus aliaque conuentionum genera signarent. Sed A. 1223. a Ludouico VIII. ius sigilli Iudaeis ademtum est.

3. *Priuati*, quamquam apud veteres Graecos & Romanos testamenta, literas, & quidquid voluerint, signarunt; in Occidentis tamen rebus-

rebuspublicis ac regnis, quae post barbararum gentium incursiones oriebantur, priuati per multorum saeculorum decursum sigillis caruerunt. Coeperunt autem priuati saeculo XI. in Anglia, saeculo XII. in Gallia & saeculo XIV. in Germania sigillis vti, adeo, vt, quum ignobiles & infimae etiam sortis homines saeculis XIV. & XV. sigilla sibi sumsissent, ius sigillorum non amplius inter nobilitatis praerogatiuas numerari posset. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 287 - 297.

§. 371.

De bullis ac sigillis Pontificum Romanorum.

Satis pro instituti ratione de prima sigillorum classe, qua sigilla saecularia s. ciuilia, item politica continentur, dictum est. Iam sequitur, vt de *sigillis ecclesiasticis*, quae alteram sigillorum classem efficiunt, pauca afferamus. Incipiendum vero est a *bullis sigillisque Pontificum Romanorum.*

I. *Bullae Pontificales*, de quarum *origine* iam in superioribus (§. 332. p. 289. sq.) actum est, semper fere *plumbeae*, rarissime *aureae* (§. 330.) sunt. Neque ea tantum diplomata, quae proprio veluti nomine *Bullae* dicuntur, sed *Breuia* etiam vsque ad saeculum XV. plumbo signata deprehenduntur. Olim tam Bullis, quam Breuibus signandis *duo fratres conuersi* Ordinis Cisterciensis, eam ob caussam *Fratres de plumbo* vocati, adhibiti sunt: hodie vero *Laici* signare solent. *Inscriptiones literales* semper fere *latinae* sunt, rarissime *graecae.* Graecarum haec exempla innotuerunt 1) Bulla *Theodori*, in altera parte aquilam alis expansis, in altera vero nomen Graece scriptum: ΘΕΟΔΩΡΟΥ exhibens, 2) bulla *Sergii* cuiusdam, in priore parte verba haec: ΒΟΝΘΗ (melius apud alios ΒΟΗΘΕΙ) CΕΡΓΙΟΥ, in posteriore crucem litera latina S infra terminatam referens, & 3) bulla *Paulli I.* in priore parte Apostolorum Paulli & Petri protomas, in posteriore nomen Graece scriptum ΠΑΥΛΟΥ repraesentans. De cetero possunt bullae pontificales quatuor *epochis* definiri.

Epocha I. a Pontifice Deusdedit vsque ad Leonem IX. hoc est, ab A. 615-1048: Bullae vtrimque monepigraphae, in vna parte *nomen proprium* Pontificum absque notis numeralibus (§. 344. p. 302.), in altera vocabulum *Papae* exhibentes, vt 1) *Leonis*, 2) *Papae*.

Ab hac forma recedunt 1) bulla Pontificis DEVSDEDIT, in cuius priore parte exhibetur imago boni Pastoris intra duas oues stantis, quarum capitibus manus imponit, literis graecis Α Ω, ad capitis eius latera dispositis: posterioris autem aream occupat inscriptio haec: DEVSDEDIT PAPE; 2) bulla *Paulli I.* in priore parte protomas Apostolorum Paulli & Petri cum crucicula superne collocata, in posteriore autem non nisi nomen Graece scriptum ΡΑΥΛΟΥ referens; quae quidem bulla ideo etiam notatu dignissima est, quoniam in illa Apostolorum dictorum imagines prima vice expressae deprehenduntur: errant enim, qui has imagines a Leone IX. vel ab alio insequentium Pontificum, Vrbano nempe II. aut Adriano IV. primum bullis insertas esse contendunt. Cur vero in bullis pontificalibus Paulli imago ad dextram, & Petri ad sinistram collocata sit, auctores pro diuersitate religionis, cui addicti sunt, varie interpretantur.

Epocha II. a Leone IX. vsque ad Vrbanum II. hoc est, ab A. 1049-1087: Bullae epigraphae (h. e. *inscriptione literali & reali* instructae), & *notas* etiam *numerales*, quibus Pontifices cognomines distinguuntur (§. 344. p. 302.), exhibentes.

1. *Leonis IX.* (A. 1049-1055.) bullae variant: nam bulla, qua is A. 1049. vsus est, in priore parte capita Apostolorum Paulli & Petri, limbis circumdata & crucis longioris signo separata cum literis his superimpositis: S. PA S. PE (h. e. *Sanctus Paullus*, *Sanctus Petrus*, vel secundum aliorum minus commodam interpretationem, *Sanctus Paullus Apostolus*, *Sanctus Petrus Episcopus*) exhibet; posterioris autem aream nomen & titulus: LEO PP (*Papa*) sine nota numerali IX. replet. Alia eiusdem Pontificis bulla, ad an. 1052. in aduersa parte exprimit 1) nomen LEONIS, cuius singulae literae floribus lilii distinctae sunt, & 2) notam numeralem *VIIII.* circulo inclusam; auersa autem pars refert in media area rosam, octo foliis ornatam, circa quam titulus PAPAE, cuius literae itidem floribus distinctae sunt, legitur.

2. *Victo-*

2. *Victoris II.* (A. 1055-1057.) bulla in aduersa parte refert imaginem dimidiatam Petri, piscatoris habitu induti, sinistra clauem, manu quadam e nubibus prorumpente sibi oblatam prehendentis, cum perigraphe: † *Tu pro me nauem liquisti susci*pe *clauem*; auersa autem pars exhibet in area castrum seu potius portam & moenia vrbis Romae, supra *Aurea*, infra *Roma*, & in margine hanc perigraphen: † *Victoris Papae II.*

3. *Stephani X.* (A. 1057-1058.) bulla exhibet ipsum, vel etiam Petrum Apostolum, habitu pontificali indutum, crucem manu tenentem, pascentem agnos suos; & genua flectentem Seruatori in nubibus comparenti, cum perigraphe: *Si diligis me, Petre, pasce agnos meos.*

4. *Nicolai II.* (A. 1058-1061.) bulla, parum a bulla Victoris discrepans, exhibet in parte aduersa Petrum, clauem manu quadam caelesti sibi oblatam suscipientem, cum perigraphe: † *Tibi Petre dabo claues Regni caelorum*; in auersa autem vrbem Romam, additis vocibus: *Aurea Roma*, cum perigraphe: † *Nicolai Papae II.*

5. *Alexandri II.* (A. 1061-1073.) bulla sistit in aduersa parte Petrum, clauem caelitus sibi oblatam, vt in prioribus bullis, prehendentem, cum perigraphe: † *Quod nectis nectam, quod soluis Petre* (alii habent *Ipse*, male forsan secta voce hac, compendiose scripta, in Schannatiano certe ectypo exstat *Petre*) *resoluam.* Auersa exprimit 1) in margine hanc perigraphen: † *Alexandri Papae*, & 2) cum ea connexam & in area collocatam notam numeralem *II.*

Epocha III. ab Vrbano II. vsque ad Clementem VI. hoc est, ab A. 1087-1342: Bullae in aduersa parte epigraphae, exhibentes protomas Apostolorum Paulli & Petri, cruce longiori separatas, cum supra scriptis literis S. PA, S. PE., hoc est, *Sanctus Paullus*, *Sanctus Petrus*, in auersa autem monepigraphae, solum Pontificis nomen ac titulum *Papa* cum nota numerali exhibentes, e. gr. PASCHALIS PP (*Papa*) II.

Recedunt ab hac forma quaedam bullae Vrbani II. quae, omissis Apostolorum dictorum imaginibus, in priori parte non nisi crucem longiorem exhibent, cum appositis ad crucis latera voci-

bus, illinc quidem: S. PETRVS, hinc S. PAVLVS. Aliae contra ad formam, quam diximus, effictae deprehenduntur.

Epocha IV. inde a Clemente VI. hoc est, inde ab A. 1342: Bullae eodem quidem modo, quo in praecedenti epocha, inscriptae, sed insignibus nonnumquam gentilitiis conspicuae. Primus autem *Clemens VI.* in bullis *insignia gentilitia*, quinque scilicet rosas, exhibuit. Pari modo *Iulius II. Leo X. Clemens VII. Paullus III.* & *Iulius III.* insignibus gentilitiis bullas exornarunt. Inusitatae formae est bulla *Paulli II.* (nisi forte ad sigilla synodalia referenda sit); exhibet enim in priori parte huius Pontificis imaginem, throno insidentem, Cardinalibus hinc inde partim adstantibus, partim genuflexis: in posteriori autem parte sistuntur capita Apostolorum Paulli & Petri.

II. *Dimidiae bullae Pontificales*, hoc est, monosphragistae siue vna ex parte tantum signatae. Pontifices scilicet, electi quidem, at nondum sollemni consecratione inaugurati, non solent bullas nominibus suis ac titulis inscriptas, sed imaginibus tantum Apostolorum Petri & Paulli vna ex parte insignitas tamdiu dare, quamdiu non sunt consecrati: sed, consecrationis sollemnibus peractis, plena tandem & absoluta quasi vtrimque bullarum forma vtuntur. Huius rei exemplum praebet *Innocentius III.* A. 1198. d. 11. Ianuarii electus, & sex hebdomadum spatio interiecto demum inauguratus.

III. *Annulus Piscatoris*, ita dictus, quia S. Petrum, habitu Piscatoris indutum, sistit, *sigillis cereis* Pontificum Romanorum imprimi solet. Ac initio quidem annulus piscatoris maioris etiam momenti diplomatibus signandis adhibitus est, id quod *Iohannis XVI.* exemplo comprobari potest, qui confirmationem decreti, in concilio Moguntino facti, A. 985. annulo piscatoris signauit; ex quo simul cognoscitur, *Clementem IV.* qui A. 1265. ad Pontificis Romani dignitatem peruenit, falso a quibusdam pro primo Pontifice Romano haberi, qui annulo piscatoris vsus sit; quamquam aliunde constat, hunc Pontificem, pariter atque eius praedecessores, *literas priuatas* annulo piscatoris signasse: ipse enim in epilogo epistolae ad Aegidium Grossum, consanguineum suum, missae haec posuit: "Non scribimus tibi nec consanguineis nostris *sub bulla*, sed *sub Piscatoris sigillo*,

sigillo, quo *Romani Pontifices in suis secretis* vtuntur." Idem annulus piscatoris inde a saeculo XV. aut maturius fortasse, *Breuibus* signandis adhibetur, quum antea Breuia bullis plumbeis munita fuissent. Hodie literae Pontificum priuatae non semper annulo piscatoris, sed interdum typario quodam, Pontificum arma gentilitia referente, signantur. Vtitur autem quisque Pontifex annulo piscatoris peculiari, vtpote qui, mortuo Pontifice, statim frangi solet.

IV. *Sigilla terrarum Pontificalium.* Solent Pontifices Romani, vt alii Principes, terris potestati ipsorum subiectis sigilla peculiaria concedere. Sic *Comitatus Auenionensis* saeculo XIV. sigillo numario vsus est, in cuius aduersa parte exhibetur protome Pontificis (Clementis V.), cum perigraphe: † *Sigillum. Domi. Pape;* in auersa autem claues Ecclesiae Romanae, decussatim positae, exprimuntur, cum perigraphe: † *In Comitatu Venaissini.* Exstat etiam bulla plumbea, quam MVRATORIVS male pro sigillo curiae Romanae, sede vacante vsurpari solito habuit. Exhiber illa in priori parte tiaram pontificalem, cum perigraphe: *Bulla. curie. Dni. nri. Pape;* & in auersa duas claues decussatim positas, addita perigraphe, cum priori cohaerente: † *Dni Ciuitatis Auinionis.*

Vid. HEINECCIVS p. 141-149. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 297-313.

§. 372.

De sigillis Cardinalium.

Cardinales olim plerumque sigillis parabolicis, vel rotundis etiam, ac rubrae quidem cerae impressis vsi sunt, iisque imagines Sanctorum, quorum titulis ornati sunt, item insignia gentilitia & id genus alia inseruerunt. Vt adeo Cardinalium sigilla haud multum a sigillis Episcoporum discrepare videantur. Exempli loco esse possunt sigilla Cardinalis *Nicolai de Cusa* & Cardinalis *Stephani*, quae HEINECCIVS in Tab. XIII. num. 1. & 2. aeri incisa exhibuit, hisque verbis p. 150. §. XII. descripsit: "Nicolai de Cusa sigillum est oblongum (parabolicum cuspidatum), sistens in inferiore parte templum, in cuius porta in genua prouolutus orat Cardinalis, addito a tergo birreto cardinalitio. In

ſuperiore parte duo loculamenta, quorum ex altero prodit S. Petrus catenis adſtrictus, atque ab Angelo deductus, ac in imo denique ſcutum, in quo cancrum mihi videor videre. Inſcriptio ita ſe habet: S. NICO. TT. SCI PETRI AD VINCVLA. PbRI (Preſbyteri) CARDINAL. DE CVSA. Huic ſuccedat alterum *Stephani* tt. S. Mariae trans Tiberin Preſbyteri Cardinalis, cuius in ſuperiore parte annuntiatio S. Mariae cum Apoſtolorum Petri & Pauli imaginibus, in inferiore Mariae ſimulacrum Ieſum crucifixum tenentis, cum aliis neſcio quibus Sanctis videntur repraeſentari. Inſcriptio ita ſe habet: S. STEPHANI TT. S. MARIAE TRANS TIBERIN PbRI (Preſbyteri) CARDINAL. Recentiora, quorum ectypa ſatis multa poſſidemus, quum ad nos non ſpectent, hic plane praeterimus." Hactenus Heineccius. Praeter *ſigilla* haec *publica*, de quibus diximus, Cardinales ineunte ſaeculo XV. ac dubio procul multo ante, *ſecretis* etiam vſi ſunt; id quod inter alia ex hac clauſula literarum, quibus Cardinales, Gregorio XII. Pontifici Romano addicti, Piſas ſe abiiſſe, Principibus Chriſtianis ſignificarunt, cognoſcitur: *Datae Piſis d. XIV. menſis Maii an. 1408. ſub noſtrorum ſecretorum ſignetorum ſigillis.* Saeculo XVI. Cardinales documenta ſua ſigillo ſignarunt, quod *ſigillum Camerae* appellabant, quodque *Auctores noui operis diplomatici* T. IV. p. 314. ſq. pro ſigillo Cardinalium inſignibus gentilitiis notato habent.

§. 373.

De ſigillis Conciliorum ac Synodorum.

Sigilla *Conciliorum* ac *Synodorum*, de quorum origine ſupra (§. 332. p. 290. ſq.) dictum eſt, orbicularia eſſe ac plumbo impreſſa, animaduerto. Neque vero *generalia* tantum Concilia, vt HEINECCIVS exiſtimauit, ſed *particularia* etiam ſiue Synodi, quae proprie dicuntur, ſigillo communi vtebantur: quod poſterius ex ſigillo ſynodali Halberſtadienſi, ſupra (§. 332. p. 291.), aliiſque, quae breuitatis cauſſa lubens praetermitto, cognoſcitur. Ex generalium autem Conciliorum ſigillis primum eſt ſigillum *Concilii Conſtantienſis* (A. 1414-1418.), idque monoſphragiſtum, ac fortaſſe ſecretum dumtaxat, quod duas claues, decuſſatim poſitas, cum capitibus illinc Petri, hinc Pauli collocatis exhibet, addita perigraphe: *Sigillum Sacroſancti Concilii Ciuitatis Conſtantienſis.* Heineccius bene ſuſpicatur, Imperatorem, ſi quando affuerit, ſigil-

sigillum suum iuxta cum hoc sigillo concilii chartis literisque, cet. adiunxisse. Sigillum *Concilii Basilienſis* (A. 1431.) bulla plumbea numaria est, in aduersa parte, eaque anepigrapha, Pontificem, Cardinales, Episcopos, alioſque sacri ordinis viros, item imminentem iis Spiritus S. imaginem, ad modum columbae effictam, & protomen Seruatoris, e nubibus prospicientis, exhibens; auersa autem pars, eaque monepigrapha hanc epigraphen, refert: † *Sacroſancta: Generalis: Synodus: Basilienſis*†. *Concilii Pisani* (A. 1513.) sigillum plumbeum numarium exhibet in priore parte, eaque monepigrapha, hanc inscriptionem: *Sacroſancta generalis ſynodus Piſana*; in posteriore autem, eaque epigrapha imaginem Spiritus S. ad modum columbae effictam, radioſque vndique diffundentem, cum perigraphe: *Spiritus Paraclitus docebit vos omnem veritatem.* Patres *Concilii Tridentini* non communi aliquo sigillo, sed principis Legati Pontificalis proprio typario ad signandum vsi videntur. Vid. HEINECCIVS p. 149. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 315-318.

§. 374.

De ſigillis Archiepiſcorum atque Epiſcoporum.

Fuerunt olim Praesules, qui quoniam ipsi sigilla non habebant, tam Ecclesiarum suarum, quam aliorum etiam *Capitulorum* sigillis signarunt. Archiepiscopi inprimis, antequam *pallium* accepissent, sigillis *carebant*, ideoque peregrina sigilla ad signandum adhibebant. Episcopi, in Germania certe, qui *electi* quidem, at nondum consecrati erant, ante exitum saeculi XIII. gillis iisdem vsi sunt, quibus, antequam electi essent, signauerant. Neque hoc praetermittendum est, Praesules, vti ab aliis interdum sigilla mutuo acceperunt, ita aliis etiam sua sigilla haud raro commodasse. Sed distinctius de Praesulum sigillis, ac primo quidem de *sigillis* eorum *cereis*, per *quatuor epochas* definiendis, deinde de *bullis plumbeis* exponemus.

I. *Sigilla cerea* Archiepiscoporum atque Episcoporum.

Epocha I. inde a primis post Christum natum saeculis, ad initia vsque saeculi X. Per hoc temporis spatium Praesules *multi*, at non plerique, nedum omnes, sigillis, & *annulis* quidem, vsi sunt, quibus

bus pro lubitu varias res, vt capita humana, item nomina sua, vel monogrammata etiam, & inde a saeculo VII. (quantum mihi quidem videtur) imagines Sanctorum, insculpi iusserant.

Epocha II. saeculum X. & XI. comprehendens. Per horum duorum saeculorum decursum sigilla Praesulum *non minus rara*, quam superiore aetate, fuerunt, in hoc tamen a prioribus diuersa, quod plerumque *Praesulum imagines* proprias, ad modum imperialium ac regiorum sigillorum effictas, nunc dimidiatas, nunc integras ac cathedris insidentes, habitu Pontificali indutas, mitra pyramidali tectas, dextra pedum episcopale, sinistra librum vel clausum, vel apertum ac verbis: PAX VOBIS haud raro inscriptum, tenentes, nonnumquam vero dextram ad benedicendum erigentes, & sinistra pedum gestantes, exhibent. Sed fuerunt etiam Praesules, praesertim saeculo XI. qui *Ecclesiarum* suarum *Patronos* sigillis suis insculpendos curarent. Praesules interdum, vt MABILLONIVS obseruauit, sigilla, imaginibus suis conspicua, vocarunt sigilla capitulorum suorum: quod quidem ea de caussa factum videtur, quia eorum Capitula saeculo X. sigillis carebant. Saeculo XI. Episcoporum sigilla a sigillis Capitulorum clarius distingui coepta sunt. Quod ad *figuram* sigillorum episcopalium huius epochae attinet, ea *orbicularia*, rarissime *oualia* fuerunt, & omnia fere *monosphragista*, pauciſſima *nummaria*, nulla *contrasignata* siue contrasigillis munita.

1. *Saeculi X.* haec exempla ponemus: 1) Sigillum *S. Dunstani* nummarium, idque pendulum, exhibet in priore parte Episcopum sedentem, pedibus subsellio impositis, dextra pedum pastorale, sinistra librum, cum formula PAX VOBIS, tenentem, cum perigraphe: *Sigillum Dunst. Epi.* (Episcopi) *Lund.*; in auersa autem sistit imagunculam paruam cum perigraphe: *Dunstan. Eps. Wigorn.* 2) Sigillum *Walberti*, Nouiomagensis Episcopi, ad an. 933. ouale monosphragistum est, exhibens Episcopum habitu pontificali pro more indutum, cum perigraphe: *Sigill. Walbti Nouiom. Tornacensis Epi*, hoc est, *Sigillum Walberti Nouiomagensis & Tornacensis Episcopi.* 3) Sigillum *Luitberti*, Archiepiscopi Moguntini, ad an. 938. itidem imaginem & nomen eius exprimit. 4) Sigillum *Roriconis*, Episcopi Laudunensis ad an. 961. orbicu-

orbiculare monosphragistum, idque pendulum est, sistens Episcopum dimidiato corpore, facie aduersa, mitra pyrimidali tectum, dextram ad benedicendum erigentem, sinistra pedum tenentem, cum perigraphe mutila: *Sigillu* (m) *Roriconis Dei Gra* (tia).....

2. *Saeculi XI.* haec exempla sunt: 1) Sigillum *Episcopi Fesulani*, ad an. 1028. exhibet imaginem S. Romuli, tiara ornatam & palmis cinctam, cum perigraphe: *Martyris est Romuli.... Imago Sigilli.* 2) Sigillum plumbeum *Quiriaci*, Episcopi Nannetensis, ad an. 1064. sistit protomas Apostolorum Petri & Paulli, se inuicem intuentium, cruce tamen separatorum, cum perigraphe: PEtri † PAVLI: SACERDOTIS: NANENSIS QVIRIACI. 3) Sigillum *Manassis*, Archiepiscopi Remensis, ad an. 1076. sigillum, idque impressum, exhibet Virginem Mariam, infantulum Iesum brachiis complectentem, cum perigraphe: *Manasses Remorum archipraesul.* 4) Sigillum *Godofredi*, Episcopi Andegauensis, ad an. 1096. sistit S. Maurilium, Episcopum Andegauensem, dextra benedicentem, sinistra pedum tenentem, cum perigraphe: *S. Maurilius Andegauensis Episcopus.*

Quemadmodum in his sigillis Ecclesiarum patroni expressi cernuntur, ita sunt alia huius saeculi sigilla, quae, vt ante dictum est, ipsorum Praesulum imaginibus insignita sunt. Sic *Poppo*, Treuirensis Archiepiscopus, A. 1017. electus, in sigillo suo, eoque orbiculari & impresso, imaginem suam dimidiatam, capite nudo, habitu pontificali, cum pallio cruce destituto, indutam, dextra benedicentem, sinistra pedum gestantem exhibuit, cum perigraphe: † *Poppo Treuirorum Dei Gracia Archieps.* Eiusdem formae sigillo *Eberhardus*, Archiepiscopus Treuirensis, ad an. 1065. vsus est.

His addendum est sigillum *Hugonis I.* Episcopi Vesuntini, in quo ipse Episcopus exhibetur, manu dextra pedum, sinistra librum tenens; item sigillum *Daimberti*, Archiepiscopi Senonensis, quod itidem Praesulis huius imaginem, dextra benedicentis, sinistra pedum gestantis, refert, cum perigraphe: † *Daimbert. Di. Gra. Archiep.*

Epocha III. inde ab exitu saeculi XI. vsque ad confinia saeculorum XIV. & XV. excurrens. Etsi tempore hoc, quod modo definiuimus,

Praesulum imagines, vt antea, in sigillis expressae deprehenduntur; possunt tamen sigilla huius aetatis a prioribus quinque potissimum notis discerni, quas nunc sigillatim indicabimus.

1. Exeunte saeculo XI. *plerique*, & inde a saeculo XIII. *omnes* Praesules peculiaribus iisque authenticis sigillis vsi sunt.

2. Etsi sigilla *orbicularia* non prorsus cessarunt, pleraque tamen ineunte saeculo XII. formam *parabolicam* eamque *cuspidatam* induerunt. Inter antiquissima sigilla parabolica cuspidata referendum est sigillum *Tedbaldi*, Archiepiscopi Cantuariensis (A. 1139.), exhibens praesulem stantem, mitra bicorni seu bifida tectum, habitu pontificali indutum, dextra benedicentem, sinistra pedum gestantem, cum perigraphe: † *Sigillum Tedbaldi Dei Gratia Archiepiscopi Cantuariensis.*

3. Praesules *Germaniae* plerumque sellis s. cathedris, crucem Andreanam referentibus & in capita canina definentibus, *insident:* sed *Galliae* & *Angliae* Praesules semper fere *stantes* exhibentur. In locum *mitrae* pyramidalis inde a saeculo XI. bicornis siue bifida mitra, ac initio quidem paullo humilior, successit. Sed sunt etiam sigilla, praesertim saeculi XII. in quibus Episcopi nudo capite ac sine habitu pontificali repraesentantur.

4. *Contrasigilla* Praesulum inde ab ineunte saeculo XII. inualuerunt (§. 328. p. 284.); ita tamen, vt adhuc post medium saeculum XIII. Episcopi fuerint, qui nullis contrasigillis vterentur. Exhibuerunt autem contrasigilla imagines Episcoporum dimidiatas, Ecclesiarum Patronos aliosue Sanctos, mitras episcopales, peda, item scuta, quibus capita mitrata imponebantur, porro insignia; ac denique sola insignia. Inter antiquissima Praesulum sigilla contrasignata referendum est sigillum *Hugonis*, Archiepiscopi Rothomagensis, ad an. 1128. (supra p. 284. per typorum quemdam errorem annus 1138. expressus est), exhibens in primario sigillo eoque rotundo Praesulem sedentem, mitra bicorni eaque humiliore tectum, habitu pontificali indutum, dextra benedicentem, sinistra pedum gestantem, additis ad latera eius vocibus DEI GRA (tia), cum perigraphe: † *Hugo Archieps.* (episcopus) *Rothomag* (ensis): in contrasigillo eoque ouali horizontali anepigrapho exhibetur bouis stantis imago. Neque hoc praetermittendum

tendum est, contrasigilla episcopalia interdum seorsim a primariis adhibita fuisse. Antiquissimum huius generis exemplum in POLYC. LEYSERI comment. de contrasigillis medii aeui p. 33. mihi occurrit. *Rudolphus* scilicet, Halberstadensis Episcopus, A. 1146. sigillo contrasignato, eoque impresso, vsus est, in cuius primario ipse praesul exhibetur sedens, nudo capite, habitu pontificali indutus, dextra sine dubio (nam sigillum hac ex parte detritum est) pedum, sinistra librum apertum prae se ferens, addita perigraphe, ex qua non nisi hae literae RVDOL supersunt. In contrasigillo eadem imago, sed dimidiato dumtaxat corpore, repetitur, cum perigraphe: † RODVLFϕ. SOLO. NOMINE. EPC. (Episcopus) HALBERSTAD. Atque hoc ipsum contrasigillum Rudolphus diplomati, A. 1148. dato, seorsim a primario adiunxit, ideoque *secreti* loco vsurpauit: ex quo simul patet, secretorum episcopalium vsum, in Germania certe, multo antiquiorem esse, quam vulgo existimatur. Sigillum hoc ideo quoque notatu dignum est, quod exinde cognoscitur, *secreta* etiam *impressa* fuisse: nam impressum illud, non pendulum fuisse, cum ipse LEYSERVS testatur, tum ex formula sphragistica dilucide patet. In Gallia Praesules ineunte demum saeculo XIV. secretis vti coeperunt.

5. *Insignium episcopalium* vsus quam antiquus sit, iam in superioribus (§. 345. p. 312.) dictum est. Sunt autem *insignia gentilitia* primum in contrasigillis tantum, postea vero etiam in sigillis primariis, ac in Germania quidem cum insignibus Ecclesiarum coniuncta inde a saeculo XIV, exhibita.

Epocha IV. inde ab exitu saeculi XIV. in hoc potissimum a prioribus differt, quod ex hoc tempore Praesules, & alii quidem citius, tardius alii ab vsu *sigillorum maiorum*, *imaginibus* suis insignitorum, prorsus. *abstinuerunt*, eorumque loco *sigilla minora* s. *secreta*, plerumque *insignibus* notata, ad signandum sibi sumserunt. Sigillum tamen *curiae feudalis Moguntinae* nunc quoque Archiepiscopi imaginem, omnibus dignitatis sacrae ornamentis conspicuam, refert.

II. *Bullae plumbeae* Praesulum inde ab ineunte saeculo IX. vsque ad saeculum XIV. vsitatae fuerunt. Vid. supra §. 332. pag. 290. num. 3.

Conf. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 318-336. & HEINECCIVS p. 151-155.

§. 375.

De sigillis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium, item Praepositorum, Decanorum, Parochorum, Clericorum.

I. Sigilla *Ecclesiarum Cathedralium*, si non antiquiora sunt, saeculo certe IX. vsitata fuisse dicunt, idque ex canonibus conciliorum Arelatensis & Moguntini, A. 813. habitorum, in quibus inter alia hoc decretum fuit: *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma*, vulgo demonstrare solent; quamquam vox *sigilli* hoc loco, quantum ego quidem existimo, aliud quidquam, quam sigillum proprie dictum, significare videtur. Equidem non ignoro, *Hincmarum*, Archiepiscopum Remensem, epistolae cuidam formatae, ad Franconem, Episcopum Tungrensem, A. 860. missae sigillum, imagine S. Remigii insignitum, adiunxisse, quod quidem sigillum Auctores *noui operis diplomatici* inter sigilla Capitulorum referunt, etsi illud in superioribus inter episcopalia quoque sigilla commemorarunt: quoniam vero huius sigilli perigraphe mihi latet, ex qua, episcopalibus, an cathedralibus sigillis annumerari debeat, aestimandum est, contra vero ipse Hincmarus in clausula epistolae suae expressis verbis profitetur: *Sigilli* NOSTRI *ex imagine B. Remigii pontificis impressione signauimus*; dubito, an ex hoc sigillo cathedralium sigillorum origo diiudicari possit, eiusque adeo sententiae sum, sigillorum cathedralium antiquitatem nondum satis exploratam esse. Illud vero non est obscurum, sigillis cathedralium Ecclesiarum plerumque *Diuos tutelares* aut *Episcopos* prae ceteris claros illatos fuisse. Sic, vt hoc vtar, antiquum Ecclesiae Hildesiensis sigillum exhibet Virginem Mariam throno insidentem cum infantulo Iesu, & stantes ad latera S. Bernwardum & S. Gothehardum Hildesienses Episcopos, cum perigraphe: † *Sigillum Hildensemensis Ecclesie.* Sed sunt

etiam

etiam sigilla cathedralia, cuius imagines ad *historiam* ipsarum Ecclesiarum alludunt. Sic Ecclesia Lugdunensis, quoniam eius Archiepiscopo Heraclio a Friderico I. Imperatore dignitas Exarchae Regni Burgundici collata est, eam ob caussam imaginem feminae coronatae thronoque insidentis, ac sceptrum prae se ferentis, sigillo suo indidit, cum perigraphe: *Sigillum Sacro Sancte Ecclesie Lugdunensis.* Postea vero eadem ecclesia, Philippi Pulchri, Galliae Regis, meritis sine dubio inducta, in sigillum suum Regem sedentem, omnibusque maiestatis insignibus conspicuum, dextra florem lilii tenentem, sinistram pectori admouentem, cum perigraphe: *Sigillum Sancte Lugdunensis Ecclesie*, intulit. In quibusdam denique Ecclesiarum cathedralium sigillis *templa turrita* expressa cernuntur. Exempli loco esse potest sigillum amphisphragistum Ecclesiae Glascuensis, in cuius aduersa parte exhibetur Episcopus in suggesto collocatus, mitra cuspidata tectus, manu dextra benedicens, sinistra pedum prae se ferens, cum tribus infra collocatis Canonicis orantibus. In circulo concentrico exstant verba: *Sanctus Kente'gnus*, in alio vero circulo eccentrico leguntur verba: † *Kentegerne: tuos: benedic: Pater: Alme: miniſtros.* Auersa pars sistit templi simulacrum, ad cuius inferiorem partem duo canonici orantes seque inuicem intuentes stant, adiunctis simul turri supra fastigium templi stella & luna, cum perigraphe: † *S. Capituli. Ecclesie. Glasguensis.*

Decanorum Cathedralium Ecclesiarum primum sigillum idque genuinum ad an. 1189. commemoratur. Est illud sigillum *Heruei de Montmorenci*, Decani Parisiensis, non nisi monogramma eius referens. Etsi vero alia quaedam sigilla cum Decanorum ac Praepositorum, tum Canonicorum etiam, saeculo XIV. occurrunt, ea tamen non nisi *secreta* sunt; *authentica* enim huius generis sigilla vix ante *exemtiones Capitulorum* inueneris.

Contra *Officialium ecclesiasticorum* sigilla fuisse authentica, dubitari non potest. Exhibent illa plerumque Episcoporum protomas cum pedo vel mitra. Sigillum curiae Officialis Nannetensis ad an. 1383. parabolicum cuspidatum est, sistens scutum gentilitium Episcopi, cui mitra cum superiore parte pedi pastoralis imposita cernitur, addita perigraphe: *Sigillum: curie: officialis: Nannetensis.*

tenſis. Pari modo *Archidiaconos* etiam, item *Theſaurarios* alioſque Eccleſiarum cathedralium officiales ſigillis peculiaribus vſos eſſe, non eſt, quod dubitemus.

II. *Eccleſiae collegiatae* nunc imagines *Decanorum* vel *Praepoſitorum* ſuorum, nunc *Diuorum tutelarium* vel effigies, vel ſymbola certe, ac denique *inſignia* ſ. *arma*, quae itidem haud raro Diuorum tutelarium imagines vel ſymbola, item templorum ſimulacra referunt, ſigillis ſuis intulerunt. Exempli loco ex ſaeculo XIV. commemorabimus ſigillum rotundum idque contraſignatum Decani & Capituli S. Rumoldi Machlinenſis. In primario ſigillo exhibetur S. Rumoldus in genua prouolutus, mitra ad hodiernum morem exornata tectus, dextraque pedum tenens. Iuxta eum ſiſtitur carnifex, ſecuri ſublata caput eius diſſecare paratus, adiunctis hinc flore lilii, illinc aquila alis expanſis, cum perigraphe: *S. Decani. &. Capituli. Eccl. Machlin. ad cauſas.* Ex hac perigraphe patet, ſigillum hoc ad ſignanda acta iudicialia comparatum fuiſſe. Contraſigillum repraeſentat dicti martyris Rumoldi protomen, nimbo cincti & mitra tecti, cum pedo epiſcopali, addita perigraphe: † *S. Decani. &. Capli. Maclinen.* Interdum *Decani* Eccleſiarum collegiatarum dextra *palmam*, victoriae, vel etiam itineris in Palaeſtinam religionis ergo ſuſcepti inſigne, ſiniſtra *librum* tenentes in ſigillis comparent. Neque rarum eſt, huius generis ſigilla imaginibus inſignita eſſe, quarum cauſſa & origo *fabulis* nititur. Exempli loco eſſe poteſt ſigillum Eccleſiae S. Aegidii Brunſuicenſis, quod HEINECCIVS p. 190. ſq. hunc in modum deſcripſit: "Habes „hic S. Aegidium miſſificantis habitu, coram altari calice libro„que inſtructo ſtantem, cum lemmate: S. EGIDIVS, pone quem „in genua prouolutus ſe ſiſtit Rex, quem Carolum Martellum eſſe „ex addita inſcriptione: KAROLVS REX, conſtat, cuius mani„bus adſcriptum AVE MARIA, vt preces eum recitare ſcias. „Pone hunc ſubſiſtunt bini monachi, ad miſſam ſeruientes. Supra „altare denique angelus volans ſchedam tenet, cui inſcriptum: „DIMISSVM PECCATVM. Perigraphe primaria his abſoluitur: „SIGILLVM ECCLIE S. EGIDII IN BRVNESWICH."

III. *Parochialium Eccleſiarum*, earumque rectorum, qui plerumque *Curati*, vel *Preſbyteri* etiam praeſertim ſaeculis XIV. & XV. vocati

vocati sunt, sigilla ante saeculum XIII. non videntur vsitata fuisse. Et ipsi quidem *Parochi* saeculo XIII. sine consensu Principum aliorumque patronorum ecclesiarum sigillis vtendi potestatem non habuerunt. Plerumque autem parochialium ecclesiarum sigilla *Diuos tutelares*, interdum vero etiam *effigies Parochorum* habitu sacerdotali indutorum ac sacra facientium, aut ciborium sacrum tenentium, ac denique *insignia gentilitia* exhibent. Huius generis sigillorum haec exempla ponemus: 1) Sigillum Parochi Castellionensis ad an. 1252. parabolicum est, exhibens aquilae bicipitis imaginem, cum perigraphe: † *S. Curati. de. Castellione.* 2) Sigillum Petri Parochi Nowliacensis refert lilium ingens, cum perigraphe: † *S. Petri Pbri* (Presbyteri, h. e. Curati s. Parochi) *de Nowliaco.* 3) Sigillum Odonis de Briya Parochi Cauretensis, idque parabolicum cuspidatum (ex saec. XIV.) sistit imaginem S. Petri, Parochum quemdam in genua prouolutum & supparo indutum consecrantis, cum perigraphe: † *S. Odonis de Briya Presbyteri* (Parochi) *de Caureto.* Sigilla parochialia interdum contrasigillorum loco sigillis Nobilium impressa reperiuntur. Presbyterorum vulgarium sigilla saeculo XIII. non nisi vnius testis vim habuerunt: sed si duorum Presbyterorum sigilla testamentis adiuncta fuerint, idque praesentibus ac volentibus testatoribus, ipsa testamenta inde valida reddita sunt. Ad sigilla Presbyterorum vulgarium hoc pertinet (ex confinio saec. XIII. & XIV.), quod Presbyteri imaginem, missam celebrantis refert, cum perigraphe: † *S: Hardoinus: Capellani: Presbiter.*

Clerici vulgares s. simpliciter dicti, iique ex *saecularium*, quos vocant, numero, ineunte saeculo XIII. sigillis nondum vsi sunt: at labente hoc saeculo frequentius signarunt. Exempli loco proferemus sigillum parabolicum cuspidatum Simonis clerici, quod exhibet aquilam alis expansis, cum perigraphe: *Sigillum Simonis de Gornai clerici.* Aliud huius generis sigillum sistit monachum sellae insidentem, duosque iuniores monachos, quorum vnus sedet, alter stat, docentem, cum perigraphe: † *S. Turcei dicti Rutille clerici.*

Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 336-344.

§. 376.

§. 376.

De sigillis Abbatum, Abbatissarum, Monasteriorum & Monachorum.

I. *Abbatum* sigilla iam Ottonis M. Imperatoris aetate, ideoque saeculo X. vsitata fuisse, exemplo *Burchardi*, Abbatis *S. Galli*, qui literas, ad duos Ottones, patrem & filium missas, sigillo, S. Galli effigiem dimidiatam referente, signauerat, satis dilucide declaratur: qua de re haec leguntur apud EKEHARDVM IVNIOREM de casibus monast. S. Galli Cap. 16. p. 55: *Et a patre* SIGILLVM *recludere iussus, ipsi illud (nam* SANCTI GALLI SEMIFACIES *erat) in manum dabat. Quod ille sollicite intuitus, filii mei, pauperis domini, imaginem, ait, esse putaui.* Primis temporibus Abbatibus ac Monasteriis *chirographa* (§. 260. p. 190.), non signata, in vsu fuerunt. Omnium antiquissima, quae exstant, sigilla cum abbatialia, tum monasterialia SCHANNATVS ex archiuo Fuldensi in *Vindiciis* Tab. XII. num. 2. & 3. & in Tradition. Fuldens. p. 255. & 257. produxit. Primum idque omnium, quae mihi quidem occurrerunt, antiquissimum sigillum abbatiale est sigillum orbiculare *Richardi*, Abbatis Fuldensis, in SCHANNATI Vindic. Tab. XII. num. 2. Adiunctum illud est diplomati, A. 1030. dato, & exhibet imaginem ipsius Abbatis, dimidiato corpore, facie aduersa, capite nudo, simplici vestitu, manu dextra pedum, sub brachio vero sinistro librum clausum tenentis, cum perigraphe: † *Richhardus Abbas.* Eamdem prorsus formam habet sigillum *Egberti*, Abbatis Fuldensis, ad an. 1057. in SCHANNATI Tradit. Fuldens. pag. 255. Perigraphe eius haec est: † *Egberhtus. Di. Gra. Fuldensis. Abbas.* Saeculo XI. rara sunt Abbatum sigilla; frequentius demum saeculo XII. at ne tunc quidem ab omnibus Abbatibus, vsurpata deprehenduntur. Exhibuerunt autem Abbates in sigillis suis, plerumque parabolicis, interdum vero etiam orbicularibus, partim *suas* ipsorum, partim *Diuorum tutelarium imagines*, raro Diuorum capita, vel *symbola* tantum, item *reliquias.* Imagines nunc sedentes, nunc, ac saepius quidem,

quidem ſtantes, mitra plerumque & pontificalibus vel habitu etiam monaſtico indutae, vna manu pedum, altera librum tenentes apparent. Huius generis haec exempla ponemus. 1) Sigillum parabolicum cuſpidatum, exhibens Abbatis imaginem ſtantem, nudo capite, habitu monaſtico, dextra librum, ſiniſtra pedum tenentem, cum perigraphe: † *S. Thiderici Abbatis. in Redaghes-huſen*; 2) ſigillum eiuſdem figurae, exhibens Abbatem ſtantem, capite nudo, habitu monaſtico, dextra pedum, ſiniſtra librum tenentem, cum perigraphe: *S. Hinrici Abbatis noualis Sancte Marie*; 3) ſigillum, ſiſtens S. Godehardum, Eccleſiae S. Godehardi Hildeſienſis patronum, loculamento inſidentem, dextraque templi ſ. monaſterii imaginem, ſiniſtra pedum tenentem, cum perigraphe: *S. Henninghi abbatis ſci* (ſancti) *Godehardi*; 4) ſigillum Heyſonis Abbatis Ringelheimenſis (A. 1404.), exhibens in ſuperiore parte capita SS. Abdonis & Sennis, quibus adſcriptum AB. SE., in inferiore autem imaginem ipſius Abbatis dimidiatam, mitra tecti, pedum dextra, ſiniſtra librum tenentis, cum perigraphe: † *S. Heyſonis Abbatis in Ringelem.* Abbates etiam ſigilla *contraſignata* ſiue *contraſigillis* munita adhibuerunt, cuiuſmodi haec ſunt exempla: 1) Sigillum Hugonis I. Abbatis Corbeienſis in Gallia (A. 1173.) exhibet in primario ſigillo eoque parabolico cuſpidato Abbatem ſtantem, nudo capite, habitu monaſtico, dextra pedum, ſiniſtra librum tenentem, cum perigraphe: † *Sigill. Hugonis Abbatis Sci Petri Corbeie*; in contraſigillo autem eoque orbiculari ac ſtellis conſperſo, ſiſtitur manus, duplicem clauem erigens, cum perigraphe: † *Claues Sancti Petri*; 2) ſigillum Alberonis, Abbatis Werdinenſis, ad an. 1258. ſiſtit in primario ſigillo eoque parabolico cuſpidato Abbatem, Epiſcoporum ritu ſellae ſ. cathedrae inſidentem, mitra pyramidali tectum, & pontificalibus indutum, dextra pedum, ſiniſtra librum clauſum tenentem, cum perigraphe: † *Albero. Dei. Gra. Werdinenſis. Eccle. Abbas*; contraſigillum idque rotundum, ſiſtit eamdem imaginem, ſed dimidiatam dumtaxat cum libro aperto, addita perigraphe: † *Secretum. Abbis. Werdinenſ.* 3) ſigillum Henrici, itidem Abbatis Werdinenſis ad an. 1307. & 4) ſigillum Wilhelmi, Abbatis Werdinenſis, ad an. 1315. eamdem prorſus formam,

quam sigillum Alberonis, habent, nisi quod in priori Abbas cruciculam de collo pendentem habet, posterioris autem area stellis insignita est. Haec tria posteriora sigilla POLYC. LEYSER in Commentat. de contrasigillis medii aeui pag. 26-29. aeri incisa exhibuit. *Plumbo* Abbates quoque, quamquam rarissime, signasse, iam in superioribus (§. 332. p. 290.) dictum est. Exempli loco esse poterit plumbea bulla Marini, Abbatis Cassinensis (post initia saeculi XIV.), exhibens in priore parte imaginem dimidiatam S. Benedicti, facie aduersa, nimbo cincti, dextra benedicentis, sinistra librum tenentis, adiunctis humero vtrique duabus siglis S. B. hoc est, *Sanctus Benedictus*; in posteriore autem eaque monepigrapha haec leguntur: MARINVS. ABBAS. CASINENSIS.

II. *Abbatissarum* sigilla vix saeculo XII. antiquiora sunt, & partim *imagines* ipsarum *Abbatissarum*, nunc sedentium, nunc stantium dextraque vel lilium vel pedum, sinistra vero librum tenentium, interdum vacua & pectori admota, habitu mox liberaliori, mox monastico; partim *Diuos tutelares*, vel *insignia* etiam Ecclesiarum suarum, aut aliud quidquam exhibent. Inferioris ordinis Abbatissae geniculantes & orantes plerumque sistuntur. Inter antiquissima Abbatissarum sigilla refertur sigillum Gerburgis, Abbatissae Quedlinburgensis (A. 1108-1138.), quod Abbatissam exhibet stantem, pallio quodam ad genua vsque pertinente indutam, dextraque librum Euangelii tenentem. Adelheidis, Abbatissa S. Iohannis Laudunensis, A. 1123. sigillo parabolico cuspidato vsa est, in quo ipsa stans, habitu monastico induta, dextra pedum tenens, sinistra pectori admota repraesentatur, cum perigraphe: *Adelide Dei Gratia Laudunensis Abbatissa.* Contra Gertrudis, Abbatissae Quedlinburgensis, sigillum orbiculare est, exhibens Abbatissam sellae insidentem, dextra lilii florem, sinistra librum apertum prae se ferentem, cum perigraphe: † *Gertrudis Di Gra. in Quidelingeburch. Abbatissa.*

III. *Monasteriorum* sigilla etsi facile, quantum ego quidem existimo, a sigillis abbatialibus distingui possunt: nam illa vel monasteriorum, vel Diuorum tutelarium, haec ipsorum Abbatum & Abbatissarum nomina in perigraphe exprimunt; animaduerto tamen,

sigilla

sigilla abbatialia & monasterialia ab omnibus fere, & ab ipsis adeo auctoribus *noui operis diplomatici* haud raro confusa esse. Ac *monasteriorum virilium* sigilla iam circa medium saeculum XI. non vero demum saeculo XII. vt MABILLONIVS & auctores *noui operis diplomatici* tradunt, vsitata fuisse, ex duobus sigillis Abbatiae Fuldensis patet, quorum vnum, ad an. 1062. ap. SCHANNAT. in Tradit. Fuldens. p. 257. alterum ad an. 1079. apud *eumdem* in Vindic. Tab. XII. num. 3. aere exscriptum exhibetur. Vtrumque, quia vno eodemque typario signabatur, eiusdem formae est, videlicet orbiculare, sistens imaginem dimidiatam S. Bonifacii, nimbo cincti, ac pallio & pontificalibus induti dextra pedum, sinistra librum clausum ac cruce condecoratum tenentis, cum perigraphe SCS (Sanctus) BONIFACIVS ARCHIEPS (Archiepiscopus). Non dubito ad monasterialia sigilla referre illud, quo *Eudes*, Abbas S. Remigii Remensis, ad an. 1137. vsus est, quodque protomen S. Remigii exhibet, cum hac perigraphe: SCS (Sanctus) REMIGIVS FRANCORVM APLS (Apostolus); item sigillum S. Benigni Diuionensis, in quo hic Burgundionum Apostolus corpore dimidiato & capite tonso, nimbo cinctus, vna manu librum, altera palmam, martyrii testem, prae se ferens repraesentatur, cum perigraphe: † SIGILL. SCI. BENIGNI. BVRGVNDIONV.m APLI (Apostoli); quamquam haec duo sigilla ab auctoribus *noui operis diplomatici* inter abbatialia commemorata sunt.

Sigilla *monasteriorum femininorum* saeculo XIII. a sigillis Abbatissarum distingui coepta sunt.

IV. *Monachorum* sigilla duplicis generis sunt, alia eorum, qui officio aliquo, vt dispensatoris ac cellarii, functi sunt, alia eorum, qui nudi monachi fuerunt. Hi etsi interdum nobili prosapia orti essent, non tamen ante exitum saeculi XIII. sigilla propria habuerunt: illi contra inde a saeculo XIII. signare solent. Vid. HEINECC. pag. 156-165. & *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 344-358.

§. 377.

De sigillis Ordinum Religiosorum ac Militarium, item Generalium ac Prouincialium, cet.

I. *Ordines equestres religiosi* inde ab origine sua sigillis vsi sunt. Primum atque antiquissimum eorum est sigillum *Templariorum*, quod documento, A. 1190. exarato appensum deprehenditur. Est illud orbiculare, exhibens, praeter hanc perigraphen: † SIGILLVM. MILITVM. XPISTI, duos equites, hastis clypeisque instructos, & vni tantum equo absque stapedibus ephippioque insidentes; cuius rei rationem hanc MATTHAEVS PARIS attulit: *Propter primitiuae paupertatis memoriam & ad humilitatis obseruantiam in sigillo eorum insculpti sunt duo vnum equum equitantes.* Sed habuerunt etiam *Equites Ordinis Iohannitici* sigillum, idque Summo Magistro eiusque conuentui commune. Exempli loco esse potest *bulla plumbea*, in cuius aduersa parte sinistrorsum Ecclesiae Hierosolymitanae symbolum, scilicet sigla H, cum adiecta cruce patriarchali, & coram ea nouem Presbyteri vel Capellani genibus nixi ac sinistrorsum conuersi repraesentantur, in auersa autem parte sistitur nosocomion S. Iohannis, in cuius atrio, suspensae in medio lampadis luce collustrato, aegrotus in lecto cubans cernitur, collocatis ad caput eius cruce, & supra pedes turibulo. Perigraphe, a priore bullae parte ad posteriorem continuata, haec est: † BVLLA MAGISTRI ET CONVENTVS † HOSPITALIS HIERVSALEM. His subiiciemus denique tria sigilla *Magistrorum Ordinis Teutonici*, quae HEINECCIVS aeri incisa exhibuit & p. 155. §. XII. his verbis descripsit: "Primum exhibet Mariam in Aegyptum fugientem, cum puerulo Iesu, asello vectam, cuius frenum prehendit Iosephus, cum inscriptione: † S. COMMENDATORIS DOMVS ORDINIS THEVT.onici IN PRVSS.ia ET LIV.onia. Secundum cerae rubrae impressum sistit puerulum Iesum, in lectulo recubantem, quem adorat nescio quis, crucem tenens, imminentibus supra ad praesepe asino & boue. Perigraphe ita se habet: † S. COMENDATORIS DOMVS THEVTON. IN LIV. Tertii effigies eadem est, quae primi, hoc excepto, quod asinus

terrae

terrae non insistit & in extremo duo scuta apparent, alterum Ordinis Teutonici, alterum gentile, cum perigraphe: SIGILLVM MGRI (Magistri)."

2. *Dominici*, auctoris *Ordinis Praedicatorum* sigillum, ex quo qualia sint *aliorum* huiusmodi *Ordinum Religiosorum* sigilla, cognosci poterit, parabolicum cuspidatum est, exhibens ipsum Dominicum stantem, capite nudo, habitu monastico, dextraque baculum prehendentem, cum perigraphe: S. D. MINISTRI PDICATIONVM, h. e. Sigillum Dominici Ministri praedicationum. Circa exitum saeculi XIII. non Superiores tantum huius ordinis, verum etiam simplices Religiosi peculiaribus sigillis vsi fuerunt.

3. *Generales* & *Prouinciales* plerumque vel monachi imaginem, vel effigiem fundatorum ordinis sui, in sigillis ostentarunt. Specimenis caussa ex autographo proferam sigillum, quod Frater *Guillerinus Barthо*, Fratrum minorum de obseruantia cismontanarum partium Vicarius generalis, ac Patris Vicarii generalis Vltramontani Commissarius, literis in conuentu Gottingensi A. 1480. datis appendendum curauit. Est illud parabolicum cuspidatum, exhibens in area cruciculis conspersa imaginem S. Francisci, stantis, nimbo cincti, habitu monastico induti; manibus sublatis, in quibus pariter atque in pedibus vulnerum Christi vestigia expressa cernuntur, cum lilii flore, infra pedes collocato. Perigraphe haec est: *S. Vicarii gnal frum mior de obsvan ordis mior.* hoc est, Sigillum Vicarii generalis fratrum minorum de obseruantia ordinis minorum. HEINECCIVS p. 158. §. III. etiam huius Barthonis sigillum attulit, sed tam in delineando, quam in legendo illo varie peccauit. Vid. *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 358-362.

---

§. 378.

De sigillis feminarum, ac primo de sigillis Imperatricum & Reginarum.

Praeter *Abbatissas*, quarum sigilla in superioribus (§. 376.) descripta sunt, *Imperatrices* etiam & *Reginae*, item *Ducissae* & *Comitissae*,

aliaeque *feminae illustres* sigillis vsae fuerunt. Ac primo quidem quod ad *Imperatricum Reginarumque* sigilla attinet, eorum sane antiquissimum exemplum esset bulla plumbea *Gallae Placidiae*, nisi illa maiori iure pro ectypo plumbeo nummi cuiusdam haberetur. Exhibet autem in priore parte protomen eius dextrorsum conuersam, & corona laurea, quam manus quaedam caelestis capiti eius imponit, tectam, cum perigraphe: D. omina N. ostra GALLA PLACIDA. P.ia F.elix AVG.usta; in posteriore parte repraesentatur Victoriolae imago, crucem longiorem manu dextra tenens, additis ad latera siglis duabus R. V. cum perigraphe: VOT XX MVLT XXX. Illud vero non est dubium, iam *Augustas Carolingicas*, vt *Richardem*, item sequentes Imperatrices, v. gr. *Theophaniam* & *Mathildem*, sigillis diplomata signasse, quamquam ipsa earum sigilla vel temporis edacitate consumta, vel a diplomatum editoribus neglecta fuerunt. Primum huius generis sigillum, quod publicatum esse scio, est sigillum maiestaticum *Constantiae* Imperatricis, idque parabolicum cuspidatum, ac cerae rubrae impressum, exhibens eius imaginem, coronatam, augustali habitu indutam ac throno insidentem, dextra baculum longum lilio terminatum tenens, sinistra pectori admota, cum perigraphe: † COSTA. (Constantia) DI. GRA. ROM. anorum IPATX (Imperatrix) SEP. (semper) AVG. usta REG. ina SICIL. iae. Contra *Mariam*, Ottonis IV. Imperatoris coniux, orbiculari sigillo, eoque maiestatico vsa est, in quo Imperatrix coronata habituque augusto induta, throno insidens, dextra lilii florem, sinistra globum absque cruce tenens, adiunctis ad humeros solis & lunae imaginibus, cum perigraphe: † *Maria. Dei. Gracia. Romanor. Imperatrix. Semp. Augusta.* Sigillum *Gertrudis*, coniugis Rudolphi I. Habspurgici refert insignia Habspurgicae domus, leonem videlicet in area liliis plena. Ex perigraphe non nisi haec exigua pars supereſt: ....DR. D. HABSB. ET .....A. *Anna*, alia Rudolphi I. Habspurgici vxor, sigillo maiestatico vsa est, cuius vero non nisi fragmentum aliquod exstat, reliqua tempus consumsit. *Barbara*, Sigismundi Imperatoris coniux, ex genere Comitum Cillensium orta, non nisi tesseram gentilitiam in sigillo suo orbiculari, eoque vt videtur, secreto tantum, exhibuit. Exstant etiam sigilla *Eleonorae*, & *Blancae Mariae* Augustarum. Ambo orbicularia sunt, exhibentque in scuto coronato & perpendiculariter secto insignia, partim Imperii, aquilam videlicet, partim Austriacae Domus. Ac

Blancae

Blancae Mariae sigillum ad latera scuti siglas corona tectas, nempe hinc BL (Blanca), illinc MA (Maria) collocatas sistit; contra sigillum Eleonorae anepigraphum est. Vid. b. IOH. HEVMANNI Commentarii de re diplomatica Imperatricum Augustarum ac Reginarum Germaniae (Norimb. 1749. 4.) p. 3-6. coll. cum tabulis aeneis. His addendum est, *viduas Regum*, quae secundis nuptiis in manus Comitum conueniebant, in sigillis regiam dignitatem retinuisse, id quod exemplo *Isabellae*, Iohannis sine terra, Angliae Regis viduae, quae postea Hugoni X. de Leziniaco, Comiti Marchiae nupserat, declaratur. Ipsa enim & maritus ipsius alter, A. 1242. documentum exarari iusserunt, sigillo numario munitum. In aduerso sigillo insignia gentilitia Domus Lusignanensis exhibentur, cum perigraphe: † *Sigil. H.* (Hugonis) *de Leziniaco. Comitis. Marchie*; auersum autem sigillum repraesentat eius vxorem, dextra florem, sinistra auem tenentem, cum perigraphe: *Ysabella. Sacra. Regina. Anglie. Dona.* (Domina) *Hybernie.* Vid. de hoc sigillo *Nouveau Traité de Diplom.* T. IV. p. 251.

§. 379.

De sigillis Ducissarum, Comitissarum aliarumque feminarum illustrium.

Feminas illustres in *Gallia* saeculo VI. sigillis vsos esse, ex testamento *Ermentrudis* patet, vt quae annulum aureum, ipsius nomine insignitum, Basilicae S. Geruasii legauerat. Sed *Ducissae*, *Comitissae* aliaeque illustres feminae ineunte demum saeculo XII. sigillis maioribus ac proprie dictis vti coeperunt. Pleraque eorum parabolica cuspidata sunt, exhibentque feminarum *stantium* imagines. Alia contra orbicularia sunt, in quibus feminae, nunc virorum, nunc feminarum ritu *equitantes* sistuntur. Tenent autem pleraeque feminae vna manu auem, altera lilii florem, aut aliud symbolum. Sunt etiam feminarum illustrium haud pauca sigilla *contrasigillis* munita. Specimnis loco esse possunt sigilla feminina, quae in *Nouveau Traité de Diplomat.* T. IV. p. 250-256. describuntur & ex parte ligno etiam incisa exhibentur.

Emendanda:

p. 17. lin. 31. ante vocem *Caroli* adde *morte.*
p. 27. lin. 30. pro *Augusti* lege *Augusti.*
p. 38. lin. 31. pro *generes* lege *generis.*
p. 54. lin. 30. ante verbum *specimina* adde: *quippe cuius.*
p. 63. lin. 12. pro *siglae* & *literae* lege *siglas* & *literas.*
p. 71. lin. 27. pro *inuentorum* lege *inuentorem.*
p. 74. lin. 3. pro *saeculo XIII.* lege: *in confinio saeculorum X. & XI.* (*vid. Nouveau Traité de Diplomatique, in praefatione, T. IV. praemissa, p. 7. sq.*)
p. 86. sub extrema linea adde: *Ordo V. Scriptura septemtrionalis s. runica.*
p. 89. lin. 2. pro *politico* lege *notariali.*
p. 102. lin. 22 post I. II.) 4. 10) adde: *Exempl. 1. 2. 4. 5. 6.*
p. 123. lin. 28 sq. post verbum inuersis deleantur: *I. II.*) 4. 7) *Exemplum I. item*
p. 146. lin. 23. pro *aeneam III.* lege *aeneam II.*
p. 147. lin. 1. pro *aenea III.* lege *aenea II.*
p. 224. lin. 14. pro MIBILLONIVS lege MABILLONIVS.
p. 284. lin. 16. pro 1138. lege 1128.

minusculae. e siue cur-siuae.		Literae longiores.		Literae neo-gothicae s. monachales.	
ntermediae	finales	majusculae.	minusculae.	maiusculae.	minusculae.
cas	ba	λ	ll	AAZ	aa
bebu	ob	B	b	BBB	b
lacu	ec	C	c	CC	c
edra	ad	D	d	DD	dd
bea	fe	E	e	EE	ee
efert	ef	F	f	FFA	ef
roga	tg	G	g	GG	g
	ecess				
mitte	stit	T	t	TGT	tt
autem	qu	U	u	UUV	uu
exom	lex	X	x	XX	ex
		Y		YY	y
				ZZ	z

Tab. I.

Literae maiusculae: Capitales praeter consuetudinem quadratae vel angulosae	Literae maiusculae: Capitales characteristicae duodecim	Literae maiusculae: Vnciales characteristicae duodecim	Literae maiusculae: Capitales et unciales communes	Literae minusculae: Solitariae siue minutae	Literae minusculae: Vnitae siue cursiuae: initiales	Literae minusculae: Vnitae siue cursiuae: intermediae	Literae minusculae: Vnitae siue cursiuae: finales	Literae longiores: maiusculae	Literae longiores: minusculae	Literae neo-gothicae s. monachales: maiusculae	Literae neo-gothicae s. monachales: minusculae
	A	A		aa	ae	cas	ba				
B			B	b	bon	bebu	ob				
C			C	c	cti	lacu	ec				
D	D	D		d	dne	edra	ad				
	E	E		e	ed	bea	fe				
	F	F		f	fero	efert	ef				
G	G	G		g	gem	roga	tg				
	H	H		h	hes	therioni	veh				
			I	i	is	scrip	ri				
			K	k							
	L	L		l	lu	ali	el				
	M	M		m	mea	amen	em				
			N	n	nre	manu	on				
O			O	o	ob	rog	ce co				
P			P	p	prio	propri	op				
Q	Q	Q		q	quo	requies	oq				
R			R	r	rap	grau	or				
S			S	s	sem	asto	ecess				
	T	T		t	tatem	mitte	stit				
	V	V		u	uestrae	autem	qu				
			X	x	xi	exom	lex				
			Y	y							
	Z	Z		z							

ad §. 58.



§. 231.

ad §. 37.

V.V.V. D.S.b.V

A.A.A.A.A.pA

ad §. 38.

A.A.E.AH.D

FRATER





E.A. NOMINE T.

ad §. 46.

Æ.ND M.MR

T.DO.P.H

DILE

Tab. II.

Signa abbreviaturarum ad §. 58.



ad §. 37.

V.V.V.D.S.b.V

A.A.A.A.A.pA

ad §. 38.

Λ.A.E.A.H.D

FRATER

N

T

E.A. nomine T.

ad §. 46.

Æ.ND.M.MR

T.DO.P.H

DILEC



Saec. V. Chrismi figurae ad §. 231.



A.769. A.777. circ. A.825. A.861. A.896. A.983. A.993.

A.540.





A.861.

A.861.

circ. A.591.

Saec. VIII A.861.

A.861.

A.1108.

A.1004.

A.1143.

A.1221.

A.1133.

A.1265.

A.1311.

A.1357.

A.1379.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0434-5

dam numerales.

16 16 17 18 19 40 40



100 2000 5000



3 4



6 7



9 9½ 10 14 16 20 22



90 100 101 104 106 144 590 550



355 1445 1451 1454 1461



9 1488 1490 1497 1504



9 1521 1534 1587



ariae figurae.

Tab. III.

Notae quaedam numerales.

5 6 6 7 8 9 10 10 16 16 17 18 19 40 40

50 50 60 80 90 509 100 2000 5000

0 ½ 1 1½ 2 3 4

4½ 5 6 7

7 8 8½ 9 9½ 10 14 16 20 22

22 27 50 55 70 76 90 100 101 104 106 144 500 550

1245 1292 1332 1334 1355 1445 1451 1454 1461

1467 1470 1474 1479 1488 1490 1497 1504

1504 1506 1513 1519 1521 1534 1587

Punctorum variae figurae.

Cola

Notarum Tironis specimen.

Cruciauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Vir bonus. Villicus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0438-7

2.



A. 777.

Mabill. p. 449.



p. 407.



A. 988.

N. Traité de Dipl. T. III. p. 671.

5.

Tab. IV.

A. 632. 1. Mabill. p. 375.



2. A. 777. Mabill. p. 449.

A. 877. 3. Mabill. p. 407.



4. A. 839. Mabill. p. 407.



A. 988. N. Traité de Dipl. T. III. p. 671. 5.



6. A. 777. Mabill. p. 449.



Tab. V.

2. A. 767.

Mabill. p. 387.
Tipl. I.



4. A. 769.

Mabill. p. 387.
Tipl. II.



Tab. V.

A. 717.

1.

Mabill. p. 385.



2.

A. 767.

Mabill. p. 387. dipl. I.



A. 877.

Mabill. p. 409.

3.



4. A. 769.

Mabill. p. 387. dipl. II.



6.

A. 917.

Mabill. p. 411. dipl. II.



A. 777.

Schannati Vind. T. 4. dipl. I.

5.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0446-2



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0447-7

VI.

2.

Waltheri Lexicon dipl. Tab. III.

A. 874.



Schannati Vindic. Tab. VI. dipl. I.

A. 877.

3.



Tab. VI.

Schannati Vindic. Tab. IV. dipl. II.

1.

A. 816.



Walthers Lexicon dipl. Tab. III.

2.

A. 874.



Schannati Vindic. Tab. VI. dipl. I.

A. 877.

3.



Chron. Gottw. p. 94.

4.

A. 914.



5.

Schannati Vindic. Tab. VIII. dipl. II.

A. 920.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0451-9

VII. 3.

A. 944.

Schannati Vindic.
Tab. IX. dipl. I.



A. 944.

6.

A. 075.

Tab. VII.

1.

Chron. Gottw. p. 159. A. 940.



2.

Chron. Gottw. p. 161. A. 944.



3. A. 944

Schannat. Vindic. Tab. IX. dipl. I.



4.

Chron. Gottw. p. 194. A. 983.



5.

Schannat. Vindic. Tab. IX. dipl. II. A. 975.



6.

Chron. Gottw. p. 162. A. 940.



7.

ex autographo. A. 1046.



8.

Hoinscii antiq. Goslar. p. 47. A. 1049.



9.

ex autographo it. in Walthers Codice dipl. T. V. A. 970.



10.

Mabill. Tab. 40. p. 425. A. 1068.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0455-2


5.
6.
7.
8.
13.
14.
15.
16.
21.
22.
23.
29.
30.
31.
32.
33.
77.
78.
79.

Tab. VIII.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0458-8



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0459-8

b. IX. 3 ex Schannat. Tab. VII. Trad. Fuld. p. 223. Sq. A. 907.



A. 1250. ouv. Traité de Dipl. T. IV. p. 55.

16



ex Falckio. VIII. 6. p. 781. Sq. A. 1235.



4 ex Schannat. Tab. X.

A. 1019.



9 Nouveau Traité de Dipl. T. IV. p. 52.



ex Treueri Hist. Münchhus. de Dipl. T. IV. p. 55.







1
A.709. Mabill. Tab. XXII.
2
ex Schannat. Tab. VI.
Tab. IX.
3
ex Schannat. Tab. VII. Trad. Fuld. p. 223. sq.
A.907.
4
ex Schannat. Tab. X.
A.1019.
6
Nouveau Traité de Dipl. T. IV. p. 210.
A.1250.
Nouv. Traité de Dipl. T. IV. p. 55.
16
9
Nouveau Traité de Dipl. T. IV. p. 52.
ex Falckio. VIII. 6. p. 781. sq.
8
A.1319. Nouv. Traité de Dipl. T. IV. p. 55.
11
A.1235.
A.1273. ex Falckio. V. 4. p. 529. sq.
10
7
A.1135. ex Falckio. VIII. 2. p. 761. sqq.
12
Heinecc. p. 60.
13
ex Hist. mea. Holzschuh.
5
A.1299.
ex Autogr.
14
A.1357.
ex Treueri Hist. Münchhus.
15
A.1226. Nouv. Traité de Dipl. T. IV. p. 55.



Tab. X.

3

circa A. 1108. ſ. 850. Nouv. Tr. de Dipl. T. IV. p. 58.



p. 60.



5

5. ex Huebero VII. 8.

A. 1242. 6

Nouv. Tr. de Dipl. T. IV. p. 59.





Tab. X.

1
A. 1319. ex Huebero XI. 14.



4
Nouv. Tr. de Dipl. T. IV. p. 45.

2
Heinecc. p. 60.



5
A. 1305. ex Huebero VII. 8.

3
circa A. 708. s. 850. Nouv. Tr. de Dipl. T. IV. p. 58.



A. 1242. 6
Nouv. Tr. de Dipl. T. IV. p. 59.



7
A. 1347.
ex Huebero XVI. 6.

8
A. 1324.
ex Huebero XIII. 5.

9
A. 1332.
ex Huebero XIV. 6.

10
A. 1313.
ex Hueb. IX. 8.



11
A. 1568.
ex Hueb. XXXVI. 5.



12
A. 987. Mabill. Tab. 38.



13
A. 1318. ex Hueb. XI. 12.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0467-8

ntiqua.



Merouingicum.



onicum.



th th that and

Saec. VIII.



Alphabeta quaedam antiqua.
Saec. VI.



Franco-Gallicum s. Merouingicum.

Anglo-Saxonicum.

Th th th that and

Langobardicum Saec. VIII.

Carolingicum. Saec. X. ex diplom. Henr. I. Aucupis.

n. A.1228. dato.



plom. A.1309 dato.



umento publ. A.1525.



tuitate dni millesimo quingen=
esimo quinto Indictione tertia
vero Sabbati

Tab. XII.

Alphabetum ex diplom. A. 1228. dato.



Alphabetum ex diplom. A. 1309 dato.



Alphabetum ex Instrumento publ. A. 1525.



Anno a nativitate dni millesimo quingen=
tesimo vigesimo quinto Indictione tertia
decima die vero Sabbati

Ma 628.
5 8

Vol 18 - RDA

n.c.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0479-8

IOH. CHRISTOPHORI GATTERERI
APVD GOTTINGENSES HISTOR. PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETATVM
THEOTISCAR. REGIAE GOTTINGENSIS ET ALTORFINAE
SODALIS, ITEMQVE ACADEMIAE HISTORICAE
GOTTINGENSIS DIRECTORIS

ELEMENTA ARTIS DIPLOMATICAE VNIVERSALIS.

CVM TABVLIS XII. AERI INCISIS.

VOLVMEN PRIVS.



GOTTINGAE
APVD VIDVAM b. VANDENHOECKII
CIↃIↃCCLXV.

B.I.G. Farbkarte #13 Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black Centimetres Inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-728664-p0481-6